

quod corpus Christi non est comedendum ab iis qui tabernaculo deserviunt; sed cum unus sit sensus utriusque historiæ, quomodo per duplicem allegoriam probat hoc? Quid est allegoria? Nonne spiritalis sensus? Ergo ubi est unus sensus, quomodo duplex est allegoria? Solutio. Dicit per duplicem

allegoriam, id est per allegoriam de duplici historia surgentem. Vel allegoria dicitur significans et significatum; hic autem pro significante ponitur: Quid est autem per duplicem allegoriam nisi per duplicem historiam, scilicet unam Veteris, alteram Novi Testamenti?

APPENDIX.

EXEGETICA DUBIA IN SCRIPTURAM SACRAM.

POSTERIORUM EXCERPTIONUM

LIBRI TREDECIM

CONTINENTES

UTRIUSQUE TESTAMENTI ALLEGORIAS.

(Priorum excerptionum libri exstant infra in appendice ad opera dogmatica.)

PROLOGUS.

Quicumque sapientiæ, sive scientiæ studet divinæ, fructum lectionis proprio magis experimento, quam alieno cognoscere valet documento. In ipso namque legentis animus bonum possidet honestæ occupationis, solertiam meditationis, instantiam orationis, et claritatē supernæ invenit contemplationis. Ibi informatur ad exemplum sanctæ imitationis; instruitur ad exercitium virtutis; stabilitur ad exhibitionem boni operis. In ipsa, reprobato fuco falsitatis, depulsa malitia iniquitatis, perducitur ad veram, vel ad perfectam veritatis cognitionem, et ad bonitatis dilectionem. In ipsa animatur, ne frangatur in adversis; solidatur, ne dissolvatur in prosperis, et sumit recordationem de præterito, cautelamque de futuro. Quisquis autem sacræ Scripturæ cibo pasci renuit, vitam animæ suæ perdere jam incipit, ut de eo dici possit: Omnem escam abominata est anima ejus et appropinquavit usque ad portas mortis (*Psal. cvi*). Accipe itaque, frater charissime, hanc secundam excerptionum nostrarum, quas postulasti, partem, quasi quoddam ferculum animæ tuæ paratum: ut in ipso spiritualiter incrasseris, impingeris, dilateris. Capitula autem hujus partis sicut, et superioris, ad evidentiam totius operis sequentis, ante principium libri tibi per ordinem disposui.

PROLOGUS ALTER.

In præcedentibus præmissa descriptione originis et discretionis artium, et quarumdam aliorum, ortum, cursum et occasum omnium regnorum ab initio usque ad nos disposuimus. In sequentibus, profundas allegoriarum obscuritates, secundum subjacentis historiæ cursum, prius de Veteri Testamento, deinde de Novo, in quantum præsentī brevitati sufficere videtur, elucidabimus. Invenies in hac parte libelli multa juxta imbecillitatem mei sensus, necessaria tuæ inchoationi: et in cognitione veritatis, et in amore virtutis omnibus modis utilia, si tamen quæ scripta sunt legere et memoriæ commendare non neglexeris.

Liber primus Allegoriarum Veteris Testamenti tractat de mysteriis rerum gestarum ab initio mundi usque ad Abraham, continens octodecim capitula.

Secundus tractat de mysteriis rerum gestarum ab Abraham usque ad Moysen, continens novemdecim capitula.

Tertius tractat de mysteriis rerum gestarum a Moyse usque ad Josue, continens viginti duo capitula,

Quartus tractat de mysteriis rerum gestarum a Josue usque ad Helcanam, patrem Samuelis, continens decem et octo capitula.

Quintus tractat de mysteriis rerum gestarum ab Helcana usque ad David, ubi scriptum est : Scidit Dominus regnum tuum a te hodie, et tradidit illud meliori te, continens decem et novem capitula.

Sextus tractat de mysteriis rerum gestarum a David usque ad Salomonem, continens viginti quinque capitula.

Septimus tractat de mysteriis rerum gestarum a Salomone usque ad transmigrationem Babylonis, continens quadraginta tria capitula.

Octavus tractat de mysteriis rerum gestarum, quæ continentur in Esdra, continens sexdecim capitula.

Nonus tractat de mysteriis, quæ continentur in libris Esther, Tobix, Judith et Machabæorum, continens quatuor capitula.

ALLEGORIÆ IN VETUS TESTAMENTUM

LIBER PRIMUS.

IN LIBRUM GENESEOS. — AB INITIO MUNDI USQUE AD ABRAHAM.

CAP. I. — De significatione cæli et terræ.

(51) *In principio creavit Deus cælum et terram.* Cælum designat summa, terra ima; cælum invisibilia, terra visibilia; cælum angelos, terra homines; cælum spiritualia, terra corporalia; cælum angelos sublimitate positionis et excellentia conditionis, sublimitate positionis, quia cunctas visibiles et materiales creaturas altitudine supercellit. Excellentia autem conditionis, quia res cæteras sua soliditate, et quadam perpetuitate præcedit. Sic illa cælestium spirituum angelica natura, creaturas universas, et cælestis patriæ mansione, et conditionis suæ dignitate superat, et eis superemicat. Terra significat hominem, et loci positione, et conditionis minori dignitate. Loci positione, quia cælo est inferior; conditionis minori dignitate, quia cælo corruptibilior. Sic homines, respectu angelorum, et mansione sunt inferiores, et conditione corporalis naturæ minus digni. Secundum prædictam quoque institutionem, cælum significat prælatos, perfectos, contemplativos. Terra autem significat subditos, imperfectos, activos. Prælati namque, perfecti, contemplativi, sive auctoritate muneris, sive differentia dignitatis, sive merito virtutis, subjectis, imperfectis, activis sunt superiores. Subjecti vero, imperfecti, activi prælati, perfecti, contemplativi inferiores.

Cælum igitur angeli, terra homines: cælum prælati, terra subjecti; cælum perfecti, terra imperfecti: cælum contemplativi, terra activi.

(51) Nota quod invenitur summa quædam quæ vocatur *Summa allegorica Bibliæ magistri Richardi*, in qua nimis breviter colliguntur dicta Hugonis

A CAP. II. — De cælo, terra, et operibus sex dierum.

In principio creavit Deus cælum et terram (Genes. 1). Cælum spiritus, terra corpus; quia sicut cælum terra sublimius et solidius, sic excellentior est et dignior corpore spiritus. Mundus in prima confusione, est homo in iniquitate sua. Sicut enim mundo primordiali confuso non inierat lux aut futurus ordo, sic homini subjecto iniquitati, nec lux lucet per cognitionem veritatis, nec ordo inest per dispositionem æquitatis. Et Deus quasi in media confusione lucem primariam creat, quando peccatorem diversis sceleribus confusum lucis intimæ radiis illustrat, ut quid esse debeat agnoscat, et ad notitiam recte vivendi semetipsum disponat. Significat itaque lux primaria, peccati cognitionem. Firmamentum inter aquas superiores et aquas inferiores, discretionem inter virtutes et vitia. Aquæ namque inferiores designant vitia; superiores aquæ, virtutes. Et quasi firmamentum inter utrasque aquas ponitur, quando per virtutem discretionis, virtutes a vitiis, et vitia a virtutibus dirimuntur.

Deinde sequitur: *Congregatio aquarum: quæ erant sub firmamento* Congregatio aquarum, cohibitionem exprimit vitiorum. Vitia namque, quia penitus in præsentia vita, de naturæ humanæ penetralibus evacuari vel eliminari non possunt, propter eorum fomites nobis originaliter insitos, debent coarctari quantum per divinam gratiam possibile est et cohiberi, et in unum redigi, ne per totum effluent, totum

nostri; et ideo, relicta ea, attendas, curiose lector, huic omnium allegoriarum amplissimo viridario, nec te tanti operis forsitan pœnitebit.

occupent et corrumpant, ac sensus nostros ab inquisitione veritatis, affectus nostros ab exercitatione virtutis, membra nostra ab exhibitione boni operis impediunt. Sicut enim terra aquis occupata non potuit germinare, sic nos vitiis occupati nec sensibus veritatem inquirere, nec affectibus virtutes exercere, nec membris bona opera valemus exhibere. Aquis igitur in unum congregatis, aer calescit, et terra germinat quia vitiis cohibitis, et per agnitionem calet homo, et per dilectionem claret, et caro fructificat per bonam actionem. Conditio luminarium significat perfectam illuminationem, nebula ignorantiae cæcitate seposita, veritatis inspectione. Et potest sol significare cognitionem eorum, quæ pertinent ad divinam naturam; luna cognitionem eorum quæ pertinent ad sanctam Ecclesiam; stellæ autem cognitionem eorum quæ pertinent ad unamquamque fidelem animam. Pisces, qui laborant in imo, id est in aquis, sollicitudinem bonæ actionis designant, quæ vitæ labentis fluctibus agitur. Volucres, quæ ad alta volant, significant contemplationem cœlestium, per quam ab imis ad superiora sublevamur. Animalia significant sensus nostri corporis, eo quod ipsa participant humanis sensibus. Quasi enim animalia in nobis creantur, cum sensu corporis prius per vanitatem corrupti, per divinam gratiam redingrantur.

His itaque compositis, novissime fit homo ad imaginem et similitudinem Dei: qui taliter in nobis virtutibus, et bonis operibus dispositis, fit conformis, et similis Deo per justitiam, qui prius fuit informis et dissimilis per culpam. Homo denique formatus, transfertur in paradysum voluptatis, quia peccator regeneratus per gratiam in mundo, in cœlum transfertur per gloriam.

Cœlum itaque, spiritus; terra, corpus; lucis primariæ conditio, peccati cognitio. Firmamentum inter aquas superiores et aquas inferiores, discretio inter vitia et virtutes. Aquarum inferiorum congregatio, vitiorum cohibitio. Productio graminum, exhibitio bonorum operum. Luminarium conditio, perfecta veritatis cognitio. Pisces, bona actio. Volucres, contemplatio. Animalium creatio, sensuum corporalium redintegratio. Adæ formatio, justus perfectio. Adam in paradiso, justus in cœlo. Lux primaria ante solem significat legem ante gratiam, Joannem ante Christum, initium ante perfectionem, gratiam ante gloriam. Sicut enim lux primaria, sole fuit tempore prior, et tamen minor claritate; sic lex gratia, Joannes Christo, initium perfectione, gratia gloria, priora dignoscuntur ordine, et longe tamen inferiora perfectione; sed in aliis ordinibus rerum invenitur quod alia præcedunt, et alia sequuntur: præcedunt minora, succedunt majora.

CAP. III. — *De aquis superioribus et inferioribus.*

Aquæ superiores significant bonos salvandos; aquæ inferiores, malos damnandos. De aquis superioribus dictum est: *Benedicite, aquæ, quæ super cœlos sunt, Domino (Dan. III)*. Quia electi in perpe-

tuum non cessabunt laudare nomen Domini. De aquis inferioribus scriptum est: *Congregentur aquæ in locum unum*, quia reprobi per totum mundum modo dispersi congregabuntur in infernum, in sempiternum puniendi. Quæ sunt tamen istæ aquæ? Immundi, fornicatores, concubinari, incestuosi, adulteri, avari, fures, rapaces, ebriosi, perjuri, homicidæ, invidi, iracundi, odio perciti (*I Cor. v*), et qui mulierem viderunt ad concupiscendum eam, et qui dicunt fratri suo, fatue (*Matth. v*): et quicumque a Deo sunt separati, nec per gratiam ipsius justificati, ut Pagani, Judæi, falsi Christiani. Isti congregabuntur in locum unum, id est in infernum: qui est locus in tenebris, ubi non exstinguitur ignis.

B CAP. IV. — *De sole, luna et stellis.*

Solent sancti doctores per solem accipere Christum; per lunam, Ecclesiam; per singulas stellas, singulos fideles. Per solem, Christum, quia ut sol perfectus est in se, nec mutatur. Sic Christus, quia immensus est, non potest augeri. Per lunam designatur Ecclesia, quia sicut luna per diuturna incrementa ad plenitudinem ducitur, sic sanctæ Ecclesiæ corpus membris ejus, quæ per gratiam sibi succedunt, appositis, consummatur. Et sicut luna a sole suscipit lumen, sic sancta Ecclesia suscipit a Christo vivificationem. Per stellas ideo designantur fideles, quia sunt et ipsi luminaria cœlo, cœli affixi. Sicut Paulus de se sibi que similibus luminaribus dixit: *Nostra autem conversatio in cœlis est (Philip. III)*. Et iterum: *Lucetis in Ecclesia, sicut luminaria in mundo (Philipp. II)*. Sol igitur, Christus; luna Ecclesia; stellæ fideles.

CAP. V. — *De piscibus et avibus.*

Pisces significant malos, quia in loco ubi creati sunt permanent. Volucres significant bonos, quia ad superiorem mansionem ascendunt. Sic mali et in culpa remanent in qua sunt nati; et boni per gratiam ascendunt ad gloriam, ad quam sunt renati. Mali pennas habent peccatorum, boni pennas virtutum. Boni laudes divinas modulatis vocibus cantant; mali, *in quorum ore non est speciosa laus (Eccli. xv)*, conticescunt.

CAP. VI. — *De paradiso voluptatis.*

D Paradysus voluptatis Ecclesiam significat, in qua diversæ sunt voluptates, et jucunditates, aliæ per gratiarum abundantiam, aliæ per virtutum redolentiam, aliæ per multiplicem bonorum operum differentiam, aliæ in contemplatione patriæ cœlestis, aliæ in melodia divinæ laudis, aliæ in dulcedine divinæ simul et æternæ retributionis, aliæ in spe futuræ beatitudinis. Fons, qui est in paradiso, Christum significat. Fons namque sapientiæ, Verbum divinum, id est Filius Dei. Qui hunc fontem paradisi, id est Verbum Dei et sapientiam invenit, invenit vitam et haurit salutem a Domino. Quatuor flumina fontis quatuor sunt Evangelia Christi, quibus hortus sanctæ Ecclesiæ rigatur, et vegetatur, ut crescat, et fructum faciat qui bene diversas terras circumeunt

quia diversos populos prius terrenis intentos in unitatem fidei colligunt. Lignum quoque vitæ Christum significat. Ipse namque dicit: *Ego sum via, veritas et vita* (Joan. xiv). Si enim ipso vescimur, vitam æternam habebimus, sicut ipse dicit: *Qui munducat carnem meam* (Joan. vi), etc. Ergo Christus lignum, Christus fons. Lignum, quia fructu vitæ nos satiat; fons, quia aqua sapientiæ salutaris nos potat. Lignum vero scientiæ boni et mali, mandatum Dei exprimit. Quod recte lignum scientiæ boni et mali, dicitur, quia in eo, si illud custodimus, experimur bonum; et si transgredimur, malum. Paradisus itaque Ecclesia, voluptas gratia, fons Christus, quatuor flumina quatuor Evangelia. Lignum etiam vitæ Christus, lignum vero scientiæ boni et mali cognitio mandati, esus illius ligni vetiti transgressio mandati.

CAP. VII. — *De formatione primi hominis.*

Terra, de qua primus homo factus est, significat Virginem, de qua secundus homo natus est. Virgo terra, virgo Maria. Sicut de terra, divina operatione factum est corpus humanum, sic de virgine, divina operatione Verbum creditur incarnatum. Sine macula fuit corpus Adæ sumptum de terra, et immaculatum corpus Christi animatum de Maria. Adam factus est in sexta sæculi die, Christus natus est in sexta ætate, et passus in sexta hora diei, sexta feria hebdomadæ. Adam obdormivit ut de costa illius fieret Eva, Christus morte sopitus est ut de sanguine ejus redimeretur Ecclesia. Adam sponsus et Eva de ipso facta sponsa, Christus sponsus et sponsa ab ipso redempta Ecclesia. Adam debuit præesse et regere Evam. Christus præest et regit Ecclesiam. Terra ergo, Maria sexta feria, sexta ætas, vel sexta dies, vel sexta hora. Adam, Christus; dormitio Adæ, passio Christi; conditio Evæ, redemptio Ecclesiæ. Ad similitudinem quoque Adæ et Evæ, Christi et Ecclesiæ, est Deus sponsus cuiuslibet fidelis animæ.

CAP. VIII. — *De Adam, Eva et serpente.*

Adam significat spiritum. Eva, carnem. Sicut enim Adam regit Evam, sic spiritus debet regere carnem suam. Et sicut Adam per Evam debuit filios procreare, sic spiritus per carnem debet bona opera propagare. Serpens significat diabolum, pomum delectationem terrenorum. Quemadmodum enim serpens Evam pomo decepit, sic diabolus insensatam carnem terrena delectatione illexit et seduxit. Et sicut Eva Adam duxit ad esum pomi, sic nonnunquam caro spiritum trahit ad usum peccati, et sic uterque de paradiso, id est statu boni sui ejicitur; quia et anima affligitur per malam conscientiam, et punitur per pœnam. Adam ergo, spiritus: Eva, caro; serpens, diabolus; pomum, delectatio terrenorum; ejectio de paradiso, spiritus et carnis afflictio.

CAP. IX. *De sex diebus operationis divinæ, et de septimo quietis.*

Sex dies significant laborem boni operis; septima quietem exprimit æternæ beatitudinis. Sex

namque diebus opus suum perfecit Deus, et die septima ab omni opere requievit. Sic et nos in præsentis sæculo laborare debemus in exhibitione boni operis, ut in futuro requiescamus in Sabbato retributionis. Hæc de opere conditionis mystice disse-ruimus, ut requiescamus ab opere, quod patravimus.

CAP. X. — *De Adam, Eva et filiis eorum.*

Postquam Adam et Eva de paradiso per culpam inobedientiæ projecti sunt, cognovit Adam uxorem suam, scilicet Evam et genuit Cain; deinde genuit Abel, quem Cain interfecit. Post hæc, Cain factus est vagus et profugus super terram. Adam parens humani generis significat Deum, qui est pater omnium rerum visibilium et invisibilium per naturam, et pater omnium electorum per gratiam. Illis pater, quia conditor; istis pater, quia redemptor. Eva Synagogam significat, quam sibi Deus desponsaverat: de qua quodammodo genuit Cain, et possedit illum filium, populum scilicet antiquum, de quo ipse dicit: *Filius meus primogenitus Israel* (Exod. iv). Genuit quoque Abel innocentem, et justum, id est Dominum nostrum Jesum Christum. Abel fuit justus et innocens: *Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I Petr. ii). Abel primus justus ordine temporis, Christus primus justus excellentia sanctitatis. Abel obtulit Deo carnem ovilem, Christus obtulit carnem suam immaculatam. Respexit Deus ad victimam Abel justi, et respexit similiter ad passionem Christi quam suscepit pro redemptione totius generis humani. Abel significat Christum, Cain populum Judaicum. Cain interfecit Abel, et Judæorum populus Christum patibulo affixit. Factus est Cain post fratricidium vagus, et profugus, et post passionem Christi, secundum carnem fratris sui, dispersus est per mundum populus Judaicus. Adam ergo Deus; Eva, Synagoga; Cain, populus Judaicus; Abel Christus; mors Abel justi, passio Christi: ejectio Cain a facie Domini, dispersio populi Judaici. Ad similitudinem vero Cain persequentis, et Abel patientis: persequitur caro spiritum, impius justum, vitium virtutem, malitia benignitatem, mala bona.

CAP. XI. — *De Seth, Cain et filiis eorum.*

Illi qui fuerunt de stirpe Seth, vocati sunt filii Dei; illi autem, qui de stirpe Cain, filii hominum. Seth significat Christum, Cain, diabolum; filii Seth significant electos, filii Cain, reprobos. Electi regenerantur per gratiam, et reprobi reprobantur per culpam. Generationes filiorum Dei in viro complentur: qui propter vires designat virtutes, quia electorum vita consummatur in robore virtutum. Generatio filiorum hominum in mulierem terminatur, quæ designat molliem, quia reproborum vita finitur mollietate vitiorum. Filii Dei acceperunt filias hominum. Plurimumque enim qui per baptismum sunt renati, et electi videbantur sibi conjungunt delectationes et vitia reproborum. Ex hoc conjugio nati sunt gigantes super terram; et mali per luxuriam fedantur, et eriguntur per superbiam. Seth igitur, Chri-

stus ; Cain, diabolus ; filii Seth, electi ; filii Cain, reprobi ; filiæ hominum, delectationes carnalium : copula conjugii, inhonestus usus sæculi ; gigantes terræ, superbia vitæ.

CAP. XII. — *De Enos, Henoch, et Noe.*

Enos tertius ab Adam, qui cœpit invocare nomen Domini, designat eos qui perfecti sunt in fide sanctæ Trinitatis. Henoch septimus ab Adam, qui Deo placuit, significat eos qui sanctificati sunt donis gratiæ spiritualis. Noe decimus ab Adam, qui gratiam invenit coram Deo, exprimit eos qui per bonam actionem complent decalogum legis.

CAP. XIII. — *De arca et diluvio.*

Omnis caro per illicitum conjugium corruperat viam suam, et invenit gratiam Nœ coram Domino, et ait Dominus ad Noe : Fac tibi arcam de lignis levigatis, et intrabis in eam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum, et induces in arcam de cunctis animantibus mundis, septena : de immundis vero, bina. Et adducam aquas diluvii, et delebo hominem, et cuncta quæ feci propter hominem, in quibus est spiritus vitæ (Gen. vi), etc. Corruptio vitæ perpetrationem culpæ designat. Inundatio diluvii perturbationem, instabilitatem, fluctuationem et persecutionem significat præsentis sæculi. Noe significat Christum, sive quemlibet prælatum, qui, in quantum potest, facit arcam, id est ædificat Ecclesiam, ut ipse salvetur in ea, et filii ejus, id est subjecti ejus. Singulæ virgæ sunt singulæ animæ. Quæ bene levigantur, dum per prædicationem cortex, et enormitas vitiorum, et peccatorum ad eis resecantur. Et sibi junguntur, dum per gratiam in unitatem fidei, quasi ex diversis silvis, id est ex diversis gentibus et linguis uniuntur. De bitumine quoque linita arca legitur. Bitumen charitatem significat. Quo bitumine linitur sancta Ecclesia intus, dum charitas servatur in affectu cordium ; et foris, dum demonstratur in exhibitione operum. Mansiunculæ in arca et tristega diversos significant doctores et diversa bene viventium merita. Quod dicitur tricamerata tres ordines significat in sancta Ecclesia, conjugatorum, continentium, virginum : qui secundum diversitatem nominum et operum differentiam sortiuntur mansionum. Quod dicitur bicamerata activos designat et contemplativos, quorum activi deorsum, et contemplativi sursum. Longitudo trecentorum cubitorum tria tempora, quibus præsens sæculum decurrit, tempus scilicet ante legem, sub lege, et sub gratia, et perfectam designat sanctæ Trinitatis cognitionem. Latitudo quinquaginta cubitorum, per quinque sensus corporis, insinuat operum bonorum in proximum exhibitionem. Altitudo triginta cubitorum trium principalium virtutum, fidei, spei, et charitatis, significat sublimitatem.

Hoc, quod ex omnibus animantibus inducta sunt in arcam, significat quod ex omnibus gentibus homines ducuntur in sanctam Ecclesiam. Munda animalia, quæ septena sunt introducta, significant bonos, qui per septiformem gratiam sunt justificati.

A Immunda vero, quæ bina intromittuntur, significant reprobos, qui per culpam a Deo et a semetipsis sunt divisi. Binarius namque, qui ab unitate primus recedit, et se dividit, signum divisionis est. Significant quoque animalia, quæ deorsum erant, activos ; volatilia, quæ sursum erant contemplativos. Femine designant infirmos, masculi robustos, esca sacram Scripturam significat, quæ cibus est spiritualis animarum. Ostium deorsum significat bonam actionem, per quam in unitatem sanctæ Ecclesiæ ingredimur. Fenestræ sursum contemplationem per quam cœlestia contemplamur vel speculamur. Montes, quos aqua operuit, sunt sancti prælati, quos nonnumquam persecutio opprimit. Cubitus, in quo consummata est, arca, Christus est, qui est caput Ecclesiæ. Arca deorsum lata erat, quia multi sunt vocati ; sursum stricta, quia pauci electi. Deorsum lata, quia multi subjecti ; sursum stricta, quia perpauca sunt prælati. Deorsum lata, quia multi sunt activi sursum stricta quia pauci contemplativi. Deorsum lata, quia multi imperfecti, sursum stricta, quia pauci perfecti. Numerus quadraginta dierum, quibus inundaverunt aquæ qui constat ex quater decem, vitam præsentem significat, in qua fluctibus tentationum et persecutionum incessanter quatimur : tamen et Decalogum et quatuor Evangelia complere debemus. Montes Armeniæ sublimitatem significant vitæ æternæ : arca requievit in montibus Armeniæ, et sancta Ecclesia requiescet in sublimitate vitæ æternæ.

C Corruptio ergo vitæ, est perpetratio culpæ ; arca, Ecclesia ; Noe, prælati ; familia Noe, ejus subditi ; inundatio diluvii, tentationes, et persecutiones sæculi ; singulæ virgæ, singulæ animæ ; levigatio virgarum, justificatio animarum ; lenitio interior, charitas in affectu cordium ; exterior lenitio, charitas in exhibitione operum : mansiunculæ et tristega, diversi ordinis diversa merita ; bicameratio, bona actio, contemplatio ; tricameratio, conjugium, continentia, virginitas ; longitudo arcæ, et tria tempora, et perfecta cognitio sanctæ Trinitatis ; latitudo, effectus boni operis in proximo ; altitudo, excellentia trium principalium virtutum, fidei, spei et charitatis ; animalia, activi ; volucres, contemplativi ; esca, Scriptura ; quadraginta dies, vita præsens ; montes Armeniæ, sublimitas vitæ æternæ ; recessus sive desiccatio aquarum, ablatio tentationum et persecutionum.

CAP. XIV. — *Moralis sententia de arca.*

Arca est anima. In arca debemus salvari, ad ipsam redeuntes, ipsam intrantes, sicut scriptum est : *Redite ad cor prævaricatores (Isa. XLVI)*. Ipsius longitudo, fides qua credit omnia vera, quæ Deus ab initio sæculi fecit, vel facturus est usque ad finem sæculi, per se, per angelos, per homines : altitudo, spes, qua erigitur ad speranda, bona quæ in cœlis sequuntur ; latitudo, charitas, qua extenditur ad septentrionalem plagam per dilectionem inimicorum, et ad plagam australem per dilectionem amicorum. In hac arca

est Noe : intellectus rationalis et sensus spiritualis, affectans bonas voluntates. Animalia, opera quæ circa terrena agentur. Volucres : cogitationes. Et inundatio aquarum, impetus tentationum. Montes Armeniæ, altitudo contemplationis divinæ.

CAP. XV. — *De corvo, et columba.*

Corvus, qui de arca emissus est et non est reversus, significat falsos Christianos, qui dum aliquando causa necessitatis ad exteriora mittuntur, foris remanent : quia visibilibus inhiærent, nequaquam ad interiorem quietem revertuntur; dum foris in fluctuatione temporalium delectantur. Columba vero, quæ reversa est, bonos significat, qui dum pro necessitate proximorum ad exteriora procedunt, redeunt, dum foris quietem non inveniunt, et afferunt ramum oliivæ, quia peregerunt opus misericordiæ.

CAP. XVI. — *De Iridis coloribus.*

Iris, id est arcus cælestis, duos habet colores. Primus color est viridis, secundus rubeus. Viridis significat iudicium quod fecit Deus in primordio per aquam diluvii. Rubeus significat iudicium quod Deus facturus est per ignem in fine mundi. Aqua namque virescit et ignis rubescit.

CAP. XVII. — *De vinea Noe, et ejus inebriatione.*

Plantavit Noe vineam, et inebriatus est, et nudatus. Quod cum vidisset Cham, derisit, sed Sem et Japhet cooperuerunt patrem. Unde et Cham meruit maledictionem patris sui. Sem et Japhet sibi meruerunt benedictionem. Noe, qui ab Adam fuit decimus, significat Christum, qui decalogum legis complevit, de quo legitur : *Non veni solvere legem sed adimplere* (Matth. v). Noe vero interpretatur requies. Et Christus est requies nostra in præsentia per gratiam, in futuro per gloriam. Vineam ipsius fuit gens Israelitica sicut scriptum est : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Quæ dum debuit facere uvas, fecit labruscas, et conversa est in amaritudinem (Isai. v). Vineam Barrabbadimissit, et plantatorem, et cultorem suum Christum vino passionis inebriavit. Qui somno mortis obdormivit, et vilitas, id est mortalitas, quam de nobis et pro nobis assumpserat, manifesta comparuit. Quem infelix Cham, id est incredulus Judæorum populus derisit, dicens : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est descendat nunc de cruce, et credemus ei* (Matth. xxvii). Sed Sem, id est apostoli et cæteri discipuli, et quicumque ex Judæis in ipsum crediderunt, et

Japheth, id est populus gentilis ad fidem conversis, pallio verenda patris operuit, quia passionem Christi non defectum, sed totius virtutis effectum, et verum humanæ redemptionis fuisse sacramentum ostendit. Unde et Chanaan filius Cham maledictione punitur, quia Judæorum progenies Judæorum maledictione damnatur. Et Sem, et Japheth, id est populus ex utraque gente conversus, perpetua benedictione ditatur. Et Chanaan filius Cham fit servus servorum, quia infideles successores Judæorum servi sunt Christianorum, quia Christiani servi sunt Christi, cui servire regnare est. Noe igitur Christus, vinea, gens Judaica, inebriatio, passio, mortis obdormitio denudatio, veræ humilitatis demonstratio; derisio Cham derogatio Judæorum, Sem et Japheth duo populi credentes, vestimentum sacramentum : maledictio Chanaan filii Cham damnatio est et dispersio Judaicæ gentis.

CAP. XVIII. — *Moralis sententia de eodem.*

Noe significat prælatos : qui dum bene præsent, quasi tot filiorum sunt patres, quot sunt rectorum rectores. Qui plantant vineam, dum ædificant Ecclesiam : de cujus vino inebriantur, dum de successu virtutum et regiminis sui prosperitate, humana pulsante infirmitate, vel ad modicum gloriantur. Et verenda eorum denudantur, dum conceptæ humanæ gloriationis cogitationes, vel per quamlibet jactantiam, vel per inanem lætitiā, vel per aliquam denique humani accessus intemperantiam manifestatur. Sed Cham verenda deridet, quia reprobi quique dum quoslibet prælatorum ex infirmitate conditionis excessus aspiciunt, pravis eos sermonibus discerpere et deridere non desistunt. Sed Sem, id est boni contemplativi, in quorum tabernaculis Deus inhabitat per internam quietem, et Japheth, id est boni activi, quos Deus dilatat per bonam actionem, dum infirma prælatorum dissimulare et excusare satagunt, quasi pallio patris verenda operiunt. Et Cham maledicitur, dum pravorum subjeetorum actus, servitio demonum mancipantur, qui sunt servi diaboli. Sem vero et Japheth benedictio tribuitur, quia boni benedictione prima remunerantur. Noe igitur prælati, filii ejus subjecti. Cham reprobi, Sem et Japheth electi contemplativi et activi. Vineam Ecclesia, inebriatio gloriatio, denudatio cogitationis demonstratio, derisio derogatio, opertio excusatio.

LIBER SECUNDUS.

DE RELIQUIS MYSTERIIS GENESEOS AB ABRAHAM USQUE AD MOYSEN.

CAP. I. — *De exitu Abraham de terra sua.*

Egrederis de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi; et dabo eam tibi,

et semini tuo. Abram, qui interpretatur *pater excelsus*, et deinde dictus est Abraham, id est *pater multarum gentium*, significat Christum. Ipse est pater

excelsus, quia rex gloriæ. Cujus terra Juda, et cognatio ejus, ille est populus Israeliticus carnalis de quo carnem sumpsit. Domus autem patris ejus, synagoga, sive templum. Quis de his omnibus exivit, quando Judæam et populum Israeliticum et templum dereliquit, et per prædicationem apostolorum in latitudinem gentium venit, et fixit ibi tabernaculum, scilicet sanctam Ecclesiam, et ædificavit altare per præcedentium fidem, et super illud offert sacrificium Patri, bonam fidelium suorum actionem. Ibiue dilatatur ad orientem et occidentem, ad septentrionem et meridiem, sicut scriptum est: *Vocabo ab oriente et ab occidente seminum, et dicam aquiloni, Da, et austro, Noli prohibere (Isai. XLIII)*. In omnibus namque partibus mundi, processio Christi, quia in omnibus gentibus fides Christi. Abraham igitur Christus, terra ejus Judæa, cognatio ejus populus Israel, domus patris ejus templum ad quod venit, tabernaculum est Ecclesia, altare fides, sacrificium opus Christi bonum, dilatatio totius mundi possessio.

CAP. II. — *Moralis explicatio de eodem.*

Exi de terra et de cognatione tua (Gen. XII). Abram est quælibet fidelis anima, in Ur Chaldæorum, id est in incendio vitiorum posita. Istius pater diabolus est, sicut de ipsa et de aliis malis scriptum est: *Vos ex patre diabolo estis (Joan. VIII)*. Terra ejus terrenorum delectatio est, cui inhæret. Ejus cognatio dæmones sunt, quibus per culpam quasi per sanguinem propinqua dignoscitur. Domus patris prava conversatio est, in qua sub patre diabolo diu primum permansit. Terra ad quam invitatur vita spiritualis est, ad quam cum anima divino sermone compuncta, declinans a malo et faciens bonum, transit: figit in ea tabernaculum per honestam conversationem, et ædificat in ea altare lapideum per firmam fidem; offert sacrificium per bonam conversationem, et dilatatur circumquaque per multiformem virtutum exercitationem et bonorum operum exhibitionem. Abram igitur anima, terra ejus delectatis terrena, domus patris ejus conversatio prava, parentes dæmones. Terra ad quam venit vita spiritualis, tabernaculum conversatio honesta, altare fides firma, sacrificium ejus actio bona, cujus dilatatio est virtutum exercitatio et bonorum operum exhibitio.

CAP. III. — *De sacrificio Abrahæ.*

Item dixit Dominus ad Abraham: Sume vaccam triennem, et arietem trium annorum, et capram trimam; turturem quoque et columbam. Qui tollens universa hæc animalia divisit, aves autem non divisit (Gen. xv). Statutus est modus promissus semini Abrahæ, et ista est figura. Per vaccam illam figurata est plebs Judaica, sub jugo legis posita; per capram, eadem peccatrix futura; per arietem, eadem plebs regnatura. Quæ animalia ideo dicuntur trima, quia per curricula temporum ab Adam usque ad Noe, et inde usque ad David, tanquam ter-

tiam ætatem gerens ille populus adolevit. Per turturem et columbam, spirituales in Ecclesia populi significati sunt, individui filii promissionis, et hæredes regni futuri. Quorum ætas temporalis ideo tacetur, quia meditates æterna, transgressi sunt temporalia desideria. Sed quid est hoc, quod animalia illa trima dividuntur, adversum se invicem partibus constitutis, nisi quod carnales et in populo veteri invicem inter se dividuntur? Porro aves idcirco non dividuntur, quia spirituales indivisi sunt, schisma non cogitant, nec seducuntur ab hæreticis, sed est pax in ipsis, sive a cæteris se removeant ut turtur, sive inter illos conversentur ut columba.

CAP. IV. — *Moralis expositio de eodem.*

Secundum sensum tropologicum, Abraham est quælibet fidelis anima quæ offert Deo sacrificium, vel justitiæ fructum. Animalia, id est opera bona, quæ circa terrena negotia versantur. Offert aves; contemplativas scilicet cogitationes, quæ per cœlestia desideria sursum volant. Animalia separantur, quia bona opera, quæ rebus terrenis proximis exhibentur, per multa negotia dividuntur. Aves autem minime dividuntur, quia cogitationes contemplativæ ad solam intentionem supernæ visionis eriguntur. Volucres sacrificio insidiantes dæmones sunt, sive immundæ cogitationes, quas instantia orationis et cautela discretionis abjicere debemus.

CAP. V. — *De triplici circumcissione.*

Tres sunt circumcissiones. Una in carne tantum exterius, quæ sacramentum est (*Gen. XVII*). Aliæ duæ, quæ sunt res et virtus sacramenti. Altera, quæ fit in præsentem, quando anima per depositionem iniquitatis circumciditur; altera quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur. Prima igitur in carne, secunda in mente, tertia in corpore. Octonarius vero in sacra Scriptura, aliquando tempus resurrectionis significat, quod post præsentem vitam sequitur; aliquando tempus gratiæ, in quo quasi post Sabbatum legis, æterna bona servientibus Deo promittuntur. Merito ergo illa prima circumcisio, quæ est sacramentum illarum duarum, jussa est fieri octava die, ut ostenderetur quod in tempore gratiæ, corda circumcidenda erant per emendationem iniquitatis, et in tempore resurrectionis; corpora quidem per depositionem iniquitatis et corruptionis.

CAP. VI. — *De exitu Lot e Sodomis.*

Dictum est Lot, ut exiens de Sodomis ascenderet in mentem ut salvaretur, et petiit Segor (*Gen. XIX*): et concessum est ei. Non tamen ausus est permanere in Segor; sed ascendit in montem. Sodoma significat luxuriam vitæ præsentis. Lot significat animam ad vitam æternam prædestinatam. Angeli sunt prædicatores, qui annuntiant salutem suam ei dicentes: *Declina a malo, et fac bonum (Psal. XXXVI)*. Quasi dicant: Exi de Sodomis, et ascende in montem; derelinque vitam sæcularem, et ascende ad vitam spiritualem; derelinque luxuriam, et assume continentiam. Sed Lot timens ascendere ardua, petit Segor; quia

fidelis non præsumens vitæ spiritualis, et continentiae culmen ascendere, existimat vitam conjugalem diligendam, dum se credit in ea animam salvare posse. Sed tandem Segor derelinquit, et in montem ascendit; quia justus nonnunquam videns vitæ conjugalis casum, laborem, periculumque perpendens, vitam conjugalem postponit, et spiritualis vitæ et continentiae sublimitatem ascendit. Uxor Lot quæ respexit et periit, significat carnales quoque qui, quamvis quandoque de peccatis quantum ad actum exeunt, mente tamen et voluntate protinus ad eadem revertuntur. Et quia manum mittunt ad aratrum, et retro aspiciunt non sunt apti regno Dei (*Luc. ix.*). Lot ergo intelligitur fidelis anima; Sodoma, vita sæcularis; Segor, vita conjugalis; mons, vita spiritualis; uxor Lot, carnales qui sunt in Ecclesia.

CAP. VII. — *De hoc, quod tentavit Deus Abraham.*

Tentavit Deus Abraham dicens: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium (*Gen. xxii.*), etc. Abraham significat Deum Patrem, et Isaac, Christum. Mons, in quo sacrificandus erat, altitudinem exprimit Dominicæ charitatis. Duo juvenes cum asino exspectantes, gentiles et Judæos non credentes, et in mortem Domini consentientes designant. Asinus significat stultitiam utrorumque. Stultum namque est exspectare venturum, qui jam multis prophetarum testimoniis, et innumerabilibus miraculorum prodigiis venisse probatur. Ara, ligna; vepres, crucem Domini designant. Isaac, qui mortem in sacrificio non gustavit, divinitatem exprimit, quæ pœnas aut dolorem in passione non sensit. Aries, qui mortem pertulit, humanitatem significat, quæ passionis amaritudines sustinuit. Ignis angustiam significat Dominicæ passionis, per quem Agnus ille immaculatus est assatus et Deus Pater de prævaricatione primi parentis, et totius humani generis placatus. Abraham igitur, Deus Pater; Isaac, Christus; mons, divina charitas; duo juvenes, increduli Judæi et gentiles; asinus, stultitia incredulitatis utrorumque; ara, ligna; vepres, exitium crucis; Isaac, divinitas; aries humanitas; ignis, angustia passionis.

CAP. VIII. — *De Sara, et morte, ac sepultura ejus.*

Sara, quæ interpretatur *princeps*, significat animam quæ præsidet, populo sensuum suorum spiritualium, virtutum, voluptatum quoque, cogitationum, affectionum, sermonum, actionum, et cui ipsa præsidet ipsum bene gubernando. Mors saræ mortificationem significat animæ, et voluptatum sæcularis concupiscentiæ. Spelunca, in qua est sepulta, spiritualem designat vitam, quæ est occulta: quæ recte duplex dicitur, propter bonam actionem et contemplationem. Sara igitur est anima; mors Saræ, mortificatio animæ, spelunca, spiritualis vita.

CAP. IX. — *Quomodo adducta est Rebecca ad Isaac.*

Mortua Sara, misit Abraham puerum suum

A propter Rebeccam conjugem Isaac, et adduxit eam servus Abraham super camelum, et accepit eam Isaac in uxorem, etc. (*Gen. xxiv.*) Abraham significat Deum Patrem, qui est pater multarum gentium quia pater omnium per conditionem. Sara significat Synagogam, quam sibi Dominus in Veteri Testamento desponsaverat. Isaac, qui interpretatur *risus*, designat Christum, qui est gaudium nostrum. Puer Abraham exprimit apostolos a culpa originali et actuali per gratiam purificatos. Rebecca per puerum de gentilitate adducta, gentium est Ecclesia, per prædicationem apostolorum conversa. Fons, de quo hausit Rebecca, facundia philosophica est, ex qua tunc temporis gentilitas silim suam conabatur temperare. Ornamenta, quæ dedit puer Rebeccæ, virtutes significant, quæ per prædicationem apostolorum collatæ sunt Ecclesiæ. Gibbus cameli, de quo conspecto Isaac descendit, exprimit antiquam peccatorum enormitatem et gentilitatis superbiam, qua se sancta Ecclesia, cognita Christi majestate, humiliavit. Pallium, quo se circumdedit, opus bonum significat quo se sancta Ecclesia post acceptam fidem, coram Deo, et angelis, et hominibus ornavit. Ager, in quem Isaac exierat, significat mundum; et vesper diei, finem sæculi. Nuptiæ Isaac et Rebeccæ designant nuptias Christi et Ecclesiæ. Oravit Isaac pro sterili Rebecca, et Christus in dextera Dei Patris interpellat pro Ecclesia. Dedit Deus conceptum Rebeccæ, et confert Deus fecunditatem Ecclesiæ. Jacob significat bonos, qui benedictionem consequuntur, et in præsentem per gratiam, et in futuro per gloriam. Esau significat malos, qui benedictione excluduntur in præsentem per culpam, in futuro per pœnam. Abraham igitur, Deus Pater; Sara, Synagoga; mors Saræ, infidelitas Synagogæ; Isaac Christus; puer, apostoli; fons, philosophica doctrina, ornamenta, virtutes; adductio Rebeccæ, conversio Ecclesiæ; gibbus cameli, enormitas peccati; descensio, humilitas Ecclesiæ; pallium, opus bonum; ager, mundus; vesper, finis sæculi; nuptiæ Isaac et Rebeccæ, conjunctio Christi et Ecclesiæ; Jacob, boni; Esau, mali.

CAP. X. — *De Abraham, Isaac, et pueris eorum, ac puteis.*

Abraham, et pueri ejus foderunt puteos, et rixati sunt Palæstini, et impleverant puteos terra. Deinde Isaac fodit puteum, pro quo non sunt iurgati, et vocavit nomen ejus latitudo (*Gen. xxxvi.*). Abraham, sicut supradictum est, significat Deum Patrem; pueri Abraham libros designant prophetarum. Aqua est scientia, quæ abluit et potat: abluit culpam, gratiam potat. Isaac Christum significat; pueri Isaac evangelistæ sunt et apostoli. Palæstini sunt Judæi, qui contendunt de puteis Scripturarum, et eos terra implent, propter carnalem et terrenam intelligentiam suam. Puteus, quem Isaac ad ultimum fodit et latitudinem vocavit, et quem non impleverunt Palæstini, evangelica doctrina est, quæ per mundum est dilatata quam Judæi nequaquam auferre possunt. Abra-

ham igitur, Deus Pater; Isaac, Filius; pueri Abrahamæ, prophetæ: pueri Isaac, apostoli et evangelistæ; et putei quos foderunt, libri quos scripserunt; puteus, qui vocatur latitudo, Evangelii prædicatio.

CAP. XI. *De benedictione Jacob.*

Nota est historia, quando Jacob Esau benedictione patris supplantavit (*Gen. xxvii*). Isaac significat Deum, a quo descendit benedictio super caput justi. Rebecca significat matrem gratiam, quæ Jacob de paterna benedictione consuluit. Jacob posterior natu, domi remanens, benedictionemque consequens, gentilem designat populum, qui post Israeliticum populum ad cognitionem divinam venit, et intra se cum matre gratia vota nutrit, quæ reddunt laudationes Deo: benedicatur ab eo in mundo per gratiam, in cælo per gloriam. Esau prior natu, foris venationi deserviens, benedictionem amittens, populum Israel significat qui ad Dei cogitationem venit, qui foris in littera justitiam quærit, et benedictionem cælestis hæreditatis dimittit. Pelles, quibus Rebecca filium cooperuit, confessionem exprimunt peccatorum. Cibus, sunt virtutes quibus Deus pascitur, dum per gentilem populum cooperante gratia exercetur. Vestes sunt bona opera legis quibus misericorditer gratia gentilem populum vestit, populo Israelitico foris stante et vagante. Vinum, designat gaudium in Spiritu sancto. Quo vino Dominum potamus, dum nos in Spiritu sancto exultamus. Isaac igitur Deus; Rebecca, gratia; Esau, Judaicus populus; Jacob, gentilis; venatio Esau forinseca, carnalium observationum custodia, et carnalis inscriptionis intelligentia. Pelles hædorum, confessio peccatorum; cibus, virtutum exercitatio; vinum, gaudium in Spiritu sancto; vestimenta bona opera; ager, cui benedixit Dominus, sancta Ecclesia, in qua redolet, testante beato Gregorio, flos uvæ per prædicationem, flos lilii per castitatem, flos violæ per humilitatem, flos spicæ per maturitatem honorum operum, flos olivæ per misericordiam, flos rosæ per patientiam. Odiovit Esau Jacob; odio habent populum Christianum ex gentibus collectum Judæi, videntes eum dominari sibi.

CAP. XII. *Quomodo perrexit Jacob ad Laban.*

Adepta benedictione, Jacob perrexit ad Laban avunculum suum: et obdormivit in quodam loco capiti suo lapide supposito: et vidit scalam in cælum erectam, et Deum innixum scalæ, et ascendentes angelos et descendentes. Deinde venit in agrum ad puteum juxta Aran, ubi greges pascebantur, et adaquabantur. Deinde conversatus cum Laban, accepit Liam, et Rachel filias ejus in uxores: et ex eis, et ancillis earum duodecim patriarchas genuit et apud Laban est locupletatus (*Gen. xxiii*). Jacob secundum sensum tropologicum, significat spiritum; Esau, corpus humanum. Jacob significat spiritum, quia spiritus lenis est, dum, suadente ratione, quærit tantum necessaria. Esau significat corpus, quia corpus pilosum est, dum, instigante concupiscentia, quærit superflua. De

PATROL. CLXXV.

A discordia istorum scriptum est: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap. ix*). Et iterum: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat. v*). Sed spiritus, accepta benedictione gratiæ, fugit mucronem corporalis concupiscentiæ, sicut Apostolus præcipit, dicens: *Fugite fornicationem* (*I Cor. vi*). Laban, qui interpretatur *dealbatio*, Dominum significat, qui summa munditia est, cui spiritus justi, dum carnales illecebras fugit, appropinquare et inhære concupiscit. Qui spiritus scilicet bene in itinere dormit, quando in spirituali perfectione, a strepitu præsentis sæculi quiescit. Et dormiens cælestia contemplatur; quia, dum bene claudit in rebus exterioribus oculos, intus meretur de invisibilibus mira videre. Qui nequaquam super terram, sed super lapidem caput ponit; quia firmam fidem Christi virtutibus et operibus suis fundamentum facit. Ager, ad quem Jacob venit, sacra Scriptura est, in qua diversi pastores, id est diversi doctores, diversos pascunt greges, diversos scilicet fideles. In hoc ergo pascuntur conjugati, et continentes et virgines. Alii pascuntur per historiam, alii per tropologiam. Omnes inde capiunt pastum nutrimenti, qui inde sumunt doctrinam recte vivendi. Puteus, de quo adaquabantur greges, divinam significat sapientiam, de qua potantur fideles. Lapis quo os putei operiebatur, intelligentiæ difficultatem exprimit. Et omnes doctores ad hoc in Scriptura laborant ut, remoto lapide, id est difficultate intelligentiæ, fidelibus administrent potum veræ et latentis sapientiæ. In hoc agro Deus occurrit justo, in obsequium suum illum assumens, et duas filias suas attribuit. Liam, quæ interpretatur *laborans*, id est activam vitam, et Rachelem, quæ interpretatur *visum principium*, id est vitam contemplativam. Datque famulam Racheli; ut illi serviat, firmam scilicet rationem. Et Liæ quoque famulam, incorruptam scilicet sensualitatem. Ratio namque subservit contemplationi, et sensualitas actioni. Multiplicatus est Jacob in filiis et pecoribus cum Laban, et justus ditatur sensibus spiritualibus, affectionibus, cogitationibus, sermonibus, operibus, habitans eum Deo. A Laban cum rebus suis furtive Jacob discedit; et justus nunquam minus caute se discutiens, virtutes a Deo collatas sibi latenter attribuit. Laban consecutus est Jacob fugientem in montem, et Deus consequitur justum per inanes cogitationes a se discedentem in elationem. Affirmabat Laban, quod quæcunque habebat Jacob erant de suis bonis, et Deus ostendit homini quod quæcunque habet bona, sunt ex suis donis: Jacob a Laban revertens, a fratre timuit occidi; et sensus humanus propter infirmitatem mortalitatis ad inferiora descendens, a corporis vitio timet tentari. Jacob noluit habere Esau socium in vita, nec vicinum in patria; et spiritus humanus spiritualibus donis ditatus, contemnit fervorem carnis habere, vel consortem in opere, vel affinem in delectatione. Jacob

igitur, spiritus: Esau, corpus; Laban, Deus; ager, Scriptura; puteus, sapientia; Lia, bona actio; Rachel, contemplatio; ditatio Jacob in prole et pecoribus, multiplicatio justi in virtute et bonis operibus.

CAP. XIII. *De virgis, quas decorticavit Jacob.*

Decorticavit Jacob virgas, et posuit ante oves in canalibus: et ille virgas variatas in conceptu intuentes, varios fetus parturiebant (Gen. xxx). Jacob significat sanctos prædicatores, et aqua Scripturam, et canales libros. Sicut namque Jacob ex aqua, et canalibus adaquabat commissos greges sibi, sic prædicatores et doctores ex universitate Scripturæ, et diversis ejusdem Scripturæ libris, sibi creditos reficiunt fideles. Virgæ variatæ, varias significant sententias. Quæ sententiæ ideo virgis comparantur, quia multis et gravibus comminationibus, de transgressionibus mandatorum Dei nos castigant. Oves sunt fideles, propter suam innocentiam. Oves ex intuitu variarum virgarum varios fetus pariunt, quando fideles quique ex locutione variarum sententiarum, varias exhibitiones operum producant. Jacob igitur prædicatores; oves, fideles; aqua, Scriptura: virgæ, sententiæ; variatio virgarum, differentiæ sententiarum varius; fetus ovium, multiplex effectus operum.

CAP. XIV. *De Dina filia Jacob.*

Exivit Dina filia Jacob, ut videret mulieres regionis illius; et corrupit eam Sichem, vi opprimens virginem (Gen. xxxiv). Sicut ex sanctorum verbis invenimus, Dina significat animam, rebus exterioribus nimis intentam. Regio, cujus mulieres Dina videre cupivit, mundum designat. Mulieres, exprimuunt animas diversis vitiis emollitas. Sichem diabolum exprimit, qui animam mundanis rebus curiosius intendentem, per concupiscentiam corrumpit. Dina igitur, anima; regio illa, mundus; exitus Dinæ, curiositas animæ; Sichem, diabolus; violatio Dinæ, corruptio animæ.

CAP. XV. *Historia de Joseph.*

Nota est historia de Joseph, quando a fratribus est venditus, et in Ægypto exaltatus (Gen. xxxvii). In hac figura, Jacob figurat Deum Patrem. Qui habuit greges, scilicet tribus Israeliticas, de quibus dictum est: *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus* (Psalm. xciv). Joseph, designat Christum, quem Pater præ omnibus [dilexit et diligit; quia ipse est filius per naturam, alii filii per gratiam: ipse per generationem, alii per adoptionem; ipse ex æternitate, alii ex tempore. Quem quoque pater tunica polymita induit, quando eum nostræ humilitatis natura vestivit. Joseph per somnia manipulorum et stellarum vidit fratres suos se adoraturus, et cognovit. Decem fratres gregem patris sui pascentes Pharisæos significant, qui tribus Israeliticas per Decalogum legis pascere debuerant. Significat autem Sichem legem, in quam Deus Pharisæos cum tribus sibi creditis miserat. Fratres Joseph derelinquentes Sichem cum gregibus sibi commissis, diverterunt in Do-

A thain, quæ interpretatur *defectio*; Pharisæi autem cum tribus Israel legem derelinquentes, in defectum prævaricationis descenderunt. Invidia decem fratrum erga Joseph innocentem et justum, est invidia Judæorum erga Christum. Fratres Joseph nudaverunt eum tunica sua, et Judæi Christum humanitate sua. Illi tinxerunt tunicam Joseph in sanguine hædi, isti humanitatem Christi sanguine ipsius fuso pro peccato populi. Illi posuerunt Joseph in puteum, isti Christum in sepulcrum. Joseph exivit de puteo, Christus resurrexit de sepulcro. Joseph Ismaelitæ transeuntes emerunt, et apostoli hic manentem civitatem non habentes, sed futuram inquirentes, omnia pro Christo reliquerunt. Ismaelitæ Joseph duxerunt in Ægyptum et apostoli prædicaverunt Christum per totum mundum. Exaltatus est Joseph in Ægypto, et Christus exaltatus est in mundo. Joseph implevit annona horrea regis Ægypti, et Christus Scriptura Ecclesiam Dei. Diversi populi infideles emerunt victum argento suo in horreis regis Ægypti, et diversi populi fideles effecti, enitent studio suo jam in Ecclesiis Dei. Fratres tandem ad Joseph venerunt, et cognoverunt eum, et in fine sæculi postquam plenitudo gentium intraverit, reliquiæ Israel salvæ fient, et convertentur ad Christum (Rom. xi). Jacob igitur, Deus Pater; Joseph, Christus; decem fratres, Pharisæi, scilicet populum sub Decalogo pascentes; Sichem, lex; Dothain, prævaricatio; tunica, humanitas; intinctio in sanguine hædi, passio pro peccato populi; cisterna, sepulchrum; Ismaelitæ, apostoli; Ægyptus, mundus; exaltatio Joseph in Ægypto, exaltatio Christi in mundo: horrea, Ecclesia; annona, Scriptura.

CAP. XVI. *De Jacob, et filiis ejus.*

Jacob, est Christus; ejus filii, duodecim apostoli. Hi sunt etiam fontes deserti, quos Israel reperit in Helim. Duodecim panes propositionis, duodecim lapides in veste pontificali; duodecim lapides de Jordane sublevati, duodecim boves sub æneo mari; duodecim stellæ in corona sponsæ, duodecim fundamenta; duodecim portæ, duodecim menses anni; duodecim horæ diei, duodecim fructus ligni vitæ.

CAP. XVII. *De Juda, ac filiis ejus et Thamar.*

Ascendit Judas ad tonsoras ovium suarum, et invenit Thamar sedentem in bivio: et dato pro arrhabone annulo, et armilla, et baculo, dormivit cum ea: et concepit mulier, et peperit Phares et Zaram (Gen. xxxviii). Judas significat Christum; oves, fideles Christi. Pastores ejus sunt doctores, qui adipe frumenti, id est verbo Dei, gregem Christi pascunt. Lana designat bona opera; Judas autem de ovibus suis lanam colligit, quando Christus a fidelibus suis bona eorum opera recipit. Thamar cum habitu meretricio est animam cum peccato. Quæ bene ad bivium vertit quando ad confessionem accedit. Meretrix sedens in bivio manifestat officium suum, vel consilium, et anima in confessione peccatum suum

Quam scilicet animam, Christus sicut Judas Thamar prægnantem facit, quando ei post confessionem peccati sui, dona Spiritus sancti infundit. Datque illi pro arrhabone futuræ retributionis, anulum, qui significat fidem; et armillas, quæ significant bona opera; et baculum, qui significat justitiæ rectitudinem. Thamar per Judam fecundata, edidit geminam prolem; et anima Spiritu sancto fecundata, parit virtutis exercitationem et boni operis exhibitionem. Judas igitur est Christus; oves, fideles; pastores, doctores sunt; lana, bona opera; Thamar, anima; sessio in bivio, confessio de peccato; annulus, fides; armilla, bona actio; baculus, justitiæ rectitudo; imprægnatio, gratiæ infusio; geminæ prolis editio, virtutum exercitatio et honorum operum exhibitio.

CAP. XVIII. *De duobus servis Pharaonis.*

Iratus est Pharaon duobus servis suis, quorum alter pincernis præerat, alter pistoribus, et misit eos in carcerem, in quo erat Joseph. Qui ibi viderunt somnia juxta interpretationem sibi congruam. Et restitutus est princeps pincernarum in gradum pristinum, princeps vero pistorum in patibulo est suspensus (Gen. xl). Rex Ægypti Dominum Deum significat, qui rex est totius mundi. Domus Pharaonis, paradysum designat, in quem posuit hominem quem formaverat; duo servi, duo genera hominum expriment, bonos et malos; pincerna, bonos; pistor, malos. Culpa servorum originale peccatum, pro quo omnes sicut in Adam peccaverunt, ita et in Adam de paradiso ejecti sunt. Carcer vero miseriam hujus mundi significat. Somnia sunt conscientiæ, quæ modo in nocte hujus sæculi futura præcurrunt stipendia. Boni per bonam conscientiam

A consequuntur bona, quia desiderium suum justis dabitur; mali, ex mala conscientia quasi a malo somnio consequuntur mala, quia quod timet impius, veniet ei. Joseph designat prælatos qui, ex auditu conscientiarum, et bona promittunt bonis, et mala minantur malis. Tres dies tria tempora sunt, tempus naturalis legis, tempus scriptæ legis, tempus gratiæ. Tempus naturalis legis fuit ab Adam usque ad Moysen; tempus scriptæ legis fuit a Moyse usque ad Christum; tempus gratiæ fuit a Christo usque ad finem mundi. Post ista tria tempora, quasi post tres dies auferet Deus de carcere præsentis mundi bonos et malos. Bonos quidem restituet in gradum beatitudinis supernæ, malos autem suspendet in tormento gehennæ. Rex igitur, B Deus; domus ejus, paradysus; duo servi boni et mali; culpa servorum, originale peccatum: carcer, mundus; Joseph, prælati; somnia, conscientiæ; tres dies, tria tempora; restitutio pincernæ, restitutio justorum in gradum innocentie et beatitudinis æternæ; pistoris suspendium, æternum impiorum tormentum; aves, sunt dæmones qui comedunt carnes pistoris, quia saturabuntur pœnis peccatorum.

CAP. XIX. *De aromatibus quibus conditus est Jacob.*

Mortuus est Jacob, et conditus est aromatibus (Gen. xlix). Jacob fidelem animam significat, quæ moritur mundo, ut vivat Deo. Mortua vero culpæ per pœnitentiam, vivit justitiæ per gratiam. Et conditur aromatibus, id est diversis virtutibus, ut in se deinceps incorrupta permaneat, et aliis in omni C loco Christi bonus odor fiat. Sepulcrum spiritualis vitæ designat secretum, in quo fidelis reconditur, ne præsentis sæculi fluctuatione turbetur.

LIBER TERTIUS.

IN RELIQUOS PENTATEUCHI LIBROS ET PRIMO IN EXODUM.

CAP. I. *De nativitate Moysi, et exitu Israel de Ægypto.*

Nota est historia de Nativitate Moysi (*Exod. ii seq.*), et quomodo invenit eum filia Pharaonis juxta flumen, et quomodo tradidit illum matri illius nutriendum, et postea adoptavit eum sibi in filium. Notum etiam est quomodo misit eum Deus ut educeret filios Israel de Ægypto, decem plagis flagellata, et quomodo mare Rubrum transierunt, et desertum, et ad terram promissionis, completis quadraginta annis, venerunt. Moyses juxta flumen significat quemlibet hominem, juxta fluvium præsentis sæculi positum; filia regis gratiam designat, quæ quemlibet ad vitam prædestinatum de fluxu sæculi liberat, et in filium adoptat, ut qui prius fuerat filius iræ, deinceps existat filius gratiæ. Quæ tradidit eum mulieri Hebrææ, scilicet matri ejus Ecclesiæ, ut quem gratia regenera-

D verat Ecclesia nutriat. Quæ videlicet sancta Ecclesia mulier recte dicitur, quia sponso suo Christo fideliter multos fideles parit et nutrit. Et hæc est Hebræa id est *transiens*, quia non habet hic manentem civitatem, sed futuram inquirat (*Hebr. xiii*). Moyses autem grandis effectus, scientia eruditus, in Ægyptum propter filios Israel mittitur, quia fidelis quilibet justitia enutritus, scientia Scripturarum imbutus, prædicator a Deo constituitur. Pharaon, qui interpretatur *negans eum*, id est Dominum, significat diabolum, qui eum negavit quando dixit: *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo.* Ægyptus interpretatur *tenebræ*, et significat sæculum, non secundum hoc quod homines vivunt, sed secundum hoc quod in ipso male vivunt. Principes ejus, dæmones sunt, qui ejus voluntati semper obediunt. Lutum in quo servierunt filii Israel Pharaoni,

eo quod lutum inquinat, luxuriam designat. Palea, eo quod levis est, et cito transvolat, vanam gloriam significat. Later quoque, qui de molli terra confectus, per decoctionem ignis durescit, humani cordis duritiam, per longam sive concupiscentiæ, sive libidinis aut avaritiæ consuetudinem decoctam ostendit : per quam multi serviunt in his omnibus hodie Pharaoni, qui tamen sunt ad vitam æternam prædestinati, et terram cœlestis patriæ adepturi. Flagellatio Ægypti destructionem significat sæculi, non secundum hoc quod divina providentia regitur, sed secundum hoc quod in ministerio prædicationis in sua malitia debilitatur. Primogenita principalia exprimunt vitia. Primogenita vero interficiuntur, quando per gratiam Dei principalia vitia destruuntur. Occisio agni passio Christi, per quam omnes electi liberantur a servitute diaboli et de captivitate præsentis sæculi. Cujus videlicet agni sanguine utrumque postem nostrum linimus (*Exod. xii*), cum passionem ejus et corde credimus, et ore confitemur (*Rom. x*). Lactucæ agrestes, amaritudinem exprimunt pœnitentiæ. Cum enim sacramento Dominici corporis communicamus, flagitia sub Pharaone retroacta deflere debemus. Accinctio renum significat continentiam. Calceamenta, quæ de coriis animalium mortuorum fiunt, mortalitatis memoriam significant. Baculi, quos tenere debebant in manibus, significant justitiam, in baculis enim rectitudo est. Festinatio comestionis celeritatem exprimit conversionis. Aurum Ægypti, quod filii Israel tulerunt, eo quod fulgidum est, philosophicam insinuat sapientiam. Argentum autem, quia sonorum est, significat eloquentiam. Arma, quibus filii Israel leguntur armati, virtutes insinuant, quibus contra vitia armamur : castitatem, per quam munimur contra luxuriam ; humilitatem, contra superbiam, et sic de cæteris virtutibus et vitiis. Farina non fermentata, quam secum tulerunt, simplicem et sanam doctrinam designat, hæretica pravitate minime corruptam. Mare Rubrum baptismum significat Christi sanguine consecratum. In mari Rubro submersus est Pharaon, et principes ejus, et in baptismo liberamur a potestate diaboli, et principum illius. Desertum, quod transito mari Rubro filii Israel intraverunt, vitam significat spiritualem, quam, accepta baptismi gratia, agere debemus. Quæ vita recte dicitur desertum, quia a multis deseritur, et a paucis colitur : quia quamvis multi vocati, pauci tamen sunt electi. Multi nomine tenus in vita sunt spirituali, qui prava voluntate sunt in vita sæculari. Amaleciti, qui primum filiis Israel armati occurrerunt, et reges qui postea contra eos pugnaverunt duorum vitiorum demonstrant genera, carnalia et spiritualia, cum duplici hoste pugnantia per diversos homines et dæmones. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus* (*Ephes. vi*). Jordanis, qui interpretatur *descensus*, significat mortem, et terra promissionis æternam beatitudinem.

A In transitu Jordanis inferior pars aquæ ad inferiora decurrebat, superior autem solidata subsistebat. Sic in morte inferior pars hominis, scilicet caro, inferius decurrit, quia terra est, et in terram superior pars ejus, id est anima, solidata subsistit, quia suam jam recipiens stolam, ad æternitatem transit. Duo vero sunt bona quæ nobis in cœlesti patria promittuntur : lac et mel. Lac, quia de carne est, significat humanitatem Christi ; mel vero, quia de rore cœli concrevit, designat ejus deitatem. Accipiamus itaque terram lacte et melle manantem : quia in hoc beatificamur, quod humanitatem Christi et ipsius divinitatem contemplamur. Ægyptus itaque, vita sæcularitatis ; desertum, vita spiritualis ; terra promissionis, vita cœlestis. Pharaon diabolus, principes ejus dæmones, lutum luxuria, palea vana gloria, aurum philosophica sapientia, argentum eloquentia, later duritia cordis, fluvius Ægypti fluxus sæculi. Moyses prædicatores, filii Israel Christiani, interfectio primogenitorum destructio principalium vitiorum, occisio agni passio Christi, agrestes lactucæ amaritudo pœnitentiæ, farina non fermentata simplex doctrina, mare Rubrum baptismus, populus Amalecitarum vitia carnalia, sive perversi homines. Og et alii reges vitia spiritualia, sive dæmones, terræ promissionis possessio æterna beatitudo, calceamenta mortalitatis memoria, baculi justitia, festinatio comestionis celeritas conversionis, accinctio renum continentia, duo postes fides et confessio.

C CAP. II. *De iis quæ spiritualiter Dominum vel Christum significant.*

Sunt quedam in Veteri Testamento quæ Christum spiritualiter significant : sicut agnus paschalis, columna, petra, et cætera quedam. Agnus paschalis significat Christum, quia sicut in occasione agni liberati sunt filii Israel de servitute regis Ægypti, sic in passione Domini liberati sunt filii electi de servitute diaboli. Columna, quæ filios Israel præcedebat, Christum significat, quia sicut columna præcedebat populum pergentem ad terram promissionis, sic Christus, factus obediens Patri usque ad mortem (*Philipp. ii*), præcedit populum Christianum exemplo passionis suæ, tendentem ad patriam vitæ cœlestis. *Per multas namque passiones et tribulationes oportet nos intrare regnum cœlorum* (*Act. xiv*). Nubes Christi significat humanitatem, ignis divinitatem. Petra, quæ virga percussa est, et aquam populo dedit, significat Christum, qui in ligno passus redemptionis nobis gratiam ministravit. Arca significat Christum. Quemadmodum enim in arca continentur duæ tabulæ legis, et manna, et virga, sic in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss. ii*), quibus ad cognitionem veritatis erudimur, et gratia spiritualis, per quam pascimur, et justitia, per quam regimur. Duæ etenim tabulæ designant sapientiam et scientiam, manna gratiam, virga justitiam. Sapientia et scientia Christus nos instruit, gratia pascit, justitia regit.

Quatuor annuli, qui arcæ inhærent, quatuor sunt Evangeliorum libri. Qui libri, quasi annuli rotundi sunt ex eo quod æternitatem, in qua finis non est, nobis promittunt. Vectes, quibus arca portabatur, semper inhærent annulis, quia prædicatores semper inesse debent quatuor Evangeliorum libris per meditationem et lectionem, ut portent arcam, id est Christum ad mentes audientium per prædicationem. Propitiatorium significat Christum. Sicut enim Dominus de propitiatorio propius fiebat filiis Israel, loquens Moysi de eo mandata sua sic in Christo propitiatus est humano generi, condonans peccata illius, sicut scriptum est: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (I Cor. v)*. Mensa propositionis significat Christum. In mensa namque propositionis panes erant. Et Jesus dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: et panis, quam ego dabo, caro mea est pro mundi vita (Joan. vi)*. Candelabrum significat Christum. Sicut enim candelabrum est instrumentum luminis, ita Christus in mundo manifestavit nomen Patris, ipso teste, qui ait: *Pater manifestavi nomen tuum (Joan. vii)*. Hastile candelabri, sanctam designat Ecclesiam, quæ est corpus Christi. Calami, qui de ipso procedunt, prædicatores sunt, qui nobis verbum vitæ personant. Scyphi, eo quod scyphis solet infundi potus, sunt auditores verbi. Sphærule, quæ et ipsæ inerant calamis, volubilitatem et velocitatem expriment boni operis. Lilia vero, eo quod lilia virent et candent, æternitatem et pulchritudinem designant æternæ retributionis. Tres calami egrediebantur ex uno latere, et tres ex altero, quia et ante incarnationem Christi et post, fuerunt qui fidem Trinitatis prædicarent. Tres scyphi, sphærule, lilia per singulos calamos tria tempora significant, quia electi ante incarnationem, ante legem, et sub lege, sub prophetis, et post incarnationem, tempore primitivæ Ecclesiæ, quæ congregata est de Israel, et in tempore Ecclesiæ, quæ congregata est de gentibus, et illius quæ in fine congreganda est de reliquiis Israel: inveniatur quasi scyphi, potum sitire gratiæ, quasi sphærule in via decurrere, quasi lilia donum retributionis exspectare. Quatuor scyphi in hastili, quatuor libri sunt Evangelii; septem lucernæ, septem dona Spiritus sancti; altare significat Christum; super altare offerebantur, sacrificia, et nos super Christum, id est super fidem ejus, debemus offerre bona opera, et orationum munera. *Altare*, inquit Dominus, *facietis mihi de terra (Exod. xx)*. Altare de terra, caro Christi de virgine Maria. Hircus emissarius, qui in desertum missus peccata auferebat, Christum significat. Ipse namque in cruce oblatum per mortem de mundo emissus abstulit non unius tantum peccata populi, sed totius mundi. Vitula quoque rufa, Christum significat. Ipsi enim caro recte dicitur vitula, quia incorrupta: et rufa, quia sanguine passionis perfusa. Istius cinere mundatur, quia per fidem mortis ejus justificamur. Serpens etiam æneus Christum significat. *Sicut enim Moyses exal-*

tavit serpentem in deserto, sic est Christus exaltatus in ligno (Joan. iii). Illi, qui respiciebant ad serpentem æneum, curabantur a morsibus serpentum, et qui vera fide respiciunt ad Christum, sanantur a suggestionibus dæmonum. Botrus, quem duo viri exploratores tulerunt in vecte, Christum, significat. Ipse namque est fructus vitæ, quo pascimur et fundit nobis primum vinum gratiæ, deinde gloriæ, quo inebriamur. Duo autem viri exploratores, prophetas et apostolos significant qui secreta, cœlestis patriæ, et Christum pro nobis per Scripturas suas in hunc mundum attulerunt. Lignum autem vectis, lignum designat crucis. Et sicut ille, qui præcedat ex duobus viris botrum portantibus, botrum post tergum non vidit in vecte, sic Christum præcedens prophetarum cuneus, patientem non vidit in cruce. Ille autem, qui sequebatur, botrum vidit, quia chorus apostolorum, qui post ipsum in mundo remansit, vel post ipsum de mundo exivit, et præcedentem eum in carne, et patientem eum in cruce respexit. Decem exploratores, qui pravis sermonibus corda filiorum Israel ab ingressu terræ promissionis averterant, infideles Judæos sub Decalogo legis positos designant, qui cœlestia promissa per fidem Christi quærere detrectant. Duo autem exploratores, qui populum ad ejusdem terræ introitum fideliter exhortati sunt, electos Christianos sub duobus præceptis charitatis positos expriment, qui cœlestis patriæ jucunditatem introire totis visceribus concupiscunt. Agnus igitur paschalis est Christus; columna, Christus; petra, Christus; arca, Christus; propitiatorium, Christus; mensa, Christus; candelabrum, Christus; altare, Christus; vitula, Christus; serpens, Christus; hircus, Christus; botrus in vecte, Christus in cruce.

CAP. III.—*De Ægypto, deserto et terra promissionis.*

Ægyptus, quæ interpretatur *tenebræ*, carnem significat. Quid enim cæcius, quid tenebrosius carne? quæ nisi ratione refrenetur, semper quærit delectabilia, nunquam utilia. Desertum designat animum, eo quod a multis deseritur, et a paucis recolitur. Pauci vero sunt qui de prævaricatione ad cor redeunt, ut virtutes animi exercent. Terra promissionis exprimit Deum. Sicut enim in terra promissionis temporalis libertas, sic in Deo consistit æterna felicitas. Egrediamur itaque de Ægypto, id est de tenebris carnis, et concupiscentia per desertum, id est per animum, virtutes ejus exercendo, et de virtute in virtutem proficiendo tendamus ad terram promissionis, scilicet ad Deum, in quo nobis omnium plenitudo bonorum promittitur. Ægyptus igitur, caro; desertum, animus; terra promissionis, Deus.

CAP. IV. *De mandato dilectionis.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. (Deut. vi). Postquam homo Creatorem per culpam primordiale deseruit, et in hujus mundi miseriam devenit, multis subjicitur curis, occupatur actionibus, et laboribus fatigatur, et ex his omnibus, in quibus homo sub sole distenditur, unum est, quod est optimum, et permanet, scilicet Deo servire, quia

cætera sunt transitoria, cætera vana. Quisquis autem Deo non servit vanus est, et pro nihilo debet æstinari. Vita ejus nihil valet, et melius esset ei non esse quam male esse, et non vivere quam male vivere. Et si talis homo in præsentī vita habere posset fortitudinem Samsonis, pulchritudinem Absalonis, sapientiam Salomonis, velocitatem Hazaclis, divitias Cræsi, probitatem Alexandri, potestatem Octavii [Octavini], qui totum mundum in sua potestate habuit, et longitudinem vitæ Henoch, qui in principio sæculi natus est, et usque in finem non morietur; si, inquam, talia et tanta in præsentī possideret, ut ei cuncta faverent, nihil ei prodessent, quoniam quidem Deo minime servisset.

His etenim omnibus transactis, demum cum moreretur, caro misera vermibus, et spiritus daretur dæmonibus, et tormentis gehennalibus, donec in die resurrectionis omnis caro in suam redigatur originem, et tunc sumpta carne, per quam peccavit, æternam itidem sustinebit damnationem. Optimum itaque est Deo servire; qui, quamvis homo in omni vita sua corporalibus et temporalibus, destituatur bonis, si tamen serviat Deo, de miseria vite præsentis ad beatitudinem transit æternam. Cum igitur inter omnia vitæ præsentis sæculi, quæ genus humanum sequitur, aut consequitur, optimum sit soli Deo, et permanens bonum ei servire, quærendum est omnibus modis quid sit Deo servire: et cum quæsitum fuerit et inventum, indesinenter in eo perseverandum. Solus enim, qui in eo perseveraverit, beatus erit. Fratres, brevi sermone, dulci atque jucundo comprehenditur et declaratur quid sit servire Deo. Deo namque servire, est Deum diligere. Qui non diligit, non servit; et qui diligit servit; qui parum diligit, parum servit; qui multum diligit, multum servit; et qui perfecte diligit, perfecte servit. Quid res possidet temporales, terras, vineas, greges, armenta, vestes pretiosas, domos, aurum, argentum, uxorem, quam multum diligit, si se viderit unum ex his omnibus, aut hæc omnia simul contra Dei dilectionem habere, debet omnia relinquere, et omnia pro divina dilectione postponere. Sed et vitam suam debet homo pro Dei dilectione contemnere, si contigerit quod non possit unam cum altera pariter conservare. Sic fecit Petrus, sic fecit Paulus, fecerunt alii apostoli et martyres Christi, qui non solum sua, sed et semetipsos pro amore Dei tradiderunt. Qui et ipsi homines fuerunt, et nobis exemplum qualiter faciendum sit reliquerunt. Debemus itaque Deum diligere, qua ipse prior dilexit nos, dona sua multiplicia conferendo alia nobis dando, alia promittendo, et in omnibus, ut ita dixerō, meruit a nobis, ut diligatur a nobis. Minimum donum, quod Deus dedit homini, ut diligatur ab homine, totus est mundus iste. Causa namque hominis fecit Deus mundum, cælum, terram, mare, solem, lunam, stellas, volucres, pisces, bestias, herbas, arbores, et quæcumque visibilibus subsistunt. Cum igitur inter dona Dei minimum do-

num sit mundus, quantum putas est maximum? Secundum Dei donum, quod Deus dedit homini, est quod fecit eum ad imaginem et similitudinem suam; magnum et amirabile donum Dei prorsus facturam factori fieri consimilem et conformem. Tertium donum est gratia, quam nobis contulit in redemptione, quando proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. viii). Quartum nobis servat et promittit donum, scilicet futuræ gloriæ: unde nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I Cor. ii). Donum ergo primum possumus dicere, donum creaturæ; secundum, donum naturæ; tertium, donum gratiæ; quartum donum gloriæ. Pro his omnibus debemus Deum diligere. Sed ex quanto debemus diligere eum? Ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ex tota mente. Ex toto corde, id est sapienter; ex tota anima, id est dulciter; ex totis viribus, id est fortiter; ex tota mente, id est memoriter: et quibuscumque aliis modis dici potest, quia non potest nimis dici quod non potest nimis amari. *Et proximum tuum sicut teipsum* (Matth. xix). Debemus diligere proximum sicut nosmetipsos, beneficio, verbo, voto. In beneficio, est opus bonum; in verbo, est sanum consilium; in voto, pium desiderium. In his omnibus diligamus proximum in hac vita, quem consortem, habituri sumus in patria.

CAP. V. *De præceptis legis naturalis et scriptæ.*

Sub lege naturali duo præcepta fuerunt, tria sacramenta. Duo præcepta: *Quod tibi non vis, alii ne feceris*; et: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis*. Tria sacramenta, sunt decimæ, oblationes, sacrificia. Decimæ, in portionibus; oblationes, in rebus; sacrificia, in animalibus. Sub lege scripta fuerunt multa præcepta, et multa sacramenta. Præcepta legis scriptæ, alia fuerunt mobilia, alia immobilia. Mobilia, sunt quæ ex dispensatione a Deo sunt ordinata. Immobilia, sunt quæ a natura veniunt, et vel ita mala sunt, ut nullo tempore sine culpa possint fieri; vel ita bona, ut nullo tempore possint sine culpa dimitti.

CAP. VI. *De duabus tabulis.*

Prima tabula dicta est, quæ excellentiora continet mandata, quæ pertinent ad dilectionem Dei. Secunda autem, quæ inferiora et proxima post hæc præcepta continet, quæ pertinent ad dilectionem proximi. Vel prima tabula dicitur, in qua continentur præcepta, quæ informant ad bonam operationem. In prima tabula, tria sunt præcepta; quia quod fide creditur, Trinitas, est. In secunda tabula, septem sunt præcepta; quia in præsentī vita tantum (quæ septem dierum circulo volvitur) officia humanitatis proximo exhibentur. Tria verò et septem, denarium complent, quia perfectum fides recta facit et operatio bona. Primum præceptum primæ tabulæ ad Deum pertinet Patrem, sicut præceptum primum secundæ tabulæ ad hominem patrem, ut in utroque paternitas principii auctoritate honoretur. In prima tabula, est præceptio et prohibitio; similiter in se-

cunda, ut utrobique studeas facere quod debes, et cavere quod facere non debes. In altero namque si offendis delictum est; in altero vero peccatum. Facere enim non facienda, peccatum est; facienda autem non facere, delictum est.

CAP. VII. *De quatuor Sabbatis.*

Quatuor Sabbata commemorare videtur Scriptura. Primum est illud, in quo Deus perfectis operibus suis requiescere dicitur. Secundum est illud, quod filiis Israel carnaliter custodiendum mandatur. Tertium est illud, quod populo Dei servandum præcipitur. Quartum est illud, quod in promissione Sabbatum pro Sabbato Deus suis dilectoribus pollicetur. Nunc ergo duo sunt Sabbata, exterius unum, et interius unum; unum Dei, et unum hominis. Sabbatum Dei illud, quo exterius ab opere cessasse dicitur; sacramentum, est illius interioris Sabbati, ubi mens sancta per bonam conscientiam a servitute peccati, quiescens in gaudio Spiritus sancti jucundatur. Hoc Sabbatum quisquis in præsentem ita servaverit, ut nullis consentiat malis, perveniet in futura vita ad æternum illud Sabbatum Dei, ubi nulla sentiet mala, sicut dictum est: *Et erit Sabbatum ex Sabbato, mensis ex mense (Isai. LXVI).*

CAP. VIII. — *De furto, mendacio et perjurio.*

Non furtum facies (Exod. xx). Furtum accipitur in hoc loco pro qualibet illicita usurpatione rei alienæ, sive occulta, sive manifesta. Qui enim furtum prohibuit, rapinam non concessit, cum majus peccatum sit, ut testantur sancti, aperte violenter rapere, quam occulte subtrahere, quia majus odium et iram majorem excitat. Sub furto etiam comprehenditur usura. Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi: quæ præsentialiter adest, vel postea evenit. Nam si quis alteri promiserit se quid daturum, habens voluntatem dandi, postea vero mutata voluntate dare nollet, mendacium esset; non quia cor in promissione duplex fuit, sed quia promittens cor postea duplicavit. Perjurium, est mendacium sacrosancta attestazione inducta confirmatum.

CAP. IX. *De constructione tabernaculi, et de offerendis in eo.*

Tabernaculum significat Ecclesiam. Tabulæ designant animas. Quæ bene de lignis Sethim esse dicuntur, quia animæ sunt, et immortales per naturam, et incorruptibiles per gratiam. Bases argenteæ fidem significant, supra quam sancta fundatur Ecclesia, vel fundata consistit. Quæ bases ideo non convenienter plures sunt, quia unicuique distribuit Deus secundum mensuram fidei. Alius habet fidem et cognitione et affectu magnam; alius cognitione et affectu parvam; alius cognitione magnam, et affectu parvam; alius cognitione parvam, et affectu magnam. Duæ bases singulis tabulis supponebantur, quia fides in duobus consistit, cognitione et affectu; vel quia Deum credimus esse Creatorem universorum, et Redemptorem electorum. In constructione tabernaculi hujus offerre debemus aurum, argen-

tum, æs, hyacinthum, etc. Aurum propter fulgorem, sapientiam exprimit, quæ in cordibus fidelium relucescit. Argentum, quia clarum est et dulcem habet tinnitum, eloquentiam designat. Æs, quia percussum magnum reddit sonitum, significat prædicationem per orbem terrarum longe lateque sonantem. Hyacinthus, quæ aerium sive cœlestem prætendit colorem, cœlestium bonorum significat spem, sive cœlestem conversationem. Purpura significat corporis passionem, ad quam parati esse debemus pati pro Christo. Coccus, quia flammam imitatur, exprimit charitatem, quæ in cordibus sanctorum flagrascit. Qui coccus bis tinctus dicitur, quia per duplicem dilectionem, Dei videlicet et proximi coloratur. Byssus, quia candet, castitatem significat. Pelles hyacinthinæ, viros cœlestem vitam agentes; ligna Sethim, viros in fide firmos. Oleum, quia cæteros liquores excellit, misericordiam designat, quæ alias virtutes antecellit vel transcendit. Aromata et thymiamata, bonæ famæ redolentiam significant. Unguentum, dulcedinem et pinguedinem, sive suavitatem prætendit internam. Lapidis pretiosi propter suum fulgorem, miraculorum significant operationem, longe lateque coruscantem. Atrium, significat rudimenta inchoantium. Columna, quosque fortes et perfectos exprimit viros. Decem cortinæ, illos significant, qui Decalogum legis explent. Undecim saga, illos significant, qui pro transgressione legis, asperam agunt pœnitentiam. Undenarius namque qui denarium transgreditur, significat Decalogi transgressionem; et quia saga sunt, aspera, pœnitentiæ asperitatem. Ansulæ, quibus cortinæ copulabantur, virtutes sunt sanctorum quibus ipsi junguntur. Circuli aurei, perpetuum fulgorem futuræ retributionis insinuant. Sancta, præsentem designant vitam. Sancta sanctorum, vitam æternam. In sanctis gratia; in Sanctis sanctorum, gloria. In Sanctis, meritum; in Sanctis sanctorum præmium. Velum exprimit cœlum, quia et cœlestia et terrena discernit. Moyses sive Aaron Christum significat, quia sanctam Ecclesiam construit et sanctificat. Beseleel et Oliab, doctores et prædicatores significant. Diversa vasa, sunt animæ diversis donis sanctificatæ, et officiis et ordinibus servientes. Introitus tabernaculi, exprimit vitium sæculi, posterior pars tabernaculi finem mundi. Pars australis, Judæos significat ab antiquo radiis divinæ cognitionis illustratos. Pars septentrionalis, gentiles a claritate divinæ cognitionis ab initio longe remotos. Illi erant per fidem clari et calidi; isti per infidelitatem, obscuro et frigidi.

Tabernaculum igitur, Ecclesia; singulæ tabulæ, singulæ animæ; bases, fides; decem cortinæ sancti Decalogum complentes. Undecim saga, justi de transgressione legis pœnitentiæ satisfactionem exhibentes. Ansulæ, virtutes; circuli rotundi, æternæ retributiones. Sancta, præsens vita; Sancta sanctorum, æterna vita, velum, cœlum. Moyses sive Aaron, Christus; Beseleel et Oliab, doctores et prædicatores. In constructione hujus tabernaculi debe-

mus offerre aurum per sapientiam; argentum per eloquentiam; aes per prædicationem; hyacinthum per cœlestium honorum spem, vel per cœlestem conversationem; purpuram per passionem, sive per compassionem; coccum his tinctum per geminam dilectionem; byssum per castitatem; thus per orationem; oleum per misericordiam; thymiamata per bonam famam; et sic cætera quæcunque poterimus bona justitiæ habere. Perquam multa sunt, quæ de his dici possent, nisi nostri sensus brevitatem excederent. Sed quædam ex omnibus breviter perstrinximus, ne totum præterire videamus. Quod historicæ narrationis ordinem plerumque transgredimur nihil impedit. Nihil enim obest ordinis ista transpositio, si tamen historicæ veritas conservatur. Nam hujusmodi transpositio, majorem B nonnunquam intelligentiam parit, et memoriam.

CAP. X. *De sacrificiis.*

Habent quoque sacrificia significationes suas: debemus Domino offerre vitulum, bovem, agnum, etc. Vitulus donec crescat et in tauri robur erumpat: eo quod pro ætate possit agi ad libitum ducentis, significat obedientiam, quæ incedit secundum nutum præsentis. Bos quoque quia findit ungulas, et actionem arando complet, significat animam discretam et perfectam, non inconvenienter exprimit operationem. Ovis, quia innocens est animal, innocentiam significat. Capra et hircus, eo quod ex pilis eorum saga solent fieri, in quibus fit pœnitentia, pœnitentiam significant. Agnus, quia vellus et corpus habet mundissimum, munditiam designat. Sicut columba, quia simplex et sine felle est, simplicitatem; et turtur, quia castum animal, castitatem significat. Sal designat sapientiam, quia sicut sal condit cibaria, sic sapientia virtutes et bona opera. Farina non fermentata, simplicem explicat doctrinam ab omni hæretica pravitate puram. Sicut enim fermentum farinam corrumpit, sic hæresis corrumpit doctrinam.

Offeramus igitur vitulum per obedientiam, bovem per operationem discretam, ovem per innocentiam, agnum per munditiam, capram et hircum per cujuslibet culpæ pœnitentiam, columbam per simplicitatem, turturam per castitatem, salem et farinam per sapientiam et doctrinam. Et hæc omnia debemus offerre sine fermento hæreticæ pravitate, sine melle sæcularis dulcedinis; quia fermentum quod exprimit hæreticam pravitatem, et mel quod designat sæcularem dulcedinem, in sacrificiis Veteris Testamenti prohibebantur. Sacrificium quod partim cremabatur, partim reservabatur, significat bonam inchoationem. Holocaustum, quod totum cremabatur, consummationem. Eodem modo sacrificium matutinum, inchoationem significat; vespertinum, consummationem designat. Sacrificia igne cocta bona opera, quæ fiunt per fervorem interni amoris. Aqua cocta, significant opera, quæ fiunt per gratiam compunctionis: libamen vini, ebriationem mentis exprimit, quæ per consolationem confertur Spiritus

A sancti. Possumus quoque dicere, quod quælibet hostia designat bonam conversationem; pellis hostiæ, ejusdem conversationis superficiem; caput, initium; cauda, finem; intestina, occultam virtutem; ablutio hostiæ, munditiam vitæ honestæ. Pellem hostiæ detrahimus, et hostiam membratim dividimus, cum delicta, conversationis nostræ exterius specie, interius ratione decernente, singula nostra opera pro loco, tempore, modo, intentione, discutimus diligenter, ne nos vitium fallat sub specie virtutis, aut culpa sub specie rectæ operationis.

CAP. XI. *De mensa propositionis.*

Mensa propositionis, significat sacram Scripturam, quæ quot sententiis nos instruit, tot panibus nos reficit. Quatuor epistylia mensæ, quatuor sunt sensus Scripturæ, historia, allegoria, tropologia, anagoge, quibus ipsa erigitur, et a terrenis elevatur. Labium, significat prædicationem Scripturæ. Circuitus labii exprimit perseverantiam prædicandi. Quasi labium namque per circuitum ducitur, dum prædicatio nusquam terminatur. Quatuor annuli, quatuor sunt Evangeliorum libri. Qui recte dicuntur annuli eo quod nobis æternitatem, in qua finis non est, præmittunt. Corona interrasilis, differentiam designat mentis. Corona aurea illi superposita, fulgorem præmii. Duodecim panes, apostolicam, designant doctrinam. Acetabula, mordacem et crebram, scilicet contra vitia, significant increpationem. Phialæ, quæ majorem capiebant mensuram, abundantem et perfectam exprimunt scientiam et doctrinam. Cyathi, qui minus capiebant, angustiorum scientiam et doctrinam significant. Thuribula, eo quod thus cum oratione solet offerri, orationem non inconvenienter designant. Mensa igitur, Scriptura; labium ejus, prædicatio; circuitus labii, continua sollicitudo prædicandi; quatuor annuli, quatuor Evangeliorum libri; vinctes, prædicatores; duodecim panes, apostolica doctrina; acetabula, increpationis acerba; phialæ, abundans scientia sive doctrina; cyathi, scientia vel doctrina angusta; thuribula, oratio devota.

CAP. XII. *De via trium dierum.*

Ibimus viam trium dierum in deserto, et sacrificamus Domino Deo nostro (Num. x). Unus dies, spes; unus dies, fides; unus dies, charitas. Primus dies lucet; secundus lucet et calet; tertius lucet et fervet. Via trium dierum, exercitatio est virtutum spiritualium, quia qui viam dierum istorum consummat, gratum Deo sacrificium immolat; quia quisquis has tres virtutes habet. Deo placet quidquid operatur, aut exercet. Debemus autem offerre ovem per innocentiam, agnum per munditiam, et cætera, quæ de sacrificiis sunt supra exposita. Sed hæc omnia sunt abominationes Ægyptiorum, quia cunctæ virtutes et cuncta bona opera sunt abominatio dæmonum et pravorum hominum.

CAP. XIII. *De duobus Testamentis.*

Vetus Testamentum, significat Novum; lex, gratiam. Lex data est per Moysen, gratia per Christum.

Lex data est die quinquagesimo postquam celebratum est pascha in terra Ægypti: gratia data est die quinquagesimo post resurrectionem Domini. Lex data est in monte excelso; gratia nata est sursum in cœnaculo. Lex data est in fulgoribus igneis, gratia data est in linguis igneis. Lex data est duodecim tribubus, gratia data est duodecim apostolis. Lex scripta est in duabus, tabulis gratia constat in duobus præceptis charitatis.

CAP. XIV. *De duabus tabulis, duobus cherubim, et duabus tubis.*

Dnæ tabulæ Testamenti, in quibus lex erat scripta digito Dei, significant duo Testamenta. Duo Cherubim, eo quod Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ, duo Testamenta significant, quia in ipsis perfecta scientia continetur. Dnæ quoque tubæ argenteæ, duo significant Testamenta; quia eorum prædicatione, prædestinati ad vitam, convocantur ad unitatem Ecclesiæ, et ad sublimitatem vitæ æternæ.

CAP. XV. *De unctione et vestibus sacerdotis.*

Unctio, qua sacerdotes consecrabantur, gratiam significat Spiritus sancti. Sacerdotes unctione consecrantur, quando fideles quique, gratia Spiritus sancti perfusi justificantur. Linea interior, quæ candet et non apparet, munditiam cordis designat, quæ non omnibus, sed Deo nota est. Feminalia, quæ femora cingebant et tehebant, continentiam carnis recte significant: Superhumeralia, quod super humeros ponebatur, eo quod in humeris onera ferre solemus, præsentium laborum tolerantiam insinuat. Tunica quæ exterius erat et apparebat, bonam actionem significat, qua coram proximo munimur et ornatur. Balteus, quo tunica cingebatur, ne circa pedes sacerdotis deflueret, ejusdem actionis bonæ designat expeditionem. Rationale, quod circa pectus erat, quo videlicet pectore cor continetur, in quo sapientia est, sapientiam et discretionem apte significat. Cidarum, quo capilli capitis stringebantur, cogitationum præterdit sebricitatem. Quasi cidari namque stringunt capillos capitis, dum in sua sobrietate continent cogitationes mentis. Lamina, in qua nomen Dei scriptum est, fidem Dei exprimit, per quam ipse nobis innotescit. Tinnabula, quæ sonabant in veste pontificali, sonum significant prædicationis. Unctio igitur sacerdotis, gratia est Spiritus sancti; linea interior munditia cordis; feminalia, carnis continentia; superhumeralia, laborum tolerantia; tunica, bona actio; balteus, ejusdem actionis expeditio; rationale, sapientia et discretio; lamina in fronte, sanctæ fidei prædicationis.

CAP. XVI. *De præputiis arborum.*

Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis; nec comedetis ex eis (Levit. xxxix). Ligna pomifera, sunt opera perfecta virtutibus. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis in-

B firmitate suspecti, primordia operum nostrorum non approbamus. Poma autem quæ germinant, immunda existimamus, nostrisque cibis non aptamus; quia, cum primordia laudantur boni operis, dignum est ut animam non pascat operantis, ne dum accepta laude suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur.

CAP. XVII. *De sacerdotibus reprobandis ex libro Pastoralis Curæ beati Gregorii.*

Dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offerat panem Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus (Levit. xxi). Ubi repente subjunxit: Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, et lorto naso, si fracto pede, si mancus, si gibbosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus (Ibid.). Cæcus quippe est, qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui præsentis sæculi pressus tenebris, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressum operis porrigat nescit. Hinc etenim, prophetante Anna, dicitur: Pedes sanctorum suorum servabit, et impij in tenebris conticescent (IV Reg. ii). Claudus est, qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam non valet perfecte tenere quam videt; quia ad virtutis statum, dum fluxa consuetudo non erigitur, quod innititur desiderium, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc etenim Paulus dicit: Remissas manus, dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur (Hebr. xi). Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis non est idoneus. Naso quippe odores, fetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, vitia reprobamus. Unde in laude sponsæ dicitur: Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano (Cant. vii), quia nimirum sancta Ecclesia, quæ ex causis singulis tentamenta prodeant per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum existimari se hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est exercentes ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur, vel grandi, et torto naso. Nasus enim grandis et tortus, immoderata subtilitas discretionis est: quæ plusquam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede, vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exsors vacat: quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnino alienus existat. Gibbosus vero est, quem terrenæ sollicitudinis pondus premit; ne unquam ad superna respiciat, sed solis iis intendat, quæ in infimis calcantur. Qui tametsi aliquando, aliquid ex homo patriæ cœlestis audierit: ad hoc tamen perversæ nimirum consuetudinis pondere prægratius, faciem cordis non attollit; quia cogitationis statum erigere

non valet, quem terrenæ sollicitudinis usus curvum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista ait : *Incurvatus et humiliatus sum usquequaque* (Psal. cxviii). Quorum culpam per semetipsum Dominus reprobans ait : *Semen autem, quod in spinas cecidit, ii sunt qui audiunt verbum Dei, et a sollicitudinibus, et divitiis mundi conculcati, non referunt fructum* (Luc. viii). Lippus vero est, cujus ingenium ad cognitionem quidem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmitate palpebræ grossescunt, et sic dum crebra infusione oculi gravantur, etiam acies pupillæ vitiatur.

Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recte, et sublimiter per ingenium poterant, sed usus pravorum actuum caligant. Lippus quippe est, cujus sensum natura exacuit, sed prævæ conversationis assiduitas confundit. Cui bene per angelum dicitur : *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas* (Apoc. iii). Collyrio quippe oculos ut videamus inungimus, cum ad cognoscendum veri luminis claritatem, nostros intellectus aliquo medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ vel justitiæ est cæcatus. Pupilla namque oculi nigra, videt albuginem tolerans, nihil videt; quia videlicet sensus humanæ cogitationes si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit, et eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se præ arrogantia exaltat, sicut de quibusdam dicitur : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. i). Jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur; quia, si cordis delectatio usque ad operationem prosilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit, et foris jam corpus sauciat, quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (I Cor. x). Ac si aperte diceret : Humanum quidem est in corde tentationem perpeti, diabolicum vero est in tentationis certamine, et in operatione fatigari. Impetiginem vero habet in corpore quisque, avaritia vastatur in mente. Quæ si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quoque sine dolore corpus occupat, et absque occupati tædio increscens, membrorum decorem foedat, quia avaritia captum animum dum quasi delectat, exulcerat; dum adispiscenda quæque cogitationi ejus objicit, ab inimicitias accendit. Et dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo de-

pravatur, et quasi totum corpus exasperat; quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante, qui ait : *Radix omnium malorum est cupiditas* (I Tim. vi). Ponderosus vero est, qui turpitudinem non exercet in opere, sed tamen ab hac cogitatione continua, sine moderamine gravatur in mente. Qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo repugnationis stimulo delectatur. Vitium quippe ponderis est, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciviam luxuriæ defluens, pondus turpitudinis gestat in corde. Et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente, nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis igitur cuilibet horum vitio subicitur, panes Deo offerre prohibetur, ac profecto diluere aliena non valet delicta is quem devastant propria.

CAP. XVIII. De victimis ex libro Isidori.

Diversitas victimarum, vel quæ offerre Deo debeant, vel non, in Levitico dinumerantur; sed per comparisonem peccatorum conversatio hominum demonstratur. *Homo igitur, si obtulerit victimam pacificorum Deo, vel votum solvens, vel sponte offerens, tam de ovibus quam de bobus immaculatum offerat, ut acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini. Bovem, aut ovem, aure vel cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum ex eis fieri non potest. Omne animal, quod vel contritis, vel tunsis, vel sectis, ablatisque testiculis, non offeretis Domino Deo vestro, et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, vel quæcunque alia dare voluerit, quia corrupta et maculata sunt omnia, non suscipietis ea, etc.* (Levit. xxii.) Primo rejicitur a sacrificio maculosum animal vel varium, id est illi in quibus est diversitas peccatorum, et nunc libidine, nunc cupiditate, nunc in diversis criminibus demutantur. Rejicitur quidem et cæcum animal, id est is qui nec Dominum videt, nec opera ejus facit. Fractum quoque, id est criminalibus vitiis vexatus atque collisus. Rejicitur et cicatricem habens, qui non digna satisfactione vulnera peccatorum suorum deplorat, sed adhuc veteris morbi signum per desideria voluptatis intus servat. Rejicitur et lingua amputatum, id est, qui Deum non confitetur, nec divinam legem meditatur. Rejicitur et papulas habens, id est qui prurigne libidinis, et ardore concupiscentiæ æstuat. Similiter et scabiosum, id est qui peccatum carnis perficit contagio operis. Jam vero impetiginem habens, significat hæreticorum collectionem, qui frequenter se in Ecclesiæ corpus immergunt, et impetiginis livorem faciunt. Aure amputata, sunt ii qui verbo Dei non obediunt, non faciunt quæ jussa sunt.

Quod vero caudam habet amputatam, ille est qui bona quæ incipit perseveranti fine non perficit. Porro dejectum vel testibus amputatum, indicat eos qui omni tempore turpitudinis usu effeminantur. His ergo criminibus involuti, a sacrificio Dei reprobantur, nec efficiuntur consortes passionis Christi, nec cœlestis sanctificationis. Sed neque panis alienigenæ offeretur Domino, id est, doctrina hæreticorum, sive studia superstitiosa sæcularium litterarum, quæ extra fidem sunt et aliena putantur. Tales enim repudiantur hostiæ a Domino, et rejicitur hoc sacrificium a catholica Ecclesia.

CAP. XIX. *De primogenito bovis, et ovis.*

Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium (Deut. xv). In primogenito bovis operari, est bonæ conversationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ovium quoque primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona nostra denudare. In primogenito ergo bovis operari prohibemus, et a primogenito ovium tondendo compescimur, quia si quid robustum exercere incipimus, hoc in aperto citius ostendere non debemus; sed cum vita nostra simplex qui et innocuum inchoat, dignum est ut secreti sui velamina non relinquat: nec hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat. Ad sola ergo sacrificia divina boum primogenita oviumque proficiunt, ut quidquid forte vel innocuum incipimus, hoc ad honorem interni judicis in ara crucis immolemus: quod ab illo tanto libentius accipitur, quanto cautius ab hominibus occultatum nullo laudis appetitu maculatur. Sæpe autem novæ conversationis principia adhuc carnali vitæ sunt admista, et idcirco citius innotescere non debent, ne cum laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent.

CAP. XX. *De muliere capta in bello.*

Si exieris ad bellum contra inimicos tuos, et videris mulierem decora specie, et cupieris eam, rades capillos capitis ejus, et ungues, et indues vestibus lugubribus, et sedebit in domo tua lugens patrem suum, et matrem, et domum paternam, et post triginta dies erit tibi uxor (Deut. xxi). Si decora mulierem, id est, animam, quæ a Deo pulchra creata est, in gentili conversatione invenerimus, et eam sociare corpori nostro, id est, Christo voluerimus, deposito idololatriæ cultu, induatur lugubribus vestibus pœnitentiæ, deploretque patrem et matrem, id est, omnem memoriam mundi, ejus-

que cernales illecebras; demum verbi Dei novacula et doctrinæ omne peccatum infidelitatis abradat, quod mortuum est et inane. Hæc sunt enim capilli capitis et ungues mulieris. Et ita demum salutaris lavacri unda purificata conjungitur sanctis servis Dei, cum jam nihil in capite, nihil in manibus habuerit, ut neque in sensibus, neque in actibus immundum aliquid aut mortuum gerat. Quod vero post triginta dies jam duci jubet uxorem, ternario ac denario fides opusque signatur. Per fidem ergo Trinitatis et opus legis recte fidelibus sociatur. Quæcunque anima, vero Israelitæ, scilicet corpori Christi adhærens, sine macula debet esse fidei sinceritate, et actuum puritate. Alii putaverunt hanc mulierem decoram specie, rationabilem aliquam disciplinam significare: quæ sapienter dicta invenitur apud gentiles. Hanc igitur repertam a nobis, oportet primum auferre de ea et resecare omnem superstitionis immunditiam, et sic eam in studio veritatis assumere. Nulla enim apud infideles sapientia est, cui immunditia non sit admista.

CAP. XXI. *Non arandum in bove simul et asino.*

Non arabis in bove simul et asino (Deut. xxii). In bovis nomine populus ex circumcissione positus sub jugo legis accipitur, in asino autem populus gentium, pertinens ad Evangelium. Bove simul et asino arat, qui sic recipit Evangelium ut Judaicas superstitiones, quæ in umbra et imagine præcesserunt; et cæremonias non relinquat. Item in bove nonnunquam vita bene viventium vel operantium, in asino stultorum corda figurantur. Ac si diceret: fatuum sapienti in prædicatione non socias, ne per eum qui rem implere non valet et illi qui prævalet obsistas. Bovem vero et asinum, si necesse sit, unusquisque sine detrimento operis jungit. Sapientiam autem et stultum, non ut unus præcipiat, et alter obtemperet, sed ut pariter æquali potestate annuntient verbum Dei, non sine scandalo quisque comites facit.

CAP. XXII. *De veste ex lana et lino contexta.*

Non indues vestem ex lana et lino contextam (Deut. xxii). Per lanam quippe simplicitas, per lino vero subtilitas designatur. Et vestis, quæ ex lana et lino conficitur, lino interius celat, in superficie lanam demonstrat. Vestum igitur ex lana linoque contextam induit, qui sub locutione innocentiae intus subtilitatem celat malitiæ. Lineis quoque vestibus lanam misceri, est ordinate vivere, ut vel sanctimonialis habeat vestimenta nuptiarum, vel ea quæ se non continens nupsit sub specie virginis vivat.

LIBER QUARTUS.

IN LIBROS JOSUE, JUDICUM ET RUTH.

PROLOGUS.

His breviter supra Pentateuchon competenter

prælibatis, ad Josue librum manum mittamus, ut mysticas ejus significationes partim secundum no-

strum sensum, partim secundum verba sanctorum A Patrum, aperiemus.

CAP. I. De Josue et transitu Jordanis.

Moyses servus meus mortuus est. Surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel, etc. (Josue 1.) Moyses, qui dedit legem, significat legem. Moyse mortuo, id est lege secundum carnales et veteres observantias mortua, id est, consummata sive finita, statim Jesus Salvator noster, qui populum suum a peccatis eorum liberavit, Jesus inquam, Filius Dei manifestatus est, princeps super populum electus est (*Matth. 1*), ut expugnatis hostibus Dei, dividat dona Dei populo. Jesus namque filius Nave, sicut ait Hieronymus, in typum Domini non solum in gestis, verum et in nomine, trans Jordanem hostium regna subvertit. Dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, aquas, atque confinia Ecclesiae et caelestis Jerusalem spiritualia regna descripsit. Sic Jesus noster Christus, ejecto principe mundi et militibus ejus foras, in electis operatur, dummodo unicuique manifestatio spiritus ad utilitatem datur: *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum (I Cor. xii)*. Et postmodum, unicuique secundum differentiam donorum tribuetur differentia caelestium honorum, et secundum merita tribuentur bona perpetua.

Jordanis significat baptismum; quia, sicut populus Israeliticus, stantibus in Jordane sacerdotibus, intravit terram promissionis, sic populus Christianus, ministrantibus sacerdotibus baptismum, jucunditatem et requiem vitae spiritualis subintrat. Pars superior Jordanis in dulcedine permansit, pars inferior in amaritudinem marinam defluxit; quia electi baptizati gratiae dulcedinem custodiunt, reprobi vero in amaritudinem vitiorum, amissa dulcedine gratiae, fluunt. Josue bisenas turbas praecedens, Christum significat, qui nos praecedens ducit, qui apostolicae fidei veritatem tenemus et praedicamus. Quasi enim duodecim turbae Christum sequuntur, dum fideles quique per verbum D duodecim apostolorum credentes in Christum, ipsum imitantur.

Duodecim lapides, quos duodecim filii Israel sustulerunt de Jordane, significant apostolicae fidei et vitae firmitatem. Secunda circumcisio, quae per Josue facta est, designat post carnalem circumcisionem spiritualem. Sed et pascha, quod filii Israel, transito Jordane, celebraverunt, significat veri paschae, et veri Agni comestionem. Duodecim quoque lapides de Jordane tollimus, quando apostolicae fidei, et vitae firmitatem mente tenemus. Angelum quoque an noster, an adversariorum sit percontamur, dum quid sit bonum, quidve malum discrete discutimus.

CAP. II. De filiis Ruben, et Gad, et de dimidia tribu Manasse.

Exercitum filiorum praecedunt filii Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse pugnaturi, quorum patres in filiis matrum suarum fuerunt primitivi: et antiqui justi nos praecedunt exemplis, virtutibus et verbis contra hostes nostros et spirituales nequitas armati. De hoc Origenes: Videmus, inquit Isaiam, Jeremiam et alios accinctos, expeditosque ad auxilium nostrum, qui voluminum suorum jaculis cordis nostri hostes acerrimos vulnerant. Accingitur et Daniel ad auxilium nostrum, cum nos de regno Christi et Antichristi futura fraude instruit et praemonet. Adest Ezechiel, sacramenta nobis caelestia in quadriformibus rotarum oculis signans. Docet et Osee bisenas agminis turmas, et praecedunt nos praecincti lumbos in veritate, quam praedicant in auxilium nostrum.

CAP. III. De subversione Jericho.

Arca clangentibus tubis, septem diebus circum Jericho circuitur, et Jericho substernitur, et Raab funiculo coccineo in fenestra posito liberatur, et Achan pro furto regulae aureae, et pallii coccinei lapidatur (Josue, vi, vii). Jericho, quae interpretatur luna, significat praesens saeculum, quod quasi luna ad perfectionem et defectionem perducitur, dum modo elevatur, modo adversis decrescit et humiliatur. Videmus annorum circulos, per quos saeculum volvitur, solo tempore veris terrae poros aperiente ad similitudinem lunae primae lucem primariam exponentis germina parturire. Deinde, sicut per diuturnas [diversas] successiones cernimus lunam ad plenitudinem pervenire, sic aspiciamus de terra quaeque prodeuntia, per caloris vivificationem et humoris vegetationem, maturitatem et perfectionem suam in aestate consummare. Postea vero, quasi luna decrescens minuuntur, dum naturali calore et humore deficiente, in autumno moriuntur. Ad ultimum autem in hiemem quasi ad quoddam interlunium redeunt, dum frigoribus asperitatibus attrita, ad occultum iterum naturae sinum recurrunt, et se nostris aspectibus subducunt. Sic et in hominibus, bestiis, avibus, piscibusque videmus: quae postquam adesse prodeunt, prius ad perfectionem venire laborant, deinde per defectum ad non esse festinant. Sic, sic cernimus gloriam praesentis saeculi nunc oriri, nunc crescere, nunc exaltari, nunc minui, nunc ad nihilum redigi. Arca, quae, sicut supra dictum est, significat Christum, circum Jericho septem diebus portatur, dum Christus usque in finem saeculi, quod septem dierum curriculo volvitur, in mundo praedicatur. Hujus arcae vectores, sunt sancti apostoli, et praedicatores de quibus scriptum: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum (Psal. xviii)*. Tubae aeneae, fortem et invincibilem praedicationis designant auctoritatem. Quas clangentes manibus tenent, dum sancti praedicatores quod clangunt voce, complent opere. Muri Jericho, philosophica significant argu-

menta, sive culturam idolorum per circuitum mundi roboratam et exaltatam, quæ per circumductionem arcæ et clangorem tubarum corruerunt; quia per Christi prædicationem per orbem terrarum sonantem, perierunt. Viri Jericho interficiuntur, dum homines sæculi sæcularibus negotiis dediti in perpetuum condemnantur. Raab meretrix, electam ex gentibus Ecclesiam significat, quæ quondam fuit serviens, et subdita multis amatoribus, id est multis dæmonibus. Raab, ut salvaretur, funiculum coecum in fenestra foris posuit, quem domi habuit; et sancta Ecclesia, ut salvaretur, passionem Christi ore confitetur, quam corde credit. Achan regulam auream et pallium furatur, et in valle lapidatur: et falsus quilibet christianus, vel hæreticus philosophicam sapientiam (quæ per auream regulam significatur) et sæcularem cultum (qui per pallium designatur) in Ecclesiam inducens, inferno condemnatur. Aurum, argentum et quælibet metalla, sive Jericho, sive civitatem aliarum per ignem purgata, in opus Domini assumuntur; quia philosophorum sapientia, vel eloquentia, sive quælibet doctrina eorum, sacræ Scripturæ examinatione ab omni erroris sorde purificata, in divinæ prædicationis ministerio non reprobatur. Maledicatur, qui Jericho reædificat, et maledictus est, qui malitiam sæcularem in baptizatis destructam verbo pravo vel exemplo reducit et restaurat. In primogenito suo ponit fundamentum, et in novissimo liberorum portas ejus, quia per hanc culpam amittit, et quod primum acceperat donum naturæ, et quod accepit ultimo donum gratiæ, ut jam illi ad salvationem nihil valeat utrumque. Sed et cuncta, quæ illius sunt, igne consumuntur, dum corpus ejus, et anima, et quidquid in utroque possidet, gehennali conflagratione comburantur.

CAP. IV. De civitate Hai.

Civitas quoque Hai significat mundum, non in eo quod est creatura Dei, sed in eo quod in ipso superabundat malitia diaboli, et concupiscentia generis humani. Viri Israel post urbem in insidiis latent nocte, prophete sancti antiqui sunt, qui ante adventum Josue ad Hai, id est ante adventum Christi in mundum quasi in nocte latuerunt, quia in Veteri Testamento antequam nobis oriretur sol justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. 1). Domino in umbra legis et figuris futuri Salvatoris, ipsum Salvatorem præcedentes, servierunt. Sed rex Hai ignoravit insidias Israelitarum; quia diabolum latuerunt obscura ænigmata prophetarum, et secreta mysteria legalium figurarum, et non noverat modum redemptionis, idcirco temere sicut rex Hai Josue aggressus est præsentiam expugnare Redemptoris. Josue contra regem Hai, se invalidum et impotentem simulavit, et fugam iniit, et sic se superari fingendo, regem Hai callide debellavit, quia Christus humanitatis infirmitatem præterdens, dum se a diabolo tentari et a ministris ejus, ipso cooperante, crucifigi permi-

sit, diaboli superbiam humiliavit, et ejus malitiam sapienter superavit. Elevatio scuti exaltationem designat fidei. Hai quoque igne consumitur, dum omnis qui diligit iniquitatem infernalibus flammis crematur. Seniores, qui erant cum Josue et cæteri bellatores, apostolos expriment et prædicatores. Rex vero et exercitus ejus occiditur, cum diabolo et ministris ejus nocendi potestas divinitus auferatur.

CAP. V. De altari quod construxit Josue.

Josue, subversis hostibus, altare ex lapidibus quod ferrum non tetigerat construxit (Jos. viii). Deuteronomium in eo scripsit, et populum ad benedicendum et maledicendum divisit. Nobiliores tribus ad benedictionem, ignobiliores ad maledictionem constituit. Lapidem, ex quibus Josue altare constituit, sunt sancti in fide firmi, qui per dilectionem operantur. Quos ferrum non tangit, quia eos nulla crudelitatis culpa corrumpit. Qui dum in unitatem fidei et concordiam charitatis conveniunt, unum altare faciunt. Deuteronomium, quod interpretatur *secunda lex*, significat Evangelium. Quod in hoc altari scripsit Dominus, quando dixit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mæchaberis. Ego autem dico vobis: Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo (Matth. v)*. Qui juxta montem benedictionis incedebant, illos significant qui sine metu pœnæ infernalis, promissionis cœlestis amore succensi veniunt ad salutem. Illi vero, qui juxta montem maledictionis incedebant, illos designant qui non amore benedictionis, sed promissionis, sed futurorum suppliciorum timore, complent quæ in lege scripta sunt, ut perveniant ad salutem. Sed nobiliores eos esse constat, qui boni ipsius desiderio et æterna benedictionis amore quod bonum est agunt.

CAP. VI. De dolo Gabaonitarum.

Interea Gabaonite, metu perterriti, cum fraude et calliditate venerunt ad Jesum, pannis, calceamentisque veteribus induti, deprecantes ut salvarentur. Statimque a Jesu salutem accipiunt. Qui tamen dolum ubi agnovit, ligni cæsores, vel aquæ gestatores eos constituit (Josue ix). In quorum figura, illi ostenduntur, qui de mundo ad Ecclesiam venientes, habent fidem in Deo, et declinant caput suum sacerdotibus, sanctisque ministrant, et serviunt, et aliquid utilitatis impendunt. Ad ornamentum etiam Ecclesiæ, vel ministerium prompti sunt; in moribus vero suis, et conversatione pristina detinentur, retinentes veterem hominem cum actibus suis, et induti vetustis vitiis, sicut et illi pannis et calceamentis veteribus obiecti, et propter hoc quod in Deum credunt, erga servos Dei et Ecclesiæ cultum videntur esse devoti, nihil tamen emendationis vel annovationis habent in moribus. Tales igitur tantummodo quoddam salutis signum, intra Ecclesiam temporaliter præferunt, inter Israeliticas autem, id est inter sanctos Dei, regnum æternum vel

libertatem minime consequuntur. Quod autem in Gabaon pugnante Jesu Nave stetit perhibentur sol et luna, donec Israelis inimici delerentur (*Josue x*), significat quod noster Jesus multo magis modo interventu suo, dum nos bellum gerimus adversus vitiorum gentes et *colluctamur adversus principes et potestates, et rectores, tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiae in caelestibus* (*Ephes. vi*), sol nobis justitiae indesinenter assistit, nec deserit nos unquam, nec festinat occumbere, quia ipse dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (*Matth. xxviii*). Quinque autem reges, quinque sensus indicant, qui Gabao-nitas, id est carnales homines expugnant. Hi ad speluncam confugiunt (*Josue xiii*), cum se terrenis actibus in corpore obsiti mergunt. Qui tamen pugnante Jesu, id est praedicatione evangelica superantur, atque ingrediente verbo Dei in nobis, id est intra speluncam corporis nostri, omnes pariter interficiuntur. Exstinctis deinde vel ejectis gentibus, Josue sorte dividit populis terram promissionis. Ejecit ergo et Christus a facie fidelium suorum quodammodo gentilium errorem, malignos spiritus, et sorte divisit in nobis terram, omnia operans unus atque idem spiritus, ac dividens dona propria unicuique prout vult (*II Cor. xii*).

CAP. VII. *De levitis.*

Quod vero habitacula ut suburbana, et oppida levitis a Jesu per omnes tribus decernuntur, significat quod ii, qui in Ecclesia Dei, doctrinae gratiam administrant, prorsus ab omnibus quibus dispensant divina, terrena subsidia, quae non habent, suscipiant, ut impleatur illud apostoli praecipuum dicentis: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, non est magnum si carnalia vestra metamus* (*I Cor. ix*). Et merito isti per cunctas tribus divisi dicuntur, quia dispensatione cunctorum vivunt. Quod autem quadraginta duas urbes accipiunt (*Num. xxxv*), indubitanter ipsa praedictio sanctorum signatur. Ipsi enim possident doctrinam, quae constat legis Decalogo, et quadrifido Evangelii numero, quasi quaterdenas habentes urbes. Quibus et duae adduntur, quia nimirum cuncta, quae praedicant, morali ac mystico sensu annuntiant.

CAP. VIII. *De Chananæis tributariis.*

Illud autem quod Israelitico populo, cum praecipua promissionis terra partiretur, Ephraim tribui Chananæorum gentilis omnino populus accedit, sed factus tributarius dicitur sicut scriptum est: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim, tributarius* (*Josue xvi*), exponamus. Quid enim tributarius, nisi subjectionem servitutis, quod Chananæus nisi vitium significat? Sæpe enim in magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, quia sæpe intima de aeternitate rimamur. Sed dum interemptis sublimibus vitiis, quaedam tamen parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subicere non possumus, ad usum no-

stræ humilitatis retorquemus, ut eo de se mens et in suis vitiis sentiat, quod suis viribus etiam parva, quae expetit, non expugnat. Unde bene rursum scriptum est: *Hæc sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel* (*Judic. iii*). Quaedam namque minima vitia nostra retinentur ut se nostra intentio sollicita in certamine semper exercent, et eo de victoria non superbiat, quod vivere in se hostes conspiciat, in quibus adhuc vinci formidat. Israel igitur reservatis gentibus eruditur, quia quando in quibusdam vivimus vitiis, elatio virtutis nostrae comprimitur, et mens nostra in parvis sibi resistentibus discit, quod ex se non subiciat majora.

CAP. IX. *De successoribus Josue.*

Post mortem Josue, consuluerunt filii Israel Dominum dicentes: *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli* (*Judic. i*). etc. Sicut Josue significat Christum, ita successores Josue significant apostolos et ceteros Ecclesiae doctores et rectores, quorum discretionem, providentiam et doctrinam sancta gubernatur, munitur et eruditur Ecclesia. Quando autem filii Israel peccaverunt, tradidit eos Dominus in manus regum alienorum; quando vero poenituerunt, suscitavit eis principem, qui liberaret eos. Sic quando peccamus, vires contra nos demonibus praebemus; quando vero ad Deum convertimur, mittit nobis doctores, qui nobis ostendant viam salutis et subjectis hostibus, restituant gratiam libertatis. Qui significantur per Othoniel, Aioth et alios. Legimus de Samgar, quod sexcentos interfecit vomere uno. Ita et nos debemus aliquando recondito mucrone excommunicationis et acerrimae increpationis corda auditorum vomere discretæ exhortationis, et temperamento blandi sermonis erumpere et sic exercitum demonum de finibus eorum propulsare, et populum Dominicum veræ libertati reddere.

CAP. X. *De Debora,*

Debora quoque, quae interpretatur *loquela*, sermonem significat propheticum. Est habitans sub palma, quia ad palmam nos supernae vocationis exhortatur. Ista Debora vocavit Barach, qui interpretatur *coruscatio*, et significat populum Judaicum: qui ad modicum in bono coruscavit, sed quasi coruscatio cito defecit. Vocavit eum ad bellum contra Sisaram, id est contra diabolum. Sed Barach victoria non ascribitur, dum per Jahel mulierem alienigenam Sisara interficitur; quia dum Judaicus populus diabolo non resistit; sancta Ecclesia de gentibus collecta, ligno Dominicae crucis eum viriliter occidit, dum in eum veraciter credit, qui in ligno pro nostra salute pependit. Sic sunt nonnulli quibusdam gratiae donis praediti, doctrina et eloquentia clari: qui cum viriliter diaboli suggestionibus resistere deberent, muliebriter tepescunt; et alii infirmi et minorem gratiam his habentes, viriliter eos repellunt. Sic quoque religionis habitu palliati, ab incepto devotionis cadunt fervore, et alii sub habitu constituti

sæcularii, ad ipsum totis viribus assurgunt: Illi, A quos ex Israel Debora arguit ad bellum non venisse, sunt Christiani et infideles quique, qui terrenis incumbunt, et in ipsis requiescunt, et ad spirituale bellum nunquam veniunt, quia prophetis exhortationibus minime credunt. *Quare, inquit ad Ruben, habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum?* (*Judic. v.*) Qui sunt termini isti, inter quos pravi habitant, nisi termini vitiorum et peccatorum. Habitant enim inter terminum superbæ et aediæ, inter terminum avaritiæ et luxuriæ, et gulæ, et rapinæ: et sic de cæteris. Habitant inter terminos, dum hinc subjecti inquinamento carnis, illic inquinamento spiritus, vel certe inter terminos habitant. *Quia ore confitentes se nosse Deum, factis negant* (*Tit. i.*) Nunquid non habitant B inter terminos illi, de quibus dictum est: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Marc. vii; Isa. xxix*). Isti audiunt sibilos gregum, id est strepitus vitiorum, vel hominum carnaliter viventium: qui quasi greges, id est bruta animalia, duce diabolo gregatim, et insensate currunt ad tormenta. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus. Aser in littore maris habitabat, et in portibus morabatur. Jordanis, qui interpretatur *descensus*, significat humilitatem. Galaad igitur, qui trans Jordanem quiescebat, et ad bellum cum Debora venire detrectabat, designat sæculares homines, qui rerum transeuntium affluentia superbi, in elationis vitio secure quiescunt, et ad spirituale bellum venire C contemnunt. Mare autem, significat sæculum, et naves in mari currentes, actiones sæculares. Dan itaque, qui vacabat navibus, illos exprimit qui actionibus sæcularibus invigilant: et idcirco contra hostes spirituales pugnare recusat Aser, qui habitabat in littore maris et in portibus morabatur, illos significat, qui, quamvis pro virium imbecillitate sæcularium tentare negotia non valent: sæculo tamen et sæcularibus rumoribus, et actionibus in quantum possunt, adesse et adhærere laborant. Galaad igitur, Dan est Aser, ad bellum cum Debora non veniunt, quia superbi quique et sæcularibus negotiis se implicantes, et sæculum adamantes, militare Christo despiciunt. Zabulon vero et Nephthalim obtulerunt animas suas morti. Duces Issachar D fuerunt cum Debora. Isti, qui cum Debora fuerunt Domini bello, illos significant qui carnem suam in bello tentationum per abstinentiam crucifigunt. *Qui, inquit, ascenditis super nitentes asinos, qui ambulatis in via, et sedetis in iudicio, loquimini* (*Judic. v.*) Qui sunt nitentes asini, nisi corpora casta; asini, per illam, quam exhibent spiritui, sujectionem; nitentes, per castitatem. Via designat Christum; Iudicium autem, discretionem boni et mali. Vos igitur, quia ascenditis super nitentes asinos, id est qui corpora casta custoditis, qui ambulatis in via, id est qui in Christo recte vivitis, et sedetis in iudicio, id est qui verum a falso, bonum a malo discernitis, loquimini. Quid

loquimini? Justitiam inquit. *Peccatori namque dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* (*Psal. xlix*). *Pugnaverunt reges juxta aquas, et tamen nil tulerunt prædantes* (*Judic. v*). Reges ad aquam pugnant, cum dæmones sanctos invigilantes lectionibus et meditationibus sacræ Scripturæ tentant, qui prædantes nil ferunt, quia victi et confusi descendunt. De cælo quoque contra eos dimicatur, dum sanctis auxilium, in tentationibus divinitus præbetur contra dæmones. Stellæ etiam contra Sisaram pugnant, dum sancti angeli cœlitus missi nobis in auxilium, diabolus superant. *Benedicta Jahel, id est sancta Ecclesia, inter mulieres id est inter alias nationes, benedictione cœlesti in Christo. Aquam petenti, lac dedit* (*Ibid*). Aquam diabolus petit, quando doctrinam hæreticam et sæcularem sapientiam a calore fidei frigidam proferri et disseminari concupiscit. Sed Ecclesia sancta lac tribuit, quia simplicem doctrinam prædicare non desinit. Debora igitur, prophetia; Barach, populus Judaicus; Sisara, diabolus; Jahel, sancta Ecclesia.

CAP. XI. *Sensus allegoricus de Area.*

Solent doctores in figura per aream Gedeonis (*Judic. vi*), accipere mundum et per vellus beatam Mariam; per rorem, gratiam. Vellus namque rore profusum est, quando beata Virgo Christum concepit. Et deinde area quando sancta Ecclesia, quæ per mundum diffusa est, in ipsum cecidit.

CAP. XII. *Sensus moralis de Area.*

Possumus et secundum moralem sensum per aream, in qua Gedeon triticum virga purgabat, significare latitudinem cordis; per virgam, rectitudinem discretionis; per triticum virtutes; per paleas, vitia. Virga namque in area triticum purgamus, quando in corde nostro, vitia a virtutibus virtute discretionis separamus. Gedeon itaque in hoc casu, quisque fidelis est; area, cor; triticum, virtutes; virga, discretio; palea, vitia.

CAP. XIII. *De Gedeone et bello Madianitarum.*

Gedeon (*Judic. vii*), significat Christum. Madianitæ, significant dæmones; vitia, pravos homines. Trecenti vero qui cum Gedeone pugnaverunt viri, apostolos significant et apostolorum successores, Ecclesiæ doctores, et rectores, et omnes electos fide sanctæ Trinitatis signatos. Qui bene aquam non flexo poplite bibunt; quia, dum scientiam Scripturarum hauriunt, statum suæ rectitudinis ad ima non reflectunt. Illi namque dum aquam bibunt, genuflectunt; qui et Scripturas scrutantur, et ad terrenorum cupiditatem deformiter inclinantur vel incurvantur. Sancti etiam in manibus tubas tenent, et lagenas cum lampadibus. Tubæ designant sonum prædicationis, et lagenæ fragilitatem corporum. Lampades, splendorem miraculorum. Sancti tubis sonant, quia eloquia divina incessanter prædicant. Lagenas tenent in manibus, et frangunt, quia corpora sua et abstinentiæ, et laboribus, et morti pro Christo libenter supponunt. Lampades tenent, quia miraculis longe lateque refulgent. His omnibus san-

eti præditi, et dæmones territi vincuntur, et sancti victores efficiuntur.

CAP. XIV. *De Gedeone, et uxoribus ejus, et filiis.*

Gedeon (*Judic. viii*), sicut in præcedenti figura diximus, significat Christum. Multæ Gedeonis uxores, multæ Ecclesiæ sunt, vel multæ nationes, Christo per fidem adhærentes; filii Gedeonis, sunt singuli Christiani. Concupina, de qua genuit Abimelech, Synagogam designat. Quæ ideo concupina, quia peccatrix. Abimelech (*Judic. ix*), significat Antichristum, qui, congregatis, perditis nationibus, sicut Abimelech trucidavit fratres suos, sic et Antichristus persequetur servos Dei Christianos. Joathan minimus, qui ex omnibus fratribus suis solus evasit et montem benedictionis ascendit, exprimit eos qui ascendunt per gratiam montem vitæ spiritualis, et sic evadunt culpam damnationis. Videamus etiam parabolam Joathan contra viros Sichem prolata: *Ferunt, inquit, ligna silvarum, ut ungerent super se regem (ibid.)*, etc. Quid per ligna silvarum accipimus, nisi nationes quaslibet infructuosas, et homines in peccatis positos et inveteratos, et æternis incendiis paratos? Oleum significat misericordiam; quia, sicut oleum excellit cunctos liquores, ita misericordia cunctas virtutes. Et solemus Patri misericordiam assignare, sicut ipsum benedictes dicimus: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum (II Cor. i)* Per oleum ergo vel olivam, non inconvenienter exprimitur Pater. Per vitem designatur Filius, qui dixit: *Ego sum vitis (Joan xv)*. Per ficum vero, quæ suavem et dulcem habet fructum, figuratur Spiritus sanctus, de quo scriptum est: *Quam suavis, Domine, Spiritus tuus in nobis? (Sap. xii.)* Et sapientia: *Spiritus meus super mel dulcis (Eccli. xxiv)*.

Ad olivam igitur, vitem, et ficum ligna silvestria veniunt, et regem quærent, dum infructuosi quique, Patri, et Filio, et Spiritui sancto labiis dolosis dicunt: *Domine, Domine*. Sed oliva, vitis, ficus, regnum silvestrium lignorum respuunt, quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus homines pravos et infructuosos (nisi fructuosi fiant) in filios regni non assumunt. *Non enim omnis, ait, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est (Matth. vii)*. Sicut viri Sichem, Abimelech, ita ligna silvarum rhamnum in regem accipiunt, quia iniqui principatui Antichristi se submittent. Sed sicut illa alterutro igne devorantur, sic isti communi culpa condemnantur. Possumus quoque per oleum, vel olivam significare fidelem, excellentem misericordiæ virtute. Per vitem, quemlibet eximium virtute sapientiæ. Per ficum, alium præpollentem gratiam dulcedinis internæ. Ligna itaque ad olivam, vitem, ficum, ut ex ipsis regem accipiant veniunt, cum quælibet infructuosæ congregationes, aliquem virum misericordem, vel sapientem, vel dulcem, in prælatum sibi requirunt. Sed oliva, vitis, regi-

A men tale respuunt, qui electi quique per pravorum malitiam, si in regimine eorum constituentur, proprio se fructu privari, illis nihil prodesse pertimescunt. Deinde ligna rhamnum supra se regem levant, cum iniqui alium iniquum spinis peccatorum obsitum in rectorem expostulant. Isti quoque alterno igne devorantur, dum perversi subjecti, et perversus eorum prælatus, alterutro furore et iracundia conturbantur.

CAP. XV. *De Jephthe.*

Jephthe (*Judic. xi*) quoque, sicut, doctores exponunt, significat Christum. Sicut namque Jephthe a fratribus ejectus accepit principatum, sic Christus a Judæis refutatus, accepit principatum super populum fidelium. Sicut Jephthe liberavit populum filiorum Ammon; sic Christus electos de servitute dæmonum. Jephthe per victoriam sacrificavit filiam, et carnem suam Christus immolavit.

CAP. XVI. *De Samsone.*

Samson (*Judic. xiii*) significat Christum. Per angelum nuntiata est nativitas Samsonis, et per angelum annuntiata est nativitas Salvatoris. Samson leonem interfecit, et Christus diabolum occidit. Samson de faucibus leonis extraxit favum, et Christus de faucibus diaboli genus humanum. Cera, cor; mel, spiritus. Samson duxit uxorem alienigenam, et Christus gentilem Ecclesiam. Samson stravit Allophylos, et Christus stravit spirituales et corporales inimicos. Samson apportans portas Gazæ, ascendit montis supercilium, et Christus fractis portis inferni, ascendit in cælum. Samson plures hostium prostravit moriens, quam ante fecerat vivens, et Christus plures moriendo, quam vivendo.

CAP. XVII. *Moralitas de eodem.*

Secundum sensum tropologicum, Samson significat quemlibet fidelem, in fide fortem; qui leonem interficit, dum diabolum interficit, vel vincit; favum e faucibus leonis extrahit, dum se vel alium a subjectione diaboli eruit. Allophylos prosternit, dum de se vitia spiritualia, et carnalia expellit. Sed iste talis ac tantus aliquando vincitur, et molere compellitur, dum videlicet tentationibus superatus, et spiritu et corpore affligitur. Sed resurgentibus roboratus crinibus, plures hostium quam ante interficit, quia donis gratiæ iterum confortatus, ad majorem triumphum etiam post lapsum, et in fine pertingit.

CAP. XVIII. *De Ruth.*

Terra Moab significat gentilitatem; Ruth, Ecclesiam gentilem; terra Israel, conversationem spiritualem: propinquus, qui Ruth non accipit, Joannem Baptistam; Booz, Christum; ager, mundum; segetes, homines; messorum, angelos. Sic igitur ænigmatibus multis et figuris in Veteri Testamento præsignatum est mysterium humanæ redemptionis.

LIBER QUINTUS.

III LIBRUM I REGUM.— AB HELCANA USQUE AD DAVID.

PROLOGUS.

In prædictis de libro Josue, et libro Judicum, quædam secundum sanctorum dicta Patrum, quædam secundum sensum nostrum elucidavimus. In sequentibus vero manum ad librum Regum vertimus, et in ipso similiter quædam secundum ingenium nostrum, quædam secundum verba sanctorum Patrum exponemus.

CAP. I. De Helcana et uxoribus ejus.

Fuit vir unus, de Ramathaimsophim de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, etc. (I Reg. 1). Elcana interpretatur *Dei possessio*, quæ est Filius Dei, Dicens: *Dominus possedit me* (Prov. viii). Qui bene dicitur, vir unus non numero, sed quia nunquam mutatur, nec de se alter efficitur. De Ramathaimsophim, quæ dicitur excelsa eorum, id est specula, hoc est superna Jerusalem, de qua veniens speculationem docuit, et morte sua possidere fecit. Jeroboam, misericors; Eliu, Deus meus ejus; Suph, fundens, quia misericordia ad nos veniens, in passione ait: *Deus meus* (Matth. xxvii), ubi semetipsum exinaniens effudit: *Unde effusum unguentum nomen tuum* (Cant. 1). Effusum a suis invisibilibus ad nostra visibilia. Ephraim, frugifer, quod donis Spiritus sancti abundat. Et habuit duas uxores, Annam et Phenennam. Phenenna, est Synagoga, quæ fecunda primo, Deo filios generabat per legem, sed jam propter infidelitatem infecunda manet. Anna sterilis, Ecclesia gentium, quæ olim sterilis a patre spirituali, nunc gratia Christi redempta parit prolem Deo. Anna, quæ interpretatur *gratia*, Deo filios per baptismum genuit, et per Spiritum sanctum. Phenennæ, id est Synagoge, et filiis dedit partes, id est temporalia bona juxta illud: *Dedit illis regiones gentium* (Psal. cii). *Et quia primum credita sunt illis eloquia Dei* (Rom. iii), *Annæ*, id est Ecclesiæ gentium, *dedit partem unam* (I Reg. 1) scilicet ingenium. Unde abiit *tristis* (Ibid.); quia concluderat Dominus vulvam ejus, nondum venerat tempus miserendi ejus, ut spirituali gratia fecundaretur. Sicut Phenenna Annam, ita Synagoga gentilitatem despiciebat. Multi ex gentibus Redemptoris adventum, ut in Job reperitur, expectaverunt. Et quia in prece perseveraverunt, tandem Redemptor flenti et non capienti cibum Annæ consolationem adhibuit. *Anna, cur fles? etc. Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filii? etc.* (Ibid.) Melior est Ecclesiæ vir suus, id est Christus, quam decem filii, quos Deo Synagoga edebat. Vultusque ejus non est amplius in diversa mutatus. Nequaquam enim Ecclesia a fide et dilectione Redemptoris aliquando in diversa declinando mutata est.

PATROL. CLXXV.

A

CAP. II. Moralitas de eodem.

Elcana *Dei possessio* interpretatur, qui animi virtute vir dicitur. Et unus, non mobilis, non vagabundus, sed firmus et inconfusus. Omnes etiam competenter unus dicuntur, unam sapientiam habentes: qui unum Jesum Christum confitentur, uno spiritu Dei replentur. Unde *insipiens sicut luna mutatur* (Eccli. xxvii). Unus autem Deus dicitur non numero, sed quia non mutatur, unde scribitur: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (Psal. ci). Unde et Apostolus: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (I Cor. ix). Unusquisque insipientium non est unus, sed multi. Elcana, prædicator, quem Dominus possidet. Phenenna et Anna activa et contemplativa vita. Phenenna fecunda in filiis et filiabus; activa, fortia gignens opera et infirma. Phenenna interpretatur *conversio*; quia activa ad actiones, quibus prosit proximis, necesse est ut sol licite convertatur. Activa enim vita est panem doctrinæ esurienti tribuere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis expediant dispensare. Anna interpretatur *gratia*, quia contemplatio habentur per gratiam. Hæc est sterilis; quia cum eam, prout est, nullus penetrare valeat, nullus quod in ea senti prædicare sufficiat, contingit ut eam prædicando nemo plures filios gignat. Contemplativa, est charitatem Dei et proximi mente retinere, ab exteriori quiescere, soli desiderio Conditori inhærere, ut nil jam de exterioribus agere libeat. Qui vult effici possessio Dei, has duas ducat uxores, activam prius, et contemplativam deinceps. Præcipue doctor ex amplexibus Phenennæ transeat ad amplexus Annæ, utrique partes tribuat, virtutibus virtutes subnectens.

CAP. III. De Anna, et Samuele.

Et factum est post circulum dierum: concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum (I Reg. 1). Quia Anna ante Dominum devote postulavit et peperit. Ecclesia per naturalem intellectum orans, mysterium Incarnationis concepit corde, ore confessionis genuit. Samuel, nomen ejus nominatus Deo, vel postulatus Deo, Annæ primogenitus, propheta. Quis est hic nisi Deus homo? Sed et hoc, quod Anna remansit et cum viro non ascendit donec ablactaretur puer, nobis insinuat quod Ecclesia nullum ad sacerdotium provehit, dum lactis infantie particeps est, non solidi cibi, et intelligentiæ spiritualis. Canticum Annæ post conceptionem et nativitatem Samuelis,

22

significat gratiarum actionem sanctæ Ecclesiæ, sive pro incarnatione Redemptoris nostri, sive pro conversione et perfecta justificatione cujuslibet peccatoris.

CAP. IV. De Ophni, et Phinees filiis Heli.

Ophni (*I Reg. II*), *discalceatus* vel *insania conversionis*, Phinees, *os mutum*, Scribas et Phariseos significant. Qui filii Heli dicuntur, quia Heli typum tenet sacerdotii. Ipsi, quia non receperunt quod lex et prophetæ prædixerunt, ad insaniam infidelitatis conversi, os mutum meruerunt habere a confessione Christi; et quia noluerunt suscitare semen fidei, Christo defuncto, fratri, meruerunt discalceari, et esse extra sortem eorum, de quibus dicitur: *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis (Ephes. VI)*. Et quia conati sunt nomen sponsi sibi, non Christo vindicare Ecclesiam usurpando, nudi remanserunt ab omni dignitate discalceati, ab exemplis patriarcharum et prophetarum. Unde silo (ubi sacerdotes fuerunt) interpretatur *divisio*, vel ejus *dimissio* et *petitio*, quia petierunt a Pilato, ut dimitteret eis Barrabam. Merito ergo dimissi sunt, et ab omnipotenti Deo derelicti.

CAP. V. De Heli et filiis ejus rursus.

Heli (*I Reg. II*) interpretatur *extraneus*. A Deo enim alienus est, qui subditos non corrigit. Ophni, *insania conversionis*. Merito sic vocatur, quia differt mutari in melius. Phinees, *oris obduratio*, vel *ori parens*; duos Phinees sacerdotes legimus, alterum justum filium Eleazari, alterum injustum filium Heli. Sunt autem in sacerdotibus hodie, qui utriusque typum tenent. Sacerdotes qui custodiunt os suum, ne exeat inde aliquid pravum, in filio Eleazari figurantur. Qui autem habent os obscuratum, vel imperitia, vel peccatorum conscientia, in filio Heli figurantur. Væ sacerdotibus nostri temporis vel Novi Testamenti, qui, sicut Ophni et Phinees, abjiciunt victimam Domini; qui paternæ et divinæ correctioni non obediunt, sed quotidie se peccatis miserabiliter involvunt, conversantes in *comessatione, et ebrietate, in cubilibus, et impudicitis, et in contentione, et æmulatione (Rom. XIII)*; quia, sicut illorum culpam secuta est mors corporalis, sic et istorum vitam, nisi pœniteant, sequetur mors æterna.

CAP. VI. De castris Israel, et Philisthiim.

Egressus est Israel obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est juxta lapidem adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine terga vertit Israel Philisthæis, et ceciderunt passim per agros, quasi quatuor millia virorum (I Reg. IV). Israel vir videns Deum, et fortis cum Deo, Philisthiim, cadentes poculo, scilicet dæmones: qui poculo superbiæ inebriati, et ipsi ceciderunt, et homines pervertere festinant. Contra quos Israel, id est fideles ne cadant, sed superent, castrametantur juxta lapidem adjutorii. Lapis adjutorii, Christus est, de quo scriptum est: *Lapidem quem reproba-verunt ædificantes: hic factus est in caput anguli*

(*Psal. CXVII*). Juxta quem fideles, ut eum inveniant adiutorem, castrametantur, dum in lege Domini meditantur. Sed Philisthiim veniunt in Aphec, id est furorem novum; quia, dum fideles divinis legibus amplius insistere prospiciunt, immundi spiritus, acriora et nova certamina constituunt. Unde eos, hoc est fideles non in Domino, sed in suis viribus confidentes et in humana sapientia gloriantes, ac per hoc gratiam Evangelii contemnentes, quasi quatuor millia facile prosternunt.

CAP. VII. De arca Dei, et filiis Heli mortuis.

Arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees (I Reg. IV). Arca ab alienigenis capta, testamentum ad gentes transiturum significat. Moritur Heli, moriuntur et filii ejus, quia deficit pontificatus cum sacerdotio veteri. Nurus autem ejus, uxor Phinees prægnans erat vicinaque partui. Et audito nuntio, quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus, incurvavit se, et peperit, et mortua est. Uxor sacerdotis non ante interiit quam vivum peperit; nec Synagoga ex toto interiit antequam Ecclesia primitiva, quæ ex ipsa erat, credidit. Ne timeas quia filium peperisti. Credentes Synagogam consolantur, sed desperans minime animadvertit; nec sobolem novam deputat gloriæ, sed ignominie, unde sequitur: *Et vocavit puerum Ichabod (Ibid.)*. Ichabod ideo appellatus est puer, sicut dicit Josephus, quod nomen designat inglorium, quia translata est gloria ab Israel, capta arca. Unde *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (Matth. XXI)*.

CAP. VIII. De arca Dei, et Dagon.

Philisthiim tulerunt arcam Dei: et asportaverunt eam in Azotum (I Reg. V). Azotus interpretatur *ignis patris, vel incendium*. Bene sic vocatur locus ubi erat idolum Dagon, quia adventus arcæ Dei in Azotum erat incendium diaboli patris omnium iniquorum. Dagon, qui interpretatur *piscis tristitiæ*, significat diabolum, qui in mari hujus sæculi devorat peccatores, qui est in *Job Leviathan, et Behemoth (Job. XI)*, nuncupatur. *Caput Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen (I Reg. V)*. Caput Dagon, significat superbiam diaboli, a quo initium peccati fuit, quia per omnem orbem terrarum idololatriam constituit. Duæ palmæ, operationem idololatriæ; limen, finem impiæ culturæ.

CAP. IX. De aggravatione manus Domini super Azotios.

Aggravata est manus Domini super Azotios: et demolitus est eos: et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines jeus (I Reg. VI). Qui testamentum Dei suscipiunt, et posteriora hujus vitæ diligunt, quæ debent æstimare sicut stercora (*Philip. III*), ex ipsis juste in posteriora cruciabantur. Qui enim testamentum Dei assumunt, et in posteriora respicientes, veteri vanitate non se exuunt, similes sunt eis qui arcam Dei captivam, juxta idola sua posuerunt. Et vetera quidem, illis etiam nolentibus.

cadunt. *Omnis caro fenum, et claritas hominis ut A flos agri. Aruit fenum, et cecidit flos (Isa. lx).* Arca autem Domini, secretum scilicet testamentum regni cœlorum, ubi est sempiternum Dei verbum, manet in æternum. Quinque autem ani aurei, et quinque mures, quos fecerunt Philisthiim post plagam suam et attulerunt ad arcam, significant quod carnales quinque sensibus corporis dediti, cum a Domino fuerint correpti, scelera sua cognoscentes, juste se percussos esse confitentur, et, licet coacti, in melius commutantur. Quod bene significant quinque civitates Philistinorum: Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, Accaron, illos scilicet exprimentes qui exterioris hominis actus sequuntur. Azotus interpretatur *ignis patris* vel *incendium*; Gaza, *fortitudo*; Ascalon, *ignis infamis* aut *B ignis ignobilis*; Geth, *torcular*; Accaron, *eruditio tristitiæ* vel *sterilitatis*. Omnis enim concupiscentia infamis atque ignobilis per diabolum inflammata, atque per contrarias fortitudines instigata, et quasi per torcular nequitiae expressa, vinum profundit amaritudinis in doctrina prava et in operatione perversa. Unde necesse est ut tendat ad mortem, ubi est tristitia sempiterna et sterilitas perpetua. *Fuit arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus.* Septenarius significat universitatem temporum, quæ discurrunt septenario numero dierum, et significat Dei testamentum, usque ad consummationem sæculi in gentibus permansurum.

CAP. X. *De duabus vaccis quæ reportaverunt arcam.*

Tollentes duas vaccas junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum recluserunt domi, et posuerunt arcam Dei super plaustrum: ibant autem vaccæ in directum per viam quæ ducit Bethsames: et itinere uno gradiebantur, pergentes, et mugientes, et non declinabant neque ad dextram, neque ad sinistram (I Reg. vi). Bethsames, interpretatur *domus solis*. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, ab itinere Dei pro carnalibus affectibus non declinemus. Pensandum est autem quod vaccæ, quæ sub arca Dei plastro redigantur, pergunt et gemunt, non tamen ab itinere gressus flectunt. Sic prædicatores Dei, et quilibet fideles intra Ecclesiam esse debent, ut proximis compatiantur per charitatem, nec de via Dei exorbitent per compassionem. Arca Dei superposita, Bethsames pergere, est cum superna scientia ad internæ lucis habitaculum propinquare. Quod vere facimus, cum pro affectu propinquorum non declinamus. Sic enim incedere debent qui sacræ legis jugo suppositi per internam scientiam arcam Dei portant. Quatenus per hoc, quod propinquorum necessitatibus condolent, a cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit; aut plus tacta, sit in fletu remissa.

CAP. XI. *Quod filii Israel postulaverunt regem.*

Congregati majores natu de Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu

senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes (I Reg. viii). Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seor, filii Bechorath, filii Sareth, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. Et erat et filius vocabulo Saul. Perierant asinæ Cis, patris Saul; et dixit Cis ad Saul filium suum: *Tolle tecum unum de pueris; et consurgens vade, et quære asinas. Et quærsivit et venit ad Samuelem, et introduxit eum Samuel in triclinium et dedit ei locum inter eos, qui fuerant invitati ad prandium (I Reg. ix).* Et tulit Samuel lenticulam olei; et unxit eum in regem (I Reg. x). Saul, qui offenso Deo factus est rex super Israel, Judæos significat. Sicut enim ipse durus, et superbus, et rigidus effectus est, ut eos servili onere magis promeret quam liberaret; sic populus Judæorum quamvis unctus in sacerdotibus et legibus, tamen (quia ancillæ filius erat quæ in servitutem generabat) nunquam perfectam libertatem per ipsam unctionem consequi potuit: præcipue quia regem Christum mansuetum et humilem recipere noluit, per cujus dominationem potuit liberari. Saul *petitio* interpretatur, qui fuit de stirpe Benjamin hac generationis serie, filius Cis, filii Abiel, filii Seor, filii Bechorath. Et hæc nomina bene exprimunt typum Judæorum. Benjamin quidem interpretatur *filius dextræ*; Cis, *durus, vomitus viri* vel *vomens vir*; Abiel, *pater meus Deus*; Seor, *parvulus* sive *turbulentus*; Bechorath, *primogenitus filius*. Israel ergo, qui fuit primogenitus Dei, et pater ejus Deus, fuit filius dextræ, quia sæpe per auxilium Dei confortatus hostibus suis prævaluit. Sed quia semper ingratus existit beneficiorum Dei, et duræ cervicis, in blasphemiam erupit, de magno parvulus, et de placido turbulentus effectus est. Quod Saul asinas patris sui quærit, significat quod Judæi stultitiam carnalis sensus sequentes, per errores devios luxum mundi quærent. Asinus enim brutum et luxuriosum animal est. Qui ad prophetam venientes, id est ad Moysen, audierunt inventas esse asinas, id est bona terræ se comesturos esse didicerunt: a quo eis et unctionis oleum, et regni gubernaculum promittitur: in quibus ad tempus fratres suos de manu hostium suorum eriperent. Qui Samuel Saulem in excelsum ducit et ibi illi refectionem tribuit, significat Moysen et prophetas populum Hebræorum doctrinis suis ad altiora provocantes, ut scientia spiritali reffectus, in culmine virtutum consistat, nec relabatur ad vitia. Tulit Samuel lenticulam olei. Lenticula, vas fictile quadrangulum habens foramen, per quod fragilitas regni designatur.

CAP. XII. *Item de Saul.*

Secundum aliam figuram Saul (I Reg. xi) significat Christum. Saul asinas patris quærens, in regem assumptus est, et Salvator a Patre missus ad oves, quæ perierant domus Israel, super cunctum populum in regem constitutus est. Hoc enim significant asinæ, quod oves. Saul a Samuele est unctus, et unigenitus a patre spiritali unctione deli-

butus. Ab humere Saul supereminebat, quia caput A nostrum super nos est Christus.

CAP. XIII. De Naas rege Ammonitarum, et de Jabes Galaad.

Ascendit Naas Ammonites, et pugnare cepit adversus Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes Galaad ad Naas: Habe nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum pactum, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. Bellum Naas, et exercitus ejus contra Israel, significat bellum diaboli et hæreticorum contra Ecclesiam. Naas interpretatur *serpens*; Ammon, *comprimens* vel *angustans*, vel *populus mœroris*; Jabes, *exsiccata*; Galaad, *acervus testimonii*. Naas ergo significat serpentem antiquum, qui est princeps Ammonitarum, id est hæreticorum, qui bene populus mœroris dicitur, quoniam gaudium Spiritus sancti non habent. Qui disposuit fœdus cum populo Ecclesiæ, ut eruat omnium oculos dextros et visum sanæ et orthodoxæ fidei auferat. Sic enim vult eos habere fœderatos, ut sinistrum oculum habentes, ea tantum quæ prava sunt et ad sinistram pertinentia sentiant. Sed mens fidelium exsiccata ab omnibus sordibus vitiorum, acervum testimonii, id est sententias sacræ Scripturæ congerit: quibus viriliter resistat hostibus. Et Saul in tribus millibus. Naas et exercitum ejus vincit, dum Christus per fideles doctores fide Trinitatis insignes versutias diaboli et hæreticorum fugat, et de Ecclesiæ foribus expellit. Percutit eos a vigilia matutina usque dum incalcesceret sol (I Reg. xi), id est a principio fidei clarescens, usque ad fervorem perfectæ dilectionis.

CAP. XIV. De tribus millibus electis a Saule.

Elegit sibi Saul tria millia hominum de Israel et erant cum Saule duo millia in Machmas, et in monte Bethel, mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin. Porro cæterum populum remisit, unumquemque in tabernacula sua. Et percussit Jonathas stationem Philistinorum (I Reg. xv). Bene tria millia Israelitarum electa sunt ad pugnandum contra Philisthæos; hi enim solummodo apti sunt ad pugnandum contra hostes Ecclesiæ, qui habent perfectam fidem Trinitatis, in qua superiores hostibus possunt resistere. Cæterum populum in suam stationem, id est in tabernacula remisit, cum Christus cæteras nationes in peccatis reliquit. Et populus, qui erat cum Saule afflictus erat, et descenderunt Hebræi in castra Philistinorum, et alii absconditi sunt in speluncis, et universus populus, qui erat cum Saule, perterritus est. Philisthæi sunt hæretici qui, pari consensu adversus Ecclesiam conspirantes, eam depopulari conantur, quibus adunata fide sociantur, alii dum fidem palam confiteri metuunt, quasi in cavernis latent. Variæ sectæ uno impietatis vinculo colligatæ, ad decipiendum discurrunt. Equites, sunt potentia tumidi qui hæreticos juvant. Vulgus, sicut arena, multitudo hæreticorum persuasionem congregata.

Viri cum Saule remanentes, catholici Christo firmiter adhærentes.

CAP. XV. De eo quod non inveniebatur faber ferrarius in terra Israel.

Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel (I Reg. xiii). Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Diabolus namque per paganos, per hæreticos, per falsos Christianos studet prohibere ne sint doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant, et nobis ad pugnandum tribuant. Pagani enim prohibuerunt, ne Christiani liberalibus artibus imbuerentur; hæretici quoque persuaserunt principibus, ut catholici Ecclesiæ defensores in exilium pellerentur, ut plebem desolatam facilius seducerent. Nunc quoque idem hostis antiquus, simili modo in pace Ecclesiæ, qui populis præsumunt, quoscunque potest ab instantia eruditionis avertere nititur, ne subtilis dona veritatis impendant, quatenus illos incautos facilius decipere possit. Per invidiam enim diaboli mors intravit in orbem terrarum (Sap. ii). Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus. Unde et duplici reatu diabolus constringitur: superbia, qua cecidit; invidia, qua alios dejicere contendit. Philisthiim autem, duplex ruina interpretatur; Hebræi, *transeuntis*: non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (Hebr. xiii).

CAP. XVI. De Jonatha et armigero ejus.

Dixit Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem Philistinorum. Erat autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti (I Reg. xiv). Jonathas, *columbæ donum* interpretatur; ii sunt qui dono Spiritus sancti replentur, per quos Dominus hæreticorum conventus dissipat, atque in fugam vertit. Armiger ejus, spirituales discipuli, qui non planam, sed arduam viam arripiunt, quia sacerdotes hostibus contraire nequeunt, nisi per arctam viam gradientes, inter utrumque testamentum, et inter prospera et adversa, quasi inter duos scopulos dextra lævaque incedant, et ad alta contemplationis tota mente tendant; Jonathas vero non nisi provocatus ad hostes transit, quia Catholici adversus hæreticos contentionem non movent, nisi prius ad certamen provocentur. Jonathas in agro culturæ hostes prosternit, et doctores in meditatione Scripturæ hæreticos vincunt.

CAP. XVII. — De Jonatha et melle quod gustavit.

Jonathas extendit summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et intinxit in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus (I Reg. xiv). Jonathas, *columbæ donum*, hic eos significat, qui accepta sancti Spiritus gratia, mundi parant spernere illecebras. Non enim potest contra Allophylos spirituales, id est dæmones viriliter pugnare, qui mundi dulcedinem nequit declinare. Illuminati sunt oculi ejus, non ad videndum, qui ante videbat, sed ad discernendum, quia vetitum tetige-

rat. Tunc enim casus ille, sicut et Adam, fecit illum attentum, reddiditque confusum. Quo facto, monetur omnis qui Deo vult militare, omnes voluptatum illecebras debere contemnere. *Mel enim distillant labia meretricis* (*Prov. v.*), id est voluptas carnalis delectationem ingerit illicitam. De qua mystice putatur Jonathas gustasse, et sorte deprehensus, vix precibus populi liberatus est. Unde patet eum, qui mundi voluptate superatur, sanctorum suffragiis et fraternis orationibus indigere: quia, quanto majore protervia contra unanime consilium ecclesiasticæ regulæ refragatus est, tanto majore eget auxilio plurimorum, ut qui suo merito salvari non potest, aliorum devotis precibus reconciliatus, ab instanti periculo liberetur. Liberavit ergo Jonatham populus, ut non moreretur. Multum enim prosunt transacta bona. Nam, nisi Jonatham præterita bona juvissent, imminet mala non evasisset. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur bonorum* (*Hebr. vi*).

CAP. XVIII. *De reprobatione Saulis.*

Factum est verbum Domini ad Samuelem, dicens: Pœnitent me quod constituerim Saul regem. Et ait Samuel ad Saul. Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? (I. Reg. xv.) Quid per hanc increpationem, nisi superbia regis elati abjicitur? Quod quisque prælatus ad suam salubriter poterit et debet correptionem convertere. Ac si aperte diceretur: Cum tu te parvulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia vero tu te magnum conspicias, a me parvus existimaris. Quocirca, David cum regni sui potentia coram arca Domini saltando despiceretur, dixit: *Ludam, vilior fiam, plusquam factus sum: et ero humilis in oculis meis* (*II Reg. vi*). Si ergo sancti viri, etiam cum fortia agunt, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sui excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescunt? Sed, etsi quælibet adsint bona opera, nulla sunt nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat, et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. In cunctis ergo quæ agimus, radicem boni operis humilitatem teneamus, neque quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores sumus, aspiciamus, ut dum meliorum nobis exempla proponimus ad majora semper ascendere ex humilitate valeamus.

CAP. XIX. *De virtute obedientiæ.*

Nunquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? (I. Reg. xv.) Quia ad ostendendam virtutem obedientiæ occasio opportuna se præbuit, libet hanc paulo vigilantius sollicitiusque discutere, et quanti sit meriti demonstrare. (*GREGORIUS 25. Moral.*) Sola namque virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit: unde, et primus homo præceptum, quod servaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere,

A ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc iterum Samuel ait: *Melior est obedientia quam victima, et auscultare magis quam offerre adipem arietum* (*I. Reg. xv*); quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Obedientia quippe jure victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra, ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso igitur melius ostenditur quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola est obedientia, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: *Vir obediens loquitur victoriam* (*Prov. xxi*). Vir quippe obediens loquitur victoriam, quia, dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Sed quia nonnunquam nobis hujus mundi prospera, nonnunquam vero jubentur adversa; summopere considerandum est quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam, cum hujus mundi successus præciditur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hoc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur cum probra adipisci, et contumeliæ jubentur, nisi hæc et ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi, nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo et obedientia in adversis ex suo aliquid habere, et rursus in prosperis ex suo aliquid omnino non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior quanto divino ordini etiam ex desiderio arctius adjungitur, et in prosperis tanto sit vilior, quanto a præsentibus ipsa, quam divinitus percipit, gloria profundius ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cælestis patriæ duorum civium facta memoramus. Moyses namque principatum populi humiliter recusat, dicens: *Obsecro, Domine, non sum eloquens (ab heri enim et nudius tertius et ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, et tardioris et impeditioris linguæ sum factus.) Mitte quem missurus es* (*Exod. iv*). Et sic postposito se, alium deposcit. Paulus quoque adversa sæculi libenter amplectens, audacter dicit: *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu* (*Act. xxi*).

LIBER SEXTUS.

IN I ET II REGUM. — A DAVID USQUE AD SALOMONEM.

CAP. I. De scissione pallii Samuelis,

Sciuit domus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te (I Reg. xv), vel secundum aliam litteram, hono super te. Saul, cui hoc dicitur, quadraginta annis regnavit super Israel, quantum scilicet regnavit David, et audivit hoc primo regni sui tempore. Intelligamus ergo hoc ideo ipsi esse dictum, quia nullus de ejus stirpe fuerat regnaturus, et respiciamus ad stirpem David, de quo secundum carnem natus est Christus, per Novum Testamentum, non carnaliter, sed spiritualiter regnaturus: de quo dicitur: *Dabit illud proximo tuo bono super te (Ibid.),* id est meliori, vel ideo super te, quia de eo cum sit semper bonus scriptum est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (Psal. cix).* Quod autem dicitur, proximo tuo, ad carnis cognationem id refertur. Ex Israel enim secundum carnem Christus, unde et Saul. Populi ergo Israel personam, figurate gerebat homo iste, qui primus regnum fuerat amissurus, cui suo persecutori regnum abstulit Christus, quamvis ibi esset et Israel, in quo non erat dolus quasi *lilium inter spinas (Cant. ii),* et quasi frumentum inter paleas, inde enim apostoli, inde martyres, quorum primus Stephanus. Inde Ecclesie magnificantes Deum.

CAP. II. De Saule, David et cithara ejus.

Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Domini malus exagitat te. Jubeat ergo dominus noster rex, et servi tui, qui coram te sunt, ut quaerant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras (I Reg. xvi). Spiritus Domini malus, diabolus, licet afflictionem justorum semper appetat, tamen, si a Deo potestatem non accipit, ad tentationis articulum non convalescit. Potestas ergo diaboli, quia a Domino est, non nisi justa esse potest; omnis autem voluntas ejus injusta est. Ex se enim tentare injuste appetit, sed eos qui tentandi sunt, et prout tentandi sunt, Deus juste tentari permittit. Ideo ipse spiritus, et Domini appellatur, et malus: Domini, per licentiam justae potestatis; malus, per desiderium injustae voluntatis. Formidari igitur non debet, qui nihil nisi permissus valeat agere. Quamvis enim a Domino malignitas non sit, potestas nisi a Domino non est. Erat quidem David in canticis musicis eruditus. Diversorum sonorum rationabilis moderatusque concentus concordie varietate compactam ordinatae Ecclesiae significat unitatem, quae

A variis modis quotidie resonat, et suavitate mystica modulatur. David adhuc puer in cithara suaviter, imo fortiter canens, malignum spiritum qui exagitabat Saulem compescebat: non quod ejus cithara tantam virtutem haberet, sed figura crucis Christi, per lignum et chordarum extensionem mystice gerebat, quae jam tunc daemones effugabat. Tropologice autem hoc facto ad compatiendum proximo instruimur. Plerumque enim superbus dives exhortationis blandimento placandus est, quia plerumque dura vulnera per levia fomenta mollescunt, et furor insanorum saepe ad salutem medico blandiente reducitur. Cumque eis in dulcedine descenditur, languor insaniae mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est quod cum Saulem spiritus adversarius invaderet, apprehensa David cithara, ejus insaniam sedabat. Quid enim per Saulem, nisi elatio potentium? et quid per David inuitur, nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente ejus insania temperatur; quia, cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentis, quasi dulcedine citharae, locutionis nostrae tranquillitate revocetur.

CAP. III. De acie Israel et Philisthim.

Direxerunt aciem Israel, sed et Philisthim fuerant parati (I Reg. xvii). Pugna Philistinorum contra Israel, non inconvenienter malignorum spirituum praedium adversus Ecclesiam Dei accipi potest. Goliath vero superbiam diaboli significat, quem David, id est Christus, singulari certamine prostravit, et populum Dei a timore ejus eripuit. David leonem et ursum necavit, diabolus scilicet et Antichristum; alterum nunc latenter hominibus insidiantem, alterum postea manifestissime savientem. Provocavit superbia humilitatem, diabolus Christum. Accepit arma bellica David, quae pro aetate portare non potuit, et deposuit ea. Et accepit quinque lapides de flumine, et misit eos in peram pastoralem. Sic Christus, tempore novi Testamenti ad insinuandam et commendandam gratiam, deposuit corporalia legis sacramenta, quae non sunt imposita gentibus, quae in veteri lege legimus, et non observamus, sed ad aliquam significationem praemissa et posita intelligimus. Haec arma deposuit tanquam onera veteris legis, et ipsam legem accepit. Quinque enim lapides libros Moysi significant. *Tulit ergo quinque lapides de flumine (Ibid.),* id est de saeculo: labitur enim mortale saeculum. Erant tanquam lapides in flumine, id est in illo primo populo. Erant inutiles et vacabant, et nihil proderant; transibat

supra fluviis, sed David accepit gratiam ut lex esset utilis. Lex enim, sine gratia impleri non potest. Quinque lapides accepit, unum misit. Quinque libri electi sunt, sed unitas vicit, ut ait Apostolus: *Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Plenitudo enim legis est dilectio (Ephes. iv). Prævaluit David adversus Philisthæum in funda et lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, abstulit gladium Philisthæi, præciditque caput ejus (I Reg. xvii)*. Et Christus diabolum suis armis occidit, quando crediderunt magi, quos ille in manu habebat, et de quibus animas cæteras trucidabat. Converterunt enim linguas suas contra diabolum, et sic gladio suo caput Golie abscinditur.

CAP. IV. *De Philistiim et de Golia iterum.*

Philistiim sunt dæmones: Goliath, caput eorum, qui ante adventum Domini superari non potuit; Geth, civitas Golie, interpretatur *torcular*. Hic est mundus et infernus, in quo velut obnoxios peccatis conculcabat. Altitudo Golie diaboli superbia, per quam supra filios ejus obtinuit principatum, quasi palmam extollens. Arma Golie, diaboli sunt ad nocendum versutie. David a patre ad visitandum fratres missus est, et Christus a Patre Deo ad oves quæ perierant domus Israel. David ephi polentæ, id est trium modiorum mensuram fratribus detulit, et Christus mysterium sanctæ Trinitatis credentibus commendavit. David decem formellas casei tribuno detulit, et Christus Decalogum credentibus tradidit.

CAP. V. *De dilectione Jonathæ et David.*

Anima Jonathæ colligata est animæ David, et dilexit eum Jonathas. Unde exspoliavit se Jonathas tunica, qua indutus erat, et dedit David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium, et arcum suum usque ad balteum (I Reg. xviii). Jonathas significat eos qui de Judæis in Christum crediderunt; quoniam, accepta Spiritus sancti gratia, pro Christi amore relictis omnibus, quæ in mundo poterant habere ipsum Redemptorem secuti sunt. Unde Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (Matth. xix)*. Sicut enim Jonathas dedit David vestimenta sua a tunica usque ad balteum, sic credentes omnia, quæ habuerunt, in Christi servitium contulerunt.

CAP. VI. *De Jonatha et David abscondito in agro.*

Venite Jonathas in agrum juxta placitum David, et puer parvulus cum eo. Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum (I Reg. xx). Quid est quod Jonathas, servare volens David, cum ille lateret in agro juxta lapidem, duas sagittas jecit quas puer parvulus, ignorans quid faceret, collegit et in civitatem retulit, nisi quod Pater Filium suum Unigenitum, quem ad salutem humani generis mittendum decreverat, in littera legis Judæis pescientibus absconditum

habuit? David ergo absconditus est in agro, et Christus celatus est in mundo, de quo Joannes ait: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (Joan. i)*. Juxta lapidem sedebat, quia in tabulis legis conscriptus erat, ut est illud: *Dominus Deus tuus, Deus unus est, et non assumes nomén Dei tui in vanum (Deut. xv)*. Saul superbus et invidus David simplicem et humilem odio habens dum sederet inter epulas, mortis filium esse cum judicabat, et Judaica perfidia inter epulas paschales de nece Domini tractabat. Cumque illuxisset mane, venit Jonathas, et cætera ut supra posuimus, jecit sagittam et jecit alteram. Sic et Deus Pater, illucescente mane fidei, prius testimonium legis de Christo protulit, deinde prophetas misit. Collegit autem Jonathæ puer sagittas, et attulit ad dominum suum, et quid ageretur penitus ignorabat. Sic et Judaicus populus libros legis et prophetarum portans, quasi divinitus conscriptos honorabat, sed eum, quem Moyses et prophetæ prædixerant, ignorabat.

CAP. VII. *De eo quod David mutavit os suum coram Achis.*

Commutavit os suum David coram Achis, et colabebatur inter manus eorum; et impingebat in ostia portæ, defluebant salivæ ejus in barbam (I Reg. xxi), Achis, interpretatur *quomodo est*, per quod significatur ignorantia. Verbum enim est admirantis, et non agnoscentis, quod in Judæis impletum est, qui, dum Christum viderunt, non agnoverunt, quibus coram mutavit os suum, et abiit. Erant enim ibi præcepta legis carnalia. Erat sacrificium secundum ordinem Aaron, sed ipse de corpore suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo os suum in sacrificio, mutavit in præceptis dans aliud Testamentum, evacuata operatione carnali. *Collapsus est in manibus eorum (Ibid.)*, quando eum comprehenderunt, et crucifixerunt. *Et procidebat ad ostium portæ (Ibid.)*, id est humiliabat se ad initium fidei nostræ. Ostium portæ, initium fidei est. A fide incipit Ecclesia, et pervenit usque ad speciem. Quod salivæ quasi furiosi decurrebant super barbam ejus, Apostolus aperit, dicens: *Prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam (I Cor. i)*. Salivæ enim, significant infirmitatem. Sed *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (Ibid.)*. Salivæ fluunt per barbam; sicut enim in salivis infirmitas, sic virtus in barba ostenditur. Texit ergo virtutem suam in corpore infirmitatis suæ; et quod foris infirmabatur, tanquam saliva apparebat, intus autem divina virtus, tanquam barba latebat.

CAP. VIII. *De iis qui convenerant ad David.*

Convenerunt ad David qui erant in angustia constituti, et oppressi ære aleo, et amaro animo; et factus est eorum princeps (I Reg. xxii). David, id est Christus, princeps fit eorum qui oppressi sunt ære alieno, id est censu peccatorum, quem diabolo persolvunt, dum *exhibent membra sua servire iniquitati*

ad iniquitatem (Rom. vi). Necessè est ut amaro sint animo, ut in amaritudine animæ pœnitentiam gerant, et ad David veniant, id est Christum cunctis desideratum, ut fiat eorum princeps, *quia ipse constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum* (Act. x), *princeps pacis* (Isaia ix), *cujus regni non erit finis* (Luc. i).

CAP. IX. *De Zipheis.*

Ascenderunt Ziphei ad Saul in Gabaan, dicentes: Nonne ecce David latitat, apud nos in locis munitissimis silvæ? (I Reg. xxiv). Ziphei florentes interpretantur, et significant Judæos qui florem terreni regni appetentes, cum principibus suis de nece tractaverunt, quando Christum per discipulum suum proditum apprehenderunt, et præsi ad crucifigendum tradiderunt. Sic et florentes hujus sæculi Christum in membris suis apud potestates hujus mundi produunt.

CAP. X. *De eo quod David præcidit oram chlamydis Saul.*

Ingressus est Saul in speluncam, ut purgaret ventrem, et præcidit David oram chlamydis illius, et percussit cor suum eo quod præcidisset oram vestimenti regis (I Reg. xxv). Quid per Saulem, nisi mali rectores? quid per David, nisi boni subditi designantur? Saulem igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad opera mali odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit, qui piæ subditorum mentes, ab omni se peste obtreccionis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percipiunt etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui etsi quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt, ut non extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt; quia videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxie, ei latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi lacertatione reprehendunt: unde et bene illic scriptum est: Post hæc percussit David cor suum, eo quod abscedisset oram chlamydis Saul. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat; et cum præpositæ potestati derogat, ejus contra se iudicium a quo sibi prælatus est, perhorrescat. Nam, cum præpositis derogamus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses quoque, cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait; *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (Exod. xvi).

CAP. XI. *De verbis Abigail ad David.*

Si surrexit aliquando homo persequens te, quaerens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum

Deum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu, et circulo fundæ (I Reg. xxv). Pulcherrima comparatione statum justorum et reproborum discernit. Horum quippe animas appellat viventes, ut illorum e contrario spirituali morte præoccupatas insinuet, juxta illud: *Anima que peccaverit, ipsa morietur* (Ezech. xviii). Hos fasciculo, illos lapidi fundæ assimilat. Fasciculus enim constringitur, ut integer maneat et conservetur. Lapis in funda ponitur, ut abjiciatur. Sic enim in hoc sæculo electi pressuris tribulationum constringuntur: ut his admoniti astrictius adinvicem mutua charitate nectantur et sic in unitate fidei connexi adinvicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At vero reprobi quanto latius in hac vita voluptatibus propriis velut liberi dimittuntur, tanto longius in futuro a divinæ visionis gloria projicientur: ipsi enim de manu Domini repulsi sunt. Mire autem omnipotentem Redemptoris providentiam describit, cum dicit animam sancti viri quasi in fasciculo viventium apud eum esse custoditam. Sicut enim facile est quemlibet fasciculum herbæ vel feni, manu sua retentum conservare, ita virtus Domini et Salvatoris nostri per orbem electos ab initio usque in finem sæculi, ne qui ex eis ulla ratione pereant, sine labore tuctur. Unde et ipse in Evangelio: *Et non rapiet eos quisquam de manu mea* (Joan. x).

CAP. XII. *De Abigail et Nabal.*

Non indicavit Abigail viro suo Nabal, verbum pusillum, aut grande usque mane. Diluculo autem, cum digessisset Nabal vinum, indicavit ei uxor sua verba hæc (I Reg. xxv). Iracundos melius corrigimus, si in ipsa ira commotionem declinamus. Perturbati quippe quid audiant ignorant; sed cum ad se redeunt tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebrise omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Unde et Nabal ebrius, culpam suam Abigail laudabiliter tacuit quam digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum quod dixerat vel fecerat agnoscere potuit, quia ebrius non audivit.

CAP. XIII. *De Amalecitis.*

Cum venisset David, et viri ejus in Sicelech die tertia, Amalecitarum impetum fecerunt ex parte australi in Sicelech, et succenderunt eum igni, et captivas duxerunt mulieres ex ea (I Reg. xxx). Considerandum est quid sit quod Amalecitarum Sicelech invadunt, et prædam capiunt. Amalecitarum quippe populus lambens vocatur. Quid autem per lampentem populum, nisi mentes sæcularium designantur? Que terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur. Quasi enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerant. Et hoc, absente David, agunt, quia Redemptorem ante oculos cordis habere negligunt. Invenit puerum Ægyptium in via, quem Amalecita ægrotum in itinere reliquerat; cibo reficit, ducem sui itineris facit, Ama-

licitam persequitur, et funditus exstinguit. Quid est quod Ægyptius puer Amalecitis in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus, despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpeat? Sed hunc David invenit, quia Redemptor noster veraciter manu fortis, nonnumquam quos despectos a mundo gloria reperit, in sui amorem convertit. Cibo pascit, quia verbi scientia reficit; ducem itineris eligit, quia sui etiam prædicatorem facit. Et qui Amalecitam sequi non valuit, dux David efficitur, quia is, quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in suam mentem Deum recipit, sed prædicando hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalecitas convivantes invenit, et exstinguit; quia Christus, ipsis prædicantibus, mundi lætitiã destruit, quos mundus comites habere contempsit. Sic ergo plerumque secularium mentes ipsi prædicando superant, qui prius cum sæcularibus in hoc mundo currere non valebant.

CAP. XIV. De montibus Gelboe.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos (II Reg. 1). Quid montes Gelboe, Saul moriente deliquerunt, quatenus in eis nec ros, nec pluvia caderet? Sed quia Gelboe interpretatur *decursus*, per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri Mediatoris exprimitur; non immerito per Gelboe montes, superba Judæorum corda designantur, quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt inuncti, id est Christi se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. De quibus benedicitur, *ut agri primitiarum esse non possint (Ibid.)*. Superbæ quippe Hebræorum mentes, primitivos fructus non fecerunt, qui in Redemptoris adventu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fecundata, vix in mundi fine Judæos, quos invenerit, suscipiet, et extrema colligens eos quasi reliquias frugum ponet. De quibus reliquiis Isaias dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris (Isa. x), reliquix salvæ fient (Rom. xi)*. Possunt tamen montes Gelboe idcirco ore prophetæ maledici, ut dum fructus exarescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi maledictionis sententiam acciperent, qui apud se mortem regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruerunt.

CAP. XV. De eisdem.

Pius propheta David figuratiter deflet Saul, et Jonathan (II Reg. 1). Qui cum potentes essent et semper super hostes prævalerent, hostibus sauciati illico et vulnerati in medio prælio corruerunt. Sic et Christiani deflent eos qui, repugnantes dæmonibus, in lubrico sæculi labuntur. Gelboe namque montes *lubrici* interpretantur. Et spem recupera-

tionis omittentes, proprio mucrone desperationis seipsum interficiunt, sicut Saul irruens super gladium suum. Philisthæi vero, id est dæmones, qui de interfectis spolia virtutum auferentes, propriæ virtuti vel fortitudini victoriam ascribunt; sed talia juxta permissionem Dei eveniunt. Sed David noster in electis suis corruentium casum gemit, et in urbibus Allophylosum prohibet divulgari, id est præcipit fidelibus ut caute custodiant se. *Scutum fidei, lorica justitiæ, galeam salutis, et gladium Spiritus sancti habeant, quod est verbum Dei (Ephes vi)*: quibus adversariis resistent, et non ignominiose superati gaudium inimicis faciant.

CAP. XVI. De Ascensione David in Hebron.

Ascendit David in Hebron, et dux uxores ejus. Sed et viros qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua (II Reg. 11). Ascensio David cum duabus uxoribus in Hebron significat convocationem duorum populorum in Ecclesiam catholicam. Hebron enim interpretatur *conjugium*; sola enim Ecclesia cælestis regis sponsa est. Illuc duxit David singulos cum domo sua, quia singuli fideles in illam societatem per evangelicam prædicationem convocantur. *Non est ibi distinctio Judæi et Græci (Rom x)*. Fuit numerus dierum per quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda septem annorum et sex mensium. David septem annis et sex mensibus regnavit in Hebron, quæ interpretatur *conjugium* vel *visio sempiterna*; quia Christus in Ecclesia (quæ est ejus sponsa) per omne tempus hujus vitæ (quod septenario dierum numero decurrit) regnat, secundum illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus: usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii)*. Et quia post expletionem senarii, id est perfectionem boni operis, electos suos ad secundum Sabbatum, id est requiem sempiternam perducet, ubi visione Dei perfruuntur perpetua.

CAP. XVII. De Abner et Asael.

Locutus est Abner ad Asael. *Recede; noli me sequi, ne compellar confodere te in terram. Qui audire contempsit, et noluit declinare. Percussit ergo Abner aversa hasta in inguine, et transfodit; et mortuus est in eodem loco (II Reg. 11)*. Asael significat eos, quos vehementer arripiens furor, in præceps ducit. Qui in eodem furoris impetu, tanto cautius declinandi sunt quanto majori insania capiuntur. Unde et Abner, qui sermone nostro *lucerna patris* dicitur, fugit; quia doctorum lingua quæ supernum lumen indicat, cum fratris furorem conspicit, et contra irascentem dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire. Sed cum iracundi nulla consideratione se mitigant, et quasi Asael persequi et insanire non cessant, necesse est ut qui furentes reprimere conantur, non se erigant in furorem, sed quidquid est tranquillitatis ostendant; quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant. Unde et Abner persequentem non recta, sed aversa hasta perforavit. Ex mucrone quippe percutere, est impetui

apertæ increpationis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere, et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occumbit, quia commotæ mentes dum et parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo, quo se erexerant, statim cadunt. Qui ergo a furoris sui impetu, sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur.

CAP. XVIII. *De longa concertatione inter domum David et domum Saul.*

Facta est autem longa concertatio inter domum David et domum Saul. David autem semper proficiens, et seipso robustior; domus autem Saul decrescens quotidie (II Reg. III). Domus David, cœlestis Jerusalem, quæ partim peregrinatur in terris, partim regnat in cœlis. Domus ergo Saulis superbi et impii regis, est Babylôn, quæ facit fornicari omnes gentes. Inter hos longa concertatio est; quia qui secundum carnem est persequitur Ecclesiam, quæ secundum spiritum est. Sed domus David in profectu filiorum gaudet et in perfectione; domus Saul in sua iniquitate, et tandem secundum merita sua in profundum abyssi submergitur.

CAP. XIX. *De sermone quem intulit Abner ad seniores Israel.*

Sermonem intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudius tertius quærebatis David ut regnaret super vos (II Reg. III). Abner hortatur Israel universum ut, relicto Isboseth filio Saul, ad David conveniant; quia sacerdotes sancti qui patris lucerna dicuntur, lumine fidei et scientiæ pleni, omnes gentes exhortantur ut, sprete idolorum cultura et relicto errore confusionis auctore suo diabolo, ad verum David, id est Christum, venire festinent. Nam et Joab, qui Abner in dolo loquens et percussus in inguine interfecit, hostem significat antiquum, qui fideles fraudulenter subvertit, et per libidinis contagionem interficit. Joab enim, inimicus vel idem pater interpretatur. Omnium iniquorum diabolus pater est. Unde: Vos ex patre diabolo estis (Joan. VIII), ab hac interfectione David immunis est; quia Deus neminem tentat (Jac. I), qui omnes vult salvos fieri (Tim. II). Per invidiam autem diaboli mors intravit in orbem terrarum (Sap. II). Potest Joab nomine et persona figurare populûm Judæorum, qui semper fuerunt inimici prædicatorum fidei et fidem Christi ubique persecuti sunt.

CAP. XX. *De filiis Remmon et morte Isboseth.*

Venientes filii Remmon Berothitæ Rechab et Baana ingressi sunt ferventi die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. Ingressi autem sunt latenter: et assumptas spicas tritici percusserunt eum in inguine (II Reg. IV). (GREGORIUS, I, Moral.) Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia virtutes a vitiis discernendo separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii domini insidiatores admittit; quia, cum discretionis solli-

citudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt; quia beatarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Isboseth inopinata morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset: fortis namque, vigilque sensus, præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiae somnus opprimat, nec ignorantia error fallat. Unde bene Isboseth dicitur, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est; quia, dum virtutes se agere existimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota ergo virtute muniendus est aditus mentis, ne eam hostes penetrent foramine negligentiae, vel cogitationis neglectæ.

CAP. XXI. *Quomodo David expugnavit Jerusalem.*

Abiit David, et omnes viri, qui erant cum eo, in Jerusalem ad Jebuseum habitatorem terræ (II Reg. V). David Jebuseum de Jerusalem ejiciens, significat Christum contrarias potestates de fidelium cordibus ejicientem, et ibidem manentem. Jebuseus enim interpretatur calcatus; Hierusalem, visio pacis. Non solum enim Christus per mysterium crucis omnem principatum diaboli destruendo, sibimet tropæum gloriæ acquisivit; sed et fidelibus suis super omnem virtutem diaboli potestatem dedit. Unde: Ecce, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (Luc. X). Bene David, ejectis cæcis et claudis, habitavit arcem Sion, eamque civitatem suam nominavit; quia, cum Christus malignos spiritus vitiorum turbam de anima expulerit, habitat ibi. Quæ merito arx Sion, id est speculationis vocatur, ut de ea recte dicatur: Factus est in pace locus ejus; et habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium et bellum (Psal. LXXV). Sicut etiam David arcem cœpit, ablati prius cæcis et claudis odientibus animam David, sic Dominus principatum in Ecclesia gentium acquisivit, reprobat prius Scribis et Pharisæis, qui cæci et claudi oderunt animam Christi, id est ejus vitam auferre conati sunt. Fistulæ scientiam falsam mundi et hæreticorum dogmata figurant: quæ Dominus per Joab, id est prædicatores destruit.

CAP. XXII. *De superbia Michol et humilitate David.*

Egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus est hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris (II Reg. VI). (GREGORIUS, 27, Moral.) Intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare,

despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, a rege proposita exstinetis Allophyliis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israëliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam Dei Jerusalem revocat, quasi oblitus se prælatum omnibus, admistus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce, quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino et exsequendo abjecta, et in minimis exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducit, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se prælatum honore cæteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, ut ex illa humilitate solidaret quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro: ego David saltantem plus stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore regii generis insana, cum humiliatum despiciere, dicens: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est quasi unus de scurris, protinus audivit. *Ludam ante Dominum qui elegit me potius, quam patrem tuum.* Et paulo post etiam inquit: *Et ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis.* Ac si aperte dicat: Vilescere coram hominibus appeto, quia servare mihi coram Deo regnum per humilitatem quero. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, qui in honore positi, nihil se esse nisi pulverem favillamque perpendunt. Sed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, et contra hoc, quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, et se tanquam dejectos exterius exhibendo contemnunt; sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque elationis bella magna David circumspectione deprehendit, mira virtute separavit. Quod enim de se humilia sentiens, honorem exterius non querit, insinuat, dicens: *Ludam et vilior fiam.* Et quia per hoc, quod vilem se exterius præbuit, interius non intumescit, adjungit: *Eroque humilis in oculis meis.* Ac si aperte dicat: Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me et interius attendo. Quid ergo acturi sunt, quos doctrina elevat, si David, qui ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat, tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat dicens: *Eroque humilis in oculis meis.*

CAP. XXIII. De Hanon et servis David.

Tulit Hanon servos David, rasilque dimidiam

A partem barbæ eorum, et præcidit vestes eorum media usque ad nates, et dimisit eos. Quod, cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum. Erant enim viri confusi turpiter valde: et mandavit eis David, Manete in Jericho, donec barbæ vestræ crescant, et tunc revertimini (II Reg. x). Quid hæc verba significant, nisi bellum diaboli contra Ecclesiam? Hanon enim, qui interpretatur *dolor eorum*, diabolum significat, qui Ammonitarum, id est malignorum spirituum est rector, id est populi mœroris, et semper in angustia constituti, qui comprimere vel angustiare homines desiderat. Radit ergo dimidiam barbam servorum David, cum diabolus quorundam prædicatorum sermonem, vel actionem corrumpendo maculat, præcidit tunicas usque ad inguen, cum turpia facta quæ persuadet in oculis hominum revelat. Hi necesse est ut sedeant Jericho, donec crescant barbæ suæ ne sint opprobrium et ignominia meliorum, atque effliciantur anathema omnium, donec per studium bonum, barbarum species, id est virtutum incrementa in eis nascantur et digni habeantur repræsentari suo regi. David autem noster milites suos inultos esse non patitur; sed exercitu congregato, suorum injuriam vindicat; nec solum adversarios suos nunc per sanctorum suorum victoriam confundit, sed etiam in extremo judicio, per justam sententiam, perpetuis ignibus cruciandos tradet.

CAP. XXIV. De Rabath et diademate regis ejus.

Misit Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversus Rabath, capienda est urbs aquarum. Nunc ergo congrega reliquam partem populi: et obside civitatem, et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria. Cumque dimicasset contra eam David, cepit eam, et tulit diadema regis eorum de capite ejus (II Reg. xii). Hæc victoria David, quam Joab inchoavit et ipse perfecit, significat victoriam Regis nostri. Dux enim contra hostes bellum gerit, cum prædicatorum ordo, scutum fidei contra mundi potestates opponit. Sed victoria ad Christum refertur, quia ipsi omnis potestas, et potentia regni ascribitur. *Deus enim est, qui operatur in nobis, et velle et perficere (Philipp. ii.)* Coronam regis hostilis populi David aufert et sibi diadema facit, cum Christus diabolo regnum auferens, sibimet insigne decorum paravit. Quæ autem melius corona veri David intelligitur, quam conventus populi catholici, qui caput nostrum regem, videlicet Christum, fide devota nobiliter ambit, et digna conversatione decenter coronat. Omnis enim sanctorum labor, et certamen, atque victoria ad honorem cœlestis regis refertur. Rabath est civitas regni Ammon, quæ nunc Philadelphia vocatur, et interpretatur *multi*. Et in Evangelio dicitur: *Quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (Matth. viii).*

CAP. XXV. Quomodo David numeravit Israel.

Addidit furor Domini irasci contra Israel. Com-movitque in eis David dicentem ad Joab: Vade,

numera Israel et Judam. Et numeravit populum. Propter quam causam inmisit Dominus pestilentiam in Israel : et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum (II Reg. xxiv). GREGORIUS, 23, Moral.) Pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis, etiam vere boni delinquat vita pastoris. Ille enim, Deo attestante, laudatus, ille secretorum Dei conscius David, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit : et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit ; quia videlicet secundum merita plebium, disponitur vita regentium. Justus vero iudex, peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed, quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam, ira sæviens, quæ populum corporaliter percussit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex merito plebium mutetur vita pastorum. Sed, quia rectores habent iudicem suum magna cautela subditorum est non temere vitam iudicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit (*Joan. II*) : nimirum significans quod per magistros quidem iudicat vitam plebium, et per semetipsum examinat facta magistrorum, quamvis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel similibus dissimulantur, vel nequeunt iudicari, ejus procul dubio iudicio reservantur. Igitur, dum salva fide res agitur, virtutis est meritum : si quid quod prioris est toleratur, debet tamen cum humilitate suggeri ; si forte valeat, quod displicet, emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam

A transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum sibi præesse quisque despiciat : quem fortasse contigit, ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum mens a custodia humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus : et quia de nobis fortia credimus, idcirco eos, qui nobis prælati sunt, districte iudicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Singula hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur : quia et omnes subditos, hi, qui præsent minus quam ipsi sunt, sapientes arbitrantur ; et rursus qui subjecti sunt, rectorum suorum actiones dijudicant, et si ipsos regimen tenere contingeret, se potuisse agere melius putant. Unde plerumque fit ut et rectores minus prudenter ea, quæ agenda sunt, videant ; quia eorum oculos ipsa nebula elationis obseurat, et nonnunquam is, qui subjectus est, hoc, cum prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri subjectus arguebat. Et pro eo quod illa, quæ iudicaverat, perpetrat, saltem quia iudicavit, erubescat. Igitur, sicut prælatis curandum est ne eorum corda existimatione singularis sapientiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi, etiam cum displicent, venerentur. Sed hoc est solerter intuendum ne, quem venerari necesse est, si reprehensibilis est, imitari appetas ; aut quem imitari despicias, venerari contempnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, ut subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat.

LIBER SEPTIMUS.

IN III ET IV REGUM. — A SALOMONE USQUE AD TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS.

CAP. I. De Diversis ferculis et equis Salomonis.

Salomonis cibus erat per dies singulos triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ : decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium, etc. (III Reg. IV) Salomon, id est pacificus et nomine, et serenissimo statu, regni Christum significat. Cibus Salomonis, refectio est Christi, qui pascitur fide et operibus, quæ illi offeruntur quotidie ab Ecclesia. Triginta namque cori similæ fidem designant sanctæ Trinitatis. Sexaginta vero cori farinæ, perfectio boni operis. In senario namque Deus opus creationis perfecit. Decem

D boves pingues Decalogi prædicationem figurant, in Veteri Testamento. Viginti boves pascuales, duplicationem ejusdem prædicationis in Novo Testamento. Centum arietes, perfectam ecclesiasticam prædicationem ; venatio ferarum, captio avium, quarumlibet gentium et superbiorum et ferocium conversionem. *Et habebat quadraginta millia præseprio equorum curtilium, et duodecim millia equestrium, etc.* Equi Salomonis, prædicatores Christi designant, quibus Christus per orbem terrarum vehitur, in quibus contra dæmones præliatur. Multitudo præsepiorum multitudinem librorum, tria millia parabolarum composuit.

CAP. II. De sapientia, præfectis, subjectis, et uxori-
bus Salomonis.

Dedit Deus sapientiam Salomoni: et fuit sapientior cunctis hominibus (III Reg. 1v). Et in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (Coloss. 11), et est sapientior cunctis angelis. Salomon quinque millia carminum fecit, et Christus sapientiam homini, per quam quinque sensus corporis regat, tribuit. Salomon de cedro et hysopo, de jumentis et volucris, et de reptilibus disputavit; et Christus omnia novit; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: et rerum cunctarum rationes multiformiter nobis exposuit. Duodecim præfecti Salomonis ministrant domui ejus annonam, et duodecim apostoli administrant doctrinam sanam. Salomoni subjecti erant principes diversorum regnorum, et Christo subjecti sunt prælati Ecclesiarum diversarum, et reges omnes orbis terrarum. *Venit ad Salomonem regina austri ut audiret sapientiam ejus (III. Reg. x),* et venit ad Christum gentilitas ut audiret sapientiam ejus. Præsentavit regina austri Salomoni aromata multa, et Ecclesia Christo, gratia ejus sanctificata, præsentat virtutes et bona opera, longe lateque per bonam opinionem redolentia. *Habuit Salomon quasi septingentas reginas, et trecentas concubinas,* et Christus habet fideles animas per septiformem gratiam renatas, et per fidem sanctæ Trinitatis præclaras.

CAP. III. De ædificatione templi.

Salomon ædificavit templum (III Reg. vi) et Christus ædificavit Ecclesiam. In ædificatione templi, fuerunt artifices latami, lignorum cæsores (II Paral. 11); in ædificatione vero Ecclesiæ, sunt artifices, prædicatores et doctores. Triplicem autem materiam misit Salomon in constructionem templi: lapides, ligna, aurum. Lapidem, significant fidei firmitatem: ligna, spei sublimitatem; aurum, charitatis fulgorem. Quarto anno regni, Salomon cæpit templum ædificare. Et per prædicationem quatuor Evangeliorum, sancta Ecclesia ex Judæis et gentibus cæpit adunari. Misit Hiram Salomoni ligna cedrina de Libano præcisa, et abiegna, quæ in domo Domini ponerentur (III Reg. v); quia conversa gentilitas misit ad Dominum viros in sæculo claros, sed securi increpationis de monte superbiæ ejectos et humiliatos, quia ad notitiam vel normam Evangelii prædicatione veritatis instituti, in ædificio Ecclesiæ pro suo quisque merito collocaretur. Misit etiam artifices, id est philosophes ad veram sapientiam, conversos qui populis regendis gratia eruditionis præpourentur, qualis fuit temporibus apostolorum Dionysius Areopagita, et postea Cyprianus doctor egregius et martyr fortissimus. Misit quoque aurum, viros sapientia et ingenio claros, pro quibus expectat dona cælestis gratiæ. Misit autem Salomoni Hiram triticum, scilicet verbum Dei: misit oleum charitatem scilicet vel unctionem spiritus sancti. Tria tabulata tres ordines designant in sancta Ecclesia conjugatorum, continentium, virginum.

A Nil erat in templo, quod auro non tegetur; quia nihil est in sancta Ecclesia quod charitate non tegatur, si non extra ipsam, et non in ipsa esse judicatur. Deaurata erat porta ejus, quia Patres Veteris Testamenti per charitatem Deo placuerunt. Deauratum ipsum templum, quia eadem charitas diffusa est in cordibus nostris. Deaurata domus interior, quia in cælesti patria charitas regnat. Quod autem cœnacula auro dicuntur recta, ad idem respicit. Variæ cœlaturæ, variæ sunt virtutes Ecclesiæ. Mare æneum significat baptismum; Salomon septem annis templum ædificavit, et octavo anno perfecit et dedicavit, quia Christus sanctam Ecclesiam in præsentis sæculo, quod septem dierum curriculo volvitur, vivificat, et post resurrectionem octonario beatitudinis glorificat. Mensa aurea, et sacra Scriptura, intelligentia spirituali clara. Diversa templi vasa, diversæ sunt animæ variis donis Sancti spiritus repletæ. Verum quod in Tyro ligna, et lapides præparabantur et sine sonitu malleorum et ferramentorum in templo ponabantur, designat quod nos in mundo per tribulationes ad justitiam reformamur, in patria cælesti secundum merita tranquille præmiis remuneramur.

CAP. IV. De libertate Israel et servitute alienigenarum.

Universum populum, qui non fuerat de Israel, fecit Salomon tributarium; de filiis autem Israel non constituit servire quemquam. Sed erant viri bellatores ministri ejus, et principes, et duces (III Reg. 1x). Universum populum, qui non fuerat de Israel filiis, facit pacificus noster tributarium cum eis, qui non sunt de numero filiorum, sed in servili conditione utitur ad proprium negotium. Tales licet in multis adversentur, tamen frequenter usibus Ecclesiæ serviunt, cum in præsentis tempore de rebus suis solatia præbent aliis. Qui non ancillæ filii sunt, sed liberæ, ut quos Dei Filius sanguine liberavit: non constituit sub conditione servire, quia neminem cogit ritu gentili vivere, neminem cæremonias veteris legis temporibus Novi Testamenti servare. Constituit bellatores esse, qui contra spirituales nequitias scuto fidei et gladio spiritus dimicent, et ministros suos fieri, hoc est spirituale obsequium in bonis operibus sibi præbere, principes et duces, ut bene sibi principentur et carnis luxuriam doment, sive ut subditos sibi bene regant, et in semitis justitiæ ducant.

CAP. V. De throno Salomonis.

Fecit Salomon rex thronum de ebore grandem, et vestivit eum fulvo auro nimis: qui habeat sex gradus; et summitas throni rotunda erat in parte posteriori, et ut duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: et duo leones juxta manus singulas, et duodecim leonculi stantes super gradus hinc atque inde (III Reg. x). Solium Salomonis Ecclesia est, in qua pacificus noster regnans, judicia sua facere dignoscitur. Bene de ebore factum esse memoratur, quoniam elephas, cujus ebur dant ossa, inter quadrupedia sensu plu-

rimum valet, et temperanter miscetur feminæ suæ, et conjuge gravida non utitur, hoc pudicis aptatur: qui per castitatem Christi præcepta sequuntur. Hanc id est Ecclesiam vestivit auro, quia splendorem gloriæ suæ in ea per miracula clarescere facit. Et habebat sex gradus. Sex diebus perfecit Deus mundi ornatum, qui numerus perfectione sua, perfectionem honorum operum designat. Septima requievit Deus, et quia sex ætatibus mundus constat, in quibus licet operari, quisquis cœlestem patriam desiderat, bonis operibus insistat, et festinet ascendere. Rotunditas throni in parte posteriori, significat requiem æternam: quæ post hanc vitam sanctis est parata, ut quisquis hic bene laborat, remuneratus perenni quiete perfruatur. Manus tenentes sedile significant salaria divinæ gratiæ, quæ Ecclesiam ad cœleste regnum provehunt. Hinc et inde, quia in utroque testamento hoc prædicatur, quod nisi divino adjutorio aliquid boni perfici non potest, Per leones duos, patres utriusque Testamenti figurantur, qui fortitudine animi sibi et aliis dominari didicerunt. Hi juxta manus stabant, quia sancti patres quidquid boni fecerunt, non sibi, sed Deo deputaverunt. Unde: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam (Psal. cxiii)*. Per leonculos prædicatorum ordo signatur, apostolicam doctrinam sequens. Hi supra sex gradus hinc atque inde stant, quia per bonorum operum gressus, hinc et inde doctrinis et exemplis eminere certant.

CAP. VI. De Roboam.

Respondit Roboam populo dura, relicto consilio seniorum, quod ei dederant, et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus (III Reg. xii). Roboam significat malos rectores in Ecclesia, qui terrenis cupiditatibus dediti, et delectati in multitudine obsequentium, non condignam habent sollicitudinem sibi commissorum. Interpretatur Roboam *lætitudo populi*, quia tales spatiosam et latam viam gradiuntur, quæ multos ducit ad mortem. Relicto sanctorum Patrum consilio, quorum dicta et exempla ad celsitudinem tendunt, illis octemperat, qui juvenilibus desideriis mancipati, laudibus iniquis et adulationibus gravant. Quibus etiam minatur Sapientia, dicens: *Væ tibi terra, cui rex est puer, et cujus principes mane comedunt, et econtrario beata terra, cujus rex et nobilis, et cujus princeps vescitur in tempore suo (Eccle. x)*.

CAP. VII. De Jeroboam.

Dixit Jeroboam in corde suo: Non revertetur ad me regnum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, et interficiet me, et revertetur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ascendere Jerusalem. Ecce dii tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti (III

Reg. xii), Jeroboam qui decem tribus a templo Dei separans ad idolatriam perduxit, significat hæreticos qui unitatem fidei catholicæ hæresibus scindunt, ac sic cultui malignorum spirituum subdunt. Jeroboam interpretatur *dijudicans*. Hæretici enim dijudicare populum videntur, cum erroris sui sequaces faciunt. Tollunt decem scissuras, cum decem præcepta legis violando corrumpunt. Et una tribus cum sobole David remansit, dum sors electorum in regula fidei catholicæ permansit, quia *unus Dominus una fides, unum baptisma (Ephes. iv)*.

CAP. VIII. De eo quod scriptum est: « *Demetam posteriora Basaa.* »

Ecce, ego demetam posteriora Basaa, et posteriora domus ejus (III Reg. xvi). Demetit Dominus posteriora cujuscunque iniqui, cum peccata post finem vitæ ulciscitur; demetit Dominus posteriora domus ejus, cum imitorem ejus æternis cruciatibus damnat. Quicumque ergo usque in finem vitæ suæ in pravis operibus perseverat, posteriora illius demetuntur, quia de terra viventium succidetur.

CAP. IX. De reedificatione Jericho.

Ædificavit Ahiel de Bethel Jericho. In Abiram primitivo suo filio fundavit eam, et in Segoth novissimo suo posuit portas ejus (III Reg. xvi). Ahiel, vivens Deo; Bethel, domus Dei interpretatur. Ahiel igitur de Bethel destructa a Josue atque anathematizata Jericho mœnia restaurat, cum qui in Ecclesia habitum religionis assumpserat: abjecta scelera, quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis donaverat et quas prius anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose repetit. Cumque errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati ecclesiasticæ, qua imbutus erat, præfert, quasi de Bethel egrediens, ruinas Jericho reficit. Is et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoare et claustra bonæ actionis quibus perfici debuerat, perdit.

CAP. X. De Elia et torrenti Carith.

Abiit Elias, et sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane et vespere, et bibebat de torrente. Post dies autem aliquantos sicatus est torrens (III Reg. xvii). Absconditus Elias noster Christus, in torrente Carith, qui interpretatur *calvus*, de torrente bibit, cum in Calvariæ loco *ubi abscondita est fortitudo ejus (Habac. iii)*, de torrente mortalitatis nostræ gæstavit. Corvi pascebant Eliam deferentes ei panem, et carnes, cum gentilitas de nigredine peccatorum veniens, Christo salutem nostram esurienti: panem fide, et carnes, id est spem resurrectionis per gratiam ejus illuminata offert. Mane scilicet, in initio prædicationis evangelicæ. Vespere, cum eadem usque in finem mundi servans incontaminatam, carnis resurrectio venienti judici præsentatur. Post dies aliquot sicatus est torrens, quia consummato cursu præsentis vitæ, absorpta erit mors in victoriam et jam non erit mors neque luctus neque clamor, quia prima abierunt (Apoc. xxi).

CAP. XI. De Elia et vidua Sareptana.

Factum est verbum Domini ad Eliam, dicens : Surge, vade in Sareptam Sidoniorum, et mane ibi : præcepi enim mulieri viduæ, ut pascat te (III Reg. xvii). Vidua Sareptana sanctam designat Ecclesiam, quæ quasi vidua erat, quando adventum Salvatoris expectabat. Venit Elias ad viduam, dum Christus per mysterium incarnationis venit ad Ecclesiam. Mulier vero duo ligna collegit, quando sancta Ecclesia fidem passionis recepit. Modicum farine significat imperfectionem cognitionis de divinis, et parum olei insufficientiam exprimit gratiæ. Venit Elias et suffecit farina et oleum, quia in adventu Christi multiplicata est scientia, et multiplicatum est gratiæ donum. Mulier Eliam pascit, dum sancta Ecclesia Christum fide et bonis operibus reficit. Tres anni famis significant defuisse sanctæ Trinitatis fidem. Sex menses ad opus bonum pertinent, quod penitus ab hominibus desierat, sicut scriptum est : Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Psal. xliii). Suscitavit Elias, viduæ filium, quando Christus redemit genus humanum. Per Eliam quoque ascendit abundantia pluvie, quando per Christum perfusus mundus rore cœlestis gratiæ. Vidua igitur, Ecclesia ; Elias, Christus ; ligna, crux ; farina, scientia ; oleum, gratia ; tres anni famis, imperfecta cognitio Trinitatis ; sex menses, defectus boni operis ; resuscitatio filii, redemptio generis humani : largitas pluvie, plenitudo gratiæ.

CAP. XII. De Elia et prophetis Baal.

Curavit Elias altare, et tulit duodecim lapides, et ædificavit ex eis altare : et fecit aquæductum in circuitu : et posuit desuper ligna, et obtulit Domino holocaustum, et exclamavit populus, dicens : Dominus ipse est Deus (III Reg. xviii). Redemptor noster contra mundi principem et satellites ejus decertans altare Domini, quod destructum fuerat, id est fidelium corda, a labe iniquitatis purgans, aram Deo dedicat quæ ex duodecim lapidibus constructa memoratur ; quia, ex iis qui propheticam fidem seu doctrinam sequuntur, gratissima Deo ara constituitur, in qua sacrificium laudis, in odorem suavitatis offertur. Fecit aquæductum ex contrito scilicet corde, et humiliato spiritu, flumina producendo lacrymarum, pro timore gehennæ et desideratione vitæ æternæ. Ibi etiam ponit ligna, quia sanctorum dicta vel facta ad exemplum credentibus constituit. Divisitque per membra bovem, et posuit super ligna, cum omnes actus suos ad exemplum sanctorum Patrum, formare docuit fideles. Jussit super holocaustum, et super ligna, semel, iterum, tertio, aquam infundere, quia omni tempore est necesse verba cogitationes et opera nostra in ipsa compunctione lacrymarum moderari ; et non prius cessare, quam fossæ aquæductus repleantur, id est donec futurum gaudium præsentis mœrori succedens perfecte repleatur : sicque erit illud, quod sequitur. Cecidit ignis Domini, et voravit holocaustum, quando discrimen judicis futurum, dicta ac facta, ac totam vitam nostram perfecte

A examinans, probando nos, sicut igne probatur argentum (Prov. xvii), immortales ac sanctos factos in sedem collocabit æternam, id est perpetuam, et ad instar israeliticorum populorum in æternum gratulando cantabimus : Dominus ipse est Deus (Psal. xciv).

CAP. XIII. De interfectione prophetarum Baal.

Duxit Elias prophetas Baal ad torrentem Cison, qui interpretatur duritia eorum, et interfecit eos ibi (III Reg. xviii). Sic Redemptor noster, adveniente die judicii, mittet angelos suos, et colligent omnia scandala de regno ejus, et mittent eos in stagnum ignis, ubi cruciabuntur secundum duritiam, et impœnitens cor eorum (Apoc. xx). Et facta est pluvia grandis. Postquam Christus mortem gustavit, et victor de mundo ad cœlos ascendit, imbrem gratiæ divinæ per septiformem Spiritum de supernis ad terram misit, qui nos a peccato mundaret, et spirituales fructus gignere faceret.

CAP. XIV. De fuga Eliæ coram Jezabel, et de junipero.

Timens Elias minus Jezabel, relicto puero, perrexit in desertum viam unius diei, et resedit sub junipero (III Reg. xix). Sancti viri, qui sublevatione Spiritus ad superna rapiuntur, quando in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus rapiuntur. Hinc est quod Elias, cum tot virtutibus profecisset, Jezabel postmodum quamvis reginam, tamen mulierem fugit ; et qui mortuos suscitabat, venturum prævidens judicium clamabat alia quoque præclara faciebat, timore percussus de manu mulieris mortem fugit, de manu Dei mortem petiit, nec accepit. In virtutibus Eliæ potentia pollebat ; in infirmitatibus suis quod de se poterat, agnoscebat. Ibi offendebat, quod acceperat ; hic quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur, in infirmitatibus servabatur. Elias propheta Domini, vita et miraculis clarus, quemlibet designat fidelem. Achab, rex impius, Domini et præceptorum ejus adversarius, diabolus significat, qui rex est super omnes filios superbiæ. Jezabel, mulier impudica et Eliæ semper inimica, immunditiam exprimit carnis, quæ semper justum persequitur et ejus actibus inimicatur. Cujus minis Elias, id est fidelis, nonnunquam perterritus, quamvis virtutibus et multis bonis operibus prius claruerat : prophetas enim delevit Baal, id est omnem infidelitatem et hæreticam pravitatem de corde suo repulit, et pluviam de cœlo, id est gratiam cœlitus sibi dari meruit, timens tamen ne occasio veniat, et eum Jezabel, id est luxuria, occidat. Obediens autem apostolico consilio, qui dicit : Fugite fornicationem, fugit quoque sæcularem habitum, et conversationem mundi dereliquit, et in desertum vadit, qui habitum et vitam religionis assumit. Desertum est vita spiritualis atque religio, quia a multis deseritur, et a paucis incolitur. Dimisit autem Elias puerum, et solus desertum intravit, quia justum est, ut fidelis quisque, spirituales conversationem ingrediens, cuncta puerilia, et vana, et frivola derelinquat, et

nec comedendo, nec bibendo, nec loquendo, nec aliis actibus suis quidquam pueriliter agat. Possumus enim per juniperum sub qua Elias resedit alicujus ordinis asperitatem, sicut est monachorum canonicorum, vel clericorum regularium, vel cujusque alterius professionis, signare. Videtur namque quaelibet professio ordinis, sicut juniperus, quosdam asperitatis aculeos habere, qui videlicet sunt cultus claustrum, tedium silentii, timor praelati, disciplina capituli, abstinencia cibi, et si qua sunt similia, quae per suae asperitatis adversitates pungere possunt. Sunt et alii juniperi hujus aculei: acerrimae scilicet et importunae cogitationes, vel tentationes, quae more spinarum teneritudinem animorum pungunt.

Quatuor autem sunt tentationum modi. Alia est tentatio levis et occulta, alia levis et manifesta, alia gravis et occulta, alia gravis et manifesta. Tentatio levis et occulta est quando aliquis leviter tentatur, et tamen nondum intelligit an malum sit illud de quo tentatur; verbi gratia: quando aliquis de officio sive praelatione leviter tentatur, levis tentatio est et occulta, quia nescit an sibi expediat id quod desiderat. Tentatio levis et manifesta est quando aliquis leviter tentatur, et manifeste de malo tentatur; verbi gratia: quando aliquis de fornicatione leviter tentatur, tentatio levis est, quia leviter tentatur; et manifesta, quia manifeste de malo est. Tentatio gravis et occulta est quando aliquis graviter tentatur et tamen non novit an noxium sit sibi illud de quo tentatur; verbi gratia: quando aliquis de praelatione, vel alio ministerio graviter tentatur, gravis est tentatio, quia graviter tentatur; occulta, dum nescit quod ibi lateat diabolica fraus. Ad hoc enim diabolus de exaltatione tentat, ut per exaltationem magis corruat ad damnationem. Tentatio gravis et manifesta est quando aliquis graviter et manifeste de malo tentatur; verbi gratia: quando aliquis de fornicatione graviter tentatur, tentatio gravis est, quia graviter tentatur; et manifesta, quia manifeste de malo est. Quos scilicet tentationis modos Psalmista bene designat, ubi dicit: *Non timebis a timore nocturno. A sagitta volante per diem a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemone meridiano* (Psal. xc). Tentatio namque levis et occulta timor est nocturnus. Tentatio levis et manifesta sagitta volans in die. Tentatio gravis et occulta negotium perambulans in tenebris est. Tentatio autem gravis et manifesta incursus et daemone meridiano. Isti itaque tentationum modi: sunt istius juniperi scilicet ordinis aculei, qui more aculeorum teneritudinem pungunt animorum, et nonnunquam lacerant corda bonorum: non quia ordo malus fit, sed diabolus tanto acrius justum per tentationes pungit, quanto eum ad sublimiora et secretiora per habitum et vitam ordinis cernit transire. Recte igitur secundum supradicta ordo religiosorum junipero comparatur, dum variis asperitatibus et tentationibus pungere approbatur. Ad hanc denique juniperi umbram

venit Elias, quando aliquis saecularia fugiens, ordini alicujus asperitatis se submittit. Animae vero suae, ut moriatur petit, quando mori penitus mundo et vivere Deo concupiscit. Qui tamen non mortem, quam petit, sed dormitionem, quam non petit, invenit, quia plerumque religiosus diversis in spiritali conversatione fatigatus tentationibus et adversitatibus, in profectu virtutum et bonorum operum torpescit. Angelus autem custos et excitator Eliae, est praelatus custos et exhortator fidelis animae sibi subjectae. Qui, dum Eliam, id est animam sibi creditam, conspicit dormire sub junipero, id est sub ordine torpescere, statim excitat, pascit et potat; dum eum ad meliora admonet, et de sacra Scriptura difficiliora quae designantur per pastum, et facilia quae figurantur per potum docet. Elias quoque excitatus comedit bibit, dum admonitus sub verbis loquentis patienter acquiescit, nec his, quae dicuntur, contradicit. Rursum vero obdormit, quia nonnunquam subjectus multis tediis affectus post primam amonitionem et eruditionem iterum tepescit. Sed Elias per angelum secundo excitatur et pascitur, dum subjectus per prudentem et fidellem praelatum iterum admonetur et instruitur: *Surge, inquit, comede; grandis tibi restat via.* Quasi diceret: Si confidis in solo ordine, scias nil tibi prodesse saeculum tantum corporaliter derelinquere, coram oculis humanis solummodo habitum religionis palliatum exhibere; stude per virtutes ultra proficere, per opera misericordiae proximis subvenire. Lege, meditare, psalle, ora, operare, grandis tibi restat via, quia parum adhuc profecisti et multum habes proficere. *Comedit denique Elias, et bibit, et vadit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb,* dum subjectus per eruditionem bene confortatus in prosperitatibus quasi in diebus, et adversitatibus quasi in noctibus, per virtutum exercitationem et bonorum operum exhibitionem proficiens, et quaternarium Evangelii et denarium legis perficiens ad culmen sublimitatis venit, ubi recte in ostio speluncae dicitur stare, dum paratus est quandocumque Dominus eum vocaverit de carne exire.

CAP. XV. De visione Eliae in monte.

Ecce Dominus transit: et spiritus grandis, et fortis, subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio; non in commotione Dominus, et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus aurae tenuis (III Reg. xix). Spiritus quippe ante Dominum subvertit montes et petras conterit, quia pavor, qui ex ejus adventu irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Spiritum vero commotio sequitur, cum post ipsum pavorem cor nostrum ad meliora promovetur. Commotioni etiam ignis succedit, cum divinus amor, post emendationem cor calefacit. Spiritui vero commotioni, et igni non inesse Dominus dicitur; esse vero in sibilo aurae tenuis non negatur; quia nimirum, cum mens

in contemplationis sublimitate suspenditur, quid-
quid perfecte conspiciere prævalet Deus non est.
Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod
de incomprehensibili æternitatis substantia audit.
Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum
saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione
subita, subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est
quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid
de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene
illic subditur: *Quod cum audisset Elias, operuit
vultum suum pallio, et ingressus stetit in ostio spe-
luncæ.* Post auræ tenuis sibilum vultum suum
propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima
contemplatione veritatis quanta ignorantia homo
tegatur agnoscit. Vultui namque pallium superdu-
cere, est, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex
consideratione propriæ infirmitatis velare, ut ne-
quaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitan-
ter aperiat, sed ad hoc, quod apprehendere non
valet, reverenter claudat. Qui hæc agens, in spe-
luncæ ostio stetisse describitur. Quid namque spe-
lunca nostra est, nisi hæc nostræ corruptionis ha-
bitatio? Sed cum aliquid percipere de cognitione
divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostro
ostio stamus. Quia enim progredi perfecte non
possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhian-
tes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In
ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ
corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis in-
cipere exire.

CAP. XVI. *De custodia humilitatis.*

*Dixit Elias ad Dominum: Altaria tua destru-
xerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio; et de-
relictus sum ego solus (I Reg. xix).* Tanto prophe-
tæ quid difficile fuit agnoscere, in hoc mundo fa-
mulos remansisse Deo? Sed qui humilis etiam oc-
cultæ Dei noverat, elatus etiam aperta nesciebat.
Unde certum est quod humilitatis se radio illumi-
nat, qui aliorum bona sublimiter pensat; quia, dum
ea quæ ipse fecit facta foris et ab aliis conspicit,
eum, qui de singularitate intus erumpere nititur,
superbiæ tumorem premit. Hinc est quod voce Dei,
ad Eliam solum se existimantem dicitur: *Reliqui
mihi septem millia virorum, quorum genua non
sunt incurvata ante Baal,* ut se non solum reman-
sisse cognosceret, et elationis gloriam, quæ de
singularitate surgebat, abdicaret.

CAP. XVII. *De eo quod Elias unxit Eliseum.*

*Profectus Elias demonte, reperit Eliseum filium
Saphat arantem in duodecim jugis boum, et ipse in
duodecim jugis arantibus unus erat. Cumque venis-
set Elias ad eum, misit pallium suum super eum.
Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait:
Osculer, oro te, patrem meum, et matrem meam, et
sic sequar te (III Reg. xix).* Elias profectus reperit
Eliseum filium Saphat arantem in duodecim jugis
boum, cum Redemptor noster descendens de cælo,
divino iudicio acquisivit populum adhuc terrenis
actibus inhiantem, in quo salutem fecit, cum eum
ad fidem convertit. Elias enim interpretatur *Dom-
inus Deus; Saphat, judicantis vel indicantis, Eliseus,*

PATROL. CLXXV.

Dei mei salus. Super quam propheta pallium suum
misit cum Dominus populum fide catholica induit.
Unde Apostolus. *Quicumque in Christo baptizati
estis, Christum induistis (Galat. iii).* Relictis bobus
cucurrit post Eliam, quia Redemptoris voce audi-
ta: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet,
non potest ejus esse discipulus (Luc. xiv).* Statim
cessavit terrenis lucris inhiare, et sæcularibus de-
sideriis deservire, et sic aliis verbum vitæ prædi-
cavit. Hoc est enim osculari patrem et matrem:
quoscunque potest de Judæis, sive de gentibus
sermone velle corrigere.

CAP. XVIII. *De pugna Benadab contra Israel.*

*Benadad, rex Syriæ, congregavit omnem exer-
citus suum, et triginta duos reges secum, et cur-
rus, et equos: et ascendens pugnabat contra Sa-
mariam, et obsedit eam. Et ecce propheta unus
dixit ad Achab: Multitudinem hanc tradam in
manum tuam. Et ait Achab: Per quem? dixitque
ei. Per pedisequos principum provinciarum (III
Reg. xx).* Benadab significat diabolus, qui diver-
sos exercitus malignorum spirituum, ad subver-
tendum populum Dei contrahit, sed per pueros
principum Israel vincitur, id est, per bonos docto-
rum auditores, quia id quod aure audiunt, factis
complant. Antiquus hostis in fugam convertitur:
quia, qui utriusque Testamenti scientiam perfecte
tenent, et Trinitatis fidem cum gemina charitate
conservant, hi apti militiæ summi regis esse com-
probantur; fugit Benadab rex Syriæ cum equiti-
bus. Benadab, id est diabolus, princeps iniquorum
quorum oculi sublimes sunt: in equo superbiæ
sue confidens, cum equitibus scilicet cum omnibus
superbis, quia ipse est rex super omnes filios su-
perbiæ (Job. xli), ab exercitu Christi superatus, in
fugam vertitur, et rex Israel percutit equos et
equites, quia Rex regum nequitas spirituales
obruit, humani generis peccata delendo.

CAP. XIX. *De eo quod dictum est a servis regis
Syriæ: « Dii montium, sunt dii Israel. »*

*Servi regis Syriæ dixerunt ei: Dii montium sunt
dii Israel; ideo superaverunt nos. Sed melius est
ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtine-
bimus eos (III Reg. xx).* Diabolus, licet a sanctis
sæpius vincatur, tamen iterum instaurat prælium
contra eos, et dum uno modo vincitur, alio modo
statim vincere conatur. Diabolus namque et mali-
gni spiritus, si in spiritualibus vincuntur, in corpo-
ralibus bellum parant, satagentes ut animas de
supernis ad ima præcipitent, quo facilius vincant.
Si viderint cœlestia desiderare, terrena ad aman-
dum ingerunt; si prosperitate concessa gratiæ Dei
agantur, student ut per adversa frangantur. Sed,
sicut Syri, ita dæmones, ubi superare confidebant,
ibi prostrati sunt.

CAP. XX. *De Eliseo, et pallio Eliæ.*

*Stetit Eliseus super ripam fluminis Jordanis, et
pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, quæ
non sunt divisæ. Et dixit: Ubi est Deus Eliæ, etiam
nunc? Percussitque aquas, et divisæ sunt hinc atque*

illinc, et transiit Eliseus (IV Reg. II). Elevatio Eliæ ascensionem Domini significat. Pallium Eliæ incarnationem Domini, per quam lethi fluvium dirupit, nobisque transitum ad vitam paravit. Hoc Eliseus post transitum Eliæ retinuit, quia fidem incarnationis Ecclesia reservavit post ascensionem Christi, per quam præsentis vitæ fluctus transire satagit. Sed, sicut Eliseus non nisi invocato Deo Eliæ, aquas divisit, ita Ecclesia nisi per invocationem nominis Christi, virtutes nullas facere potest. Deus enim est, qui operatur in nobis et velle et perficere (Philipp. II).

CAP. XXI. *De eo quod vir Dei maledixit pueris in Bethel.*

Ascendit Eliseus in Bethel. Cumque ascenderet per viam pueri parvi egressi sunt de civitate, et iludebant ei dicentes: Ascende calve, ascende calve. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini. Egressi sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros (IV Reg. II). Eliseus interpretatur salus Dei. Huic, id est Christo, illuserunt Judæi exaltato in cruce in Calvariæ loco. Qui dum illuserunt ei, stulte et pueriliter egerunt; sed postquam Christus ascendit in Bethel, id est in domum Dei, in quadagesimo anno immisit duos ursos de filiis gentium, Vespasianum et Titum, qui crudeli strage eos dejecerunt, et ibi sanguis eorum effusus est, ubi Dominum suspenderunt.

CAP. XXII. *De aqua trium regum exercitibus a Domino data.*

Perrexerunt rex Israel, et rex Juda, et rex Edom, ut pugnarent contra Moab; nec erat aqua exercitui (IV Reg. III). Tres reges bellantes rectores sunt fidelium; qui per Trinitatis fidem, contra mundi principem et populum ejus, philosophos, hæreticos, schismaticos atque omnes iniquos armis spiritualibus conflagunt. Moab interpretatur de patre, et convenit eis at quos Dominus dixit: Vos ex patre diabolo estis (Joan. VIII). Hi adversantur Ecclesiæ, minis, persecutionibus, dolo; sed per Christum (qui est caput nostrum, scilicet Christianorum) effugantur. Et ait Eliseus: Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam, et alveus replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ et jumenta vestra. Fossas in alveo torrentis facit, qui profunda mysteria de Scripturis quærit, quæ absque pluvia et vento aqua replentur, quia sæpe absque humano solatio, sapientiam confert suis investigatoribus potentia divina, unde Joannes dicit: Non necesse habetis, ut aliquis vos doceat: sed sicut unctio ejus docet, vos de omnibus (I Joan II). Unde bibent homines, et jumenta (Num. XX), id est doctrinam accipient ingeniosi et simplices. Parum hoc est in conspectu Domini; insuper tradet etiam Moab in manus vestras, et percutietis omnem civitatem munitam. Non enim sufficit viro Dei abdita mysteria Dei scire, quin etiam

A debet ea prædicare aliis viris, et contradicente redarguere, quibus promissa est cuncta de hoste victoria ut percutiant omnem civitatem. Civitas sæcularis est prudentia, in qua philosophi et hæretici confidunt: hæc per prædicatores subvertuntur. *Lignum fructiferum succiditis*: lignum scilicet quod non facit fructum bonum, sed mortiferum, quod futuro examine succisum pabulum fiet ignis æterni. Fontes aquarum obturantur, cum hæresiarchæ cum suis sequacibus per catholicos damnantur. *Agrum egregium operietis lapidibus*: agri egregii operiuntur lapidibus, cum venustas locutionis hæreticæ et philosophiæ anathematis pondere obruitur. *Remanent tamen muri fictiles*, id est falsæ rationes quæ a fundibulariis, id est sanctis prædicatoribus ad nihilum rediguntur.

CAP. XXIII. *De muliere, quæ clamavit ad Eliseum.*

Mulier quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus, vir meus, mortuus est, et tu nosti, quia servus tuus fuit timens Deum: et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui Eliseus dixit: Quid vis, ut faciam tibi? dic mihi quid habes in domo tua? At illa dixit: Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, nisi parum olei quo ungar. Cui ait: Vade, et pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu, et filii tui, mitte inde in omnia vasa hæc: et cum plena fuerint, tolles (IV Reg. IV), etc. Mulier ista, sancta Ecclesia est mater duorum populorum, Judaici et gentilis. Quæ prius ex perverso opere, consentiendo callidi spiritus persuasioni, quasi quemdam nummum peccati a creditore accepit, et duos, quos in fide genuit amittere filios timebat, sed prophetæ verbis, id est sacræ Scripturæ præceptis obediens, ex paulo quod habebat olei, vacua vasa infundendo replevit; quia, dum ab ore unius doctoris paulum quiddam de amore Trinitatis multorum vacuæ mentes hauriunt, exuberante gratia unguentorum divini amoris, usque ad summum replentur; et jam nunc multorum corda, quæ prius erant vasa, unctione spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod cum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, erepta mulier, id est sancta Ecclesia, jam sub creditoris sui debito non tenetur.

CAP. XXIV. *De tabernaculo, quod ædificaverunt Sumanitis et vir ejus Eliseo.*

Dixit Sumanitis ad virum suum de Eliseo: Animadverto quod vir sanctus Dei est iste, qui transit per nos, et manet. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut, cum venerit ad nos, maneat ibi (IV Reg. IV). Eliseus, qui interpretatur salus Dei, et nominis interpretatione, et miraculorum operatione, et virtutum exercitatione, et bonorum operum exhibitione, et honestate, et conversationis

sanctitate, et post mortem mortui resurrectione Christum significat. Sunamitis, quæ interpretatur *captiva, coccinea*, animam exprimit quam Christus de captivitate diaboli sanguine suo redemit. Eliseus sæpe venit ad Sunamitidem feminam, qui Christus sæpe multis modis venit ad animam. Venit per creaturarum contemplationem; venit per miraculorum operationem; venit per internam inspirationem; venit per adversitatem; venit per prosperitatem; venit mala comminando; venit bona promittendo; venit mala auferendo; venit bona conferendo; venit per cognitionem veritatis; venit per amorem virtutis. Venit Christus ad animam spiritualiter, eam visitando, hospitatus apud eam, illam certificando; aliquandò transit, illi gratiam subtrahendo. Ex parte enim gratiam subtrahit, ut humilietur mens, quæ de se nimis sublimia sentit; sed iterum redit, dum iterum infundit. Vir mulieris hujus viduæ, id est animæ rationalis, intellectus est, qui viribus et sensu sibi insitis per naturam vel collatis per gratiam, animæ debet præesse, consulere, providere, eam regere, ducere, et ex ea progeniem virtutum et honorum operum procreare. Cum hoc viro anima accipit consilium, dicens: Animadverto quod vir iste Dei sanctus sit, qui frequenter transit per nos. Vere sanctus est, quia Sanctus sanctorum est, et nemo, nisi qui per illum, sanctus est. Faciamus ei cœnaculum parvum, et ponamus in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Cœnaculum eo quod elevatur, spiritualement designat conversationem. Quam bene fecerat cœnaculum istud huic Eliseo Paulus qui de se, sibi que similibus ait: *Nostra autem conversatio in cœlis est (Philipp. III)*. Quod dicit parvum humilitatem significat. *Deus enim superbis resistit; humilibus autem dat gratiam (Jac. IV)*. Et ideo fidelis anima, si aliquando facit magna, in conspectu Conditoris existimat parva. In lecto vero solemus a laboribus quiescere, et dormiendo visibilia ignorare. Recte ergo per lectulum contemplatio figuratur. In ea namque qui consistit, ab incursu tentationum et afflictione laborum quiescit, et internis intentus, quid exterius agatur, non attendit. Per mensam significatur Scriptura. Sicut enim mensa repletur cibis, sic sacra Scriptura repleta est sententiis, et aliam nobis refectionem tribuit per historiam; aliam per allegoriam; aliam per tropologiam; aliam per Vetus Testamentum; aliam per Novum. Sella namque designat eruditionem. Sedere autem solent doctores, qui alios erudiunt. Et bene mensam sequitur sella, quia justum est, ut qui Scripturam audiendo vel legendo didicit, alis per doctrinam tribuat bonum quod agnovit. Candelabrum instrumentum est luminis. Habet autem candelabrum pedem inferius, et hastam super pedem erectam, et super hastam sphaerulam per circuitum, et super sphaerulam acumen, cui imponitur luminare. Pes vero candelabri habet tria

A brachia æqualis longitudinis, æqualis magnitudinis, unius formæ, unius inter se distantie. Significat ergo fidem sanctæ Trinitatis. Qualis enim Pater, talis Filius, et talis Spiritus sanctus. Hasta candelabri, in eo quod recta est, exprimit æquitatis rectitudinem. In eo vero quod erecta est, erectionem bonæ intentionis. Sphaerula significat circumspectionem mentis. Quasi namque sphaerula candelabro imponitur dum mens de se bene sollicita per circumspectionem sibi circumfertur. Superius acumen sanæ rationis significat subtilitatem; luminare superpositum exprimit Christum; cera est humanitas; lumen, divinitas.

B Facit igitur mulier Sunamitis consulens virum suum, id est anima fidelis per intellectum, Eliseo, id est Christo, cœnaculum; per spiritualement conversationem, parvum, per humilitatem, et ponit lectulum, per contemplationem, et mensam, per Scripturarum lectionem, et sellam, per morum eruditionem. Ponit in eo quoque candelabrum veri luminis instrumentum, cujus facit pedem, per fidem sanctæ Trinitatis; hastam, per rectitudinem æquitatis, et erectionem bonæ intentionis; sphaerulam, per circumspectionem mentis; acumen, per subtilitatem rationis, quæ debet semper luminari inesse, quia Christo semper debet inhærere. Anima, quæ sic novit præparare Christo hospitium, Christum hospitem meretur habere, et per ipsum Filium possidere.

CAP. XXV. *De resurrectione filii mulieris Sunamitidis.*

C Mulier Sunamitidis sancta est Ecclesia. *Jacuit mulier Sunamitidis ad pedes Elisei pro resurrectione filii (IV Reg. IV)*, quia sancta Ecclesia humiliter in patribus Domino oravit pro redemptione humani generis. Dominus autem, dum per Moysen legem dedit per puerum virgam misit; sed per virgam, id est terrorem legis mortuum suscitare non valuit, quia lex neminem ad perfectum ducit. *Ipsa superveniens super cadaver sternitur quia, cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philipp. II)*. Huc et illuc deambulat, quia et gentes, et Judæos ad æternam beatitudinem per fidem vocat. Super mortuum septies inspirat, quia per operationem divini muneris, gratiam septiformis Spiritus, in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque is, quem virga suscitare non potuit, per amoris spiritum, puer ad vitam redit.

D CAP. XXVI. *De eo quod scriptum est: « Mors in olla. »*

Erat fames valida in terra, et filii prophetarum habitabant coram Eliseo. Dixitque uni ex pueris suis: Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum. Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas: et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti (IV Reg. IV). Fames ista famem significat audiendi verbum Dei; filii prophetarum filii sunt

prædicatorum qui habitabant coram Eliseo, id est Christo vel sancto prælato, in loco Christi posito. Collegit autem in ollam colocynthidas, id est agrestes concurbitas, qui litteræ legis intentus, vel philosophis studiosus, vel amaritudinem de lege, et mortiferum de philosophis sumens intermiscet evangelicæ veritati. Et in olla cordis conquens tale pulmentum, hoc est documentum præparat auditoribus suis. Dicit enim Apostolus: *Littera occidit (II Cor. v). Prudentia carnis, mors est; prudentia spiritus, vita (Rom. viii).* Hoc scientes fideles mortem in olla clamant. Sed farina in olla mittitur, cum scientia spiritualis in tale condimentum intromittitur, ut exclusa multitudine amaritudinis pastus fiat saluber.

CAP. XXVII. *De eo qui viro Dei panes primitiarum tulit.*

Vir quidam de Baalsalisa venit, deferens viro Dei panes primitiarum, et viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat (IV Reg. iv). Vir iste cœtus est Patrum. Qui de Baalsalisa est, quia ternarium in confessione Trinitatis servat, Baalsalisa enim *habens tertium* interpretatur. Hic vir viro Dei panes primitiarum offert, cum Conditori gratia ejus inspiratus, offert libros compositos de origine creaturum. Offert frumentum novum in pera, cum Novum Testamentum in Evangelii et apostolorum scriptis profert. Jubet Eliseus noster ministro, id est prædicatoribus, ut hoc fidelibus dispenset, et de thesauro proferat nova et vetera. *Da, ait, populo, ut comedat (Joan. vi).* Hæc enim dicit Dominus: *Comedent, et supererit (Matth. viii).* Quod mysterium legimus in fractione quinque et septem panum, ubi satiatis turbis collegerunt duodecim cophinos, sive septem sportas fragmentorum, quia nullus sacramenta Scripturæ per omnia sic capit, quin ipsi satiatio supersit, juxta verbum Domini.

CAP. XXVIII. *De captiva puella, et de Naaman Syro.*

De Syria egressi sunt latrunculi, et captivam duxerunt de terra Israel puellam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman (IV Reg. v). Latrunculi de Syria (quod est sublimitas) egressi sunt, cum cupiditate et diversis negotiis impliciti gentiles per totam terram vagabantur. Hi de terra Israel captivam duxerunt, quæ de propheta testabatur, quia fama de Israel per negotiatores gentium translata, in toto orbe curiositati hominum (quam uxor Naaman significat) verum prophetam, et Salvatorem in Judæa manere patefacit. Audiens hoc Naaman, domino suo nuntiavit, cum iis ad quos notitia verbi pervenit; his, qui præsumunt sibi, suggerunt scientiæ spiritualis magnitudinem. Mittit rex Syriæ litteras ad regem Israel pro salute servi, cum primatus gentium audiens Dominum esse in Israel, salutem suorum prævidens, legationem mittit in Judæam, ut per apostolicam doctrinam Salvatoris fidem accipiat. Unde Cornelius de Cæsarea in Joppen ad Petrum misit. *Rex Israel dedit vestimenta sua (Act. x),* quia sacerdotes

A Scribæ et Pharisæi rectores Judæorum considerantes undique plebes ad Redemptorem convenire, quasi blasphemiam existimantes. scindebant vestimenta, sicut in Evangelio princeps sacerdotum fecit (*Matth. xxvi*). Veniat ad me, et sciat propheta esse in Israel; et Dominus *quos præscivit, hos et vocavit (Rom. viii)*. Veniens gentilis populus ad domum Elisei sanctam, scilicet Ecclesiam, per nuntios, id est per evangelicos prædicatores accepit ut se in Jordane septies lavaret, renatus ex aqua et Spiritu sancto. Jordanis baptismum significat, quia in eo Salvator baptismum consecravit. Naaman lavationem [lotionem] Jordanicam despiciens, simplicitatem significat rudium, qui spirituales non potuerunt intelligere efficaciam, quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei (I Cor. ii)*. Servi meliori consilio ad mandatum propheticum persuaserunt, quia sæpe Dominus minori revelat quod melius est, *quoniam Dominus acceptor personarum non est (Act. x)*, tota septies restituta caro est ejus sicut prius, quia mundatus in baptismo per invocationem sanctæ Trinitatis, vel Spiritus septiformis, quisque ad innocentis vitæ infantiam redigitur. Quia in baptismo abrenuntiare Satanæ, ac fidem Christi confiteri præcipimur. Negat Naaman se ultra diis sacrificaturum, promittit se Deo soli per omnia servitutum. Partem terræ sanctæ tulit, quia baptizatos oportet Domini corporis participatione confirmari.

CAP. XXIX. *De lepra Naaman, quæ adhæsit Giezi.*

Secutus est Giezi post tergum Naaman. Qui cum vidisset illum currentem ad se, desilivit in occursum ejus de curru, et ait: Rectene sunt omnia? Et ille: Dominus meus misit me, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim de filiis prophetarum; da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices (IV Reg. v). Illorum, qui spiritualia dona, sacros scilicet ordines et bona Ecclesiæ emunt vel vendunt, duo reperiuntur auctores, unus in Veteri Testamento, et unus in Novo. Giezi itaque in Veteri Testamento auctor probatur esse vendentium, et Simon Magus in Novo Testamento dignoscitur esse auctor ementium, quorum sequaces ab Ecclesia separantur, æternis ignibus cruciandi.

CAP. XXX. *De obsidione, et fame Samariæ.*

Congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obtinebat Samariam. Facta est fames magna in Samaria (IV Reg. vi). Benadad et exercitus, est diabolus, et iniqui spiritus, Pagani, Judæi, hæretici, qui contra Ecclesiam bellum gerere excitant, et per tales affligitur populus Dei, qui est in Samaria positus, id est in divinæ legis custodia. Fitque fames, cum non permittitur doctoribus prædicare verbum Dei. Sed, Eliseo revelante, id est Redemptore per Evangelium indicante, *salus, quæ a peccatoribus longe est (Psal. cxviii)*, timentibus Deum prope esse scitur. Dicit enim Dominus: *Cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere*

uno (IV Reg. vii). Modius similæ, perfecta est mensura divinæ sapientiæ, quæ est in Novo Testamento: duo modii hordei, sunt scientia legis et prophetarum, quæ comparatur statere uno, hoc est fide catholica, in porta Samariæ, id est prædicatione apostolica per quam intratur in Ecclesiam. Cessante turbine persecutionis, quæ fit hodie dabit Dominus cras, id est tempore tranquillitatem, ut prædicatione perfecte impleatur. Quatuor viri erant leprosi juxta introitum portæ, qui dixerunt ad invicem: *Venite transfugiamus ad castra Syriæ. Fecerat autem Dominus in castra Syriæ sonitum, et fugerant Syri. Cumque venissent leprosi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt, et biberunt. Tuleruntque aurum, argentum, et vestes dixeruntque ad invicem; Hæc dies boni nuntii est. Si tacuerimus, et noluerimus annuntiare usque mane, sceleris arguemur.* Leprosi sunt qui variis vitiis dediti vel erroribus implicati, fœditatem ex interna peste educentes ostendunt in cute. Hos Dominus sæpe convertens ad fidem, et emundans a vitiis, veræ salutis nuntios efficit. Unde Matthæus ex publicano apostolus factus est. Apparuit Dominus post resurrectionem Mariæ Magdalensæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens nuntiavit his, qui cum illo fuerant lugentibus. Leprosi in castra Syrorum refecti sunt; aurum et argentum asportaverunt, cum despecti hujus mundi philosophiæ operam dantes, et sensus humilitatem et sermonis venustatem acquirunt. Unde Ecclesiæ usibus bene instructi deservire possunt. Qui bene quatuor esse commemorantur, ut quatuor Evangeliorum eruditione imbuti, in quatuor mundi partibus fidei veritatem prædicent.

CAP. XXXI. De Jehu.

Dixit puer Elisei ad Jehu: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te o princeps. Et surrexit, et ingressus est cubiculum. At ille fudit oleum super caput ejus, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Dei Israel, et percuties domum Achab domini tui, ut ulciscer sanguinem prophetarum meorum, et sanguinem omnium servorum Domini de manu Jesabel (IV Reg. vi). Jehu designat gentium principatum. Quem dominus destinavit, ut sacrilegam civitatem (quæ prophetas, et Dominum prophetarum occidit, et apostolos ejus persecuta est) ultione justa perimeret, et sacerdotium (quod post Christum inaniter habuerat) destrueret, templumque subverteret, et impiam Synagogam quæ sanguinem sanctorum semper sitiabat, de regni culmine præcipitaret, et rectores illius interficeret.

CAP. XXXII. Quomodo Joas instauravit sartatecta.

Dixit Joas sacerdotibus: Omnem pecuniam, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, et

instaurant sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione (IV Reg. xii). Secundum hanc similitudinem mandat Christus rex noster, ut doctores accipiant omnem pecuniam, quæ a prætereuntibus justis, scientiæ spiritualis, bonorum exemplorum, in thesaurum Domini confertur, per prædicatorum officia ad instaurationem templi spiritualis conferatur: quatenus ubicunque quid scissum per errorem, vel per vitia invenerint, restaurent, ne forte per negligentiam magistrorum depereat multitudo auditorum.

CAP. XXXIII. — De scriba, et pontifice, et pecunia, et operariis.

Scriba legis, et pontifex effundebant, et numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini, et dabant eam juxta numerum, atque mensuram in manus eorum qui præerant cæmentariis in domo Domini (IV Reg. xii). Scriba et pontifex significant apostolos et summos doctores, quos principes in Ecclesia electio divina constituit: qui per discipulos suos verbi semina sparserunt per totum orbem, quatenus operarios voluntatis Dei idoneos in auditoribus suis proficerent, quorum alii fabricabant ligna, cum semetipsos et eos, qui sibi obediant, ligna fructifera, in domo Domini parare studebant. Alii sartatecta templi faciebant, quando illa, quæ per hæresim et schismata scissa erant, reædificabant. Alii saxa cedebant, cum duros corde et incredulos fortiter increpabant, ita ut impleretur instaurationis domus Domini in universis, qui indigebant expensa, ad domum Domini muniendam, juxta illud: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (Ephes. iv).*

CAP. XXXIV. De sagitta salutis.

Dixit Eliseus ad regem Israel: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Jace sagittam. Et jecit (IV Reg. xiii). Sic Christus lumine scientiæ suos hortatur primum illustrari, et sic jacula prædicationis mittere. Et ait Eliseus: *Sagitta salutis Domini contra Syram: percutiesque Syriam in Aphec.* Secundum hoc exemplum, prædicationis sancta est spiritualium hostium certissima interfectio, si perseveranter agitur. Unde non debet rector vel doctor, propter avaritiam negligere curam animarum, sed magis per fidem, per pietatem, ad æternam requiem perducere, quod significat Aphec. Interpretatur enim *continebit vel apprehendet.* Unde Apostolus, enumeratis vitiis quæ avaritiam comitantur, subintulit, dicens: *Tu autem homo, Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem; certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam (I Tim. vi).* *Dixit Eliseus: Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Secundum hoc factum doctoribus præcipitur jaculo prædicationis terram, id est carnales, percutere, Sed qui hoc minus studiose agunt,

merito increpatione divina arguuntur. Quid est enim A tribus vicibus terram jaculo percutere, nisi Trinitatis fidem carnalibus insinuare? Sed cum hoc doctor effecit hominesque ad fidem perduxit, necesse est ut adhuc instet verbo, donec illos doceat quinque sensibus corporis (qui per quinarium designantur) imperare, bonisque operibus (quæ per senarium numerum exprimentur) studium impendere, nec non et scientiam spiritualem instanter meditari, quam septiformis gratia Spiritus sancti in Scripturis sacris constituit, et ad humani generis salutem gemino Testamento edidit. Qui autem solam fidem sine operibus bonis, et meditatione legis Dei sibi sufficere credunt ad salutem, recte arguuntur: nam non recte agunt, quia, secundum Jacobum: *Fides sine operibus mortua est (Jac. II).*

CAP. XXXV. *De projectione Israel.*

Projecit Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit eos in manu regis Assyriorum (IV Reg. XVII). Rex Assyriorum, id est diabolus, cum exercitu suo populum ecclesiasticum obsidendo et devastando quotidie afficit, cum eos propter peccata commissa de propriis sedibus evellens; id est ne virtutibus et operibus bonis transfert in terram alienam, regionem scilicet dissimilitudinis.

CAP. XXXVI. *De Samaritanis.*

Samaritani cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant (IV Reg. XVII) Isti significant hæreticos, qui habent quædam sacramenta communia cum sancta Ecclesia et quasdam sanctarum Scripturarum sententias recte intelligunt; sed tamen nihilominus idolis errorum suorum, vel immundorum spirituum serviunt. Videntur enim sibi timorem Dei recte custodire, cum secundum sensum suum veritati se putant favere. Sed quia catholicæ fidei unitatem spernunt habere, malignorum spirituum voluntatibus veraciter se manifestant obtemperare. Et non solum inventores erroris primi, quos patres Samaritanorum significant, hoc faciunt, et sequaces eorum (quos filiorum nomine et nepotum expressos intelligimus) hoc similiter agunt.

CAP. XXVII. *De Josia, et phase quod celebravit.*

Ejecit Josias idola terræ et omnes immunitias, et celebravit Domino phase (IV Reg. XXIII). Quod Josias ejectis idolis et omnibus immunditiis, domino phase celebrasse legitur, moraliter nos docet, ut primum purgemus terram cordis nostri ab omnibus vitiis, emendemus actus nostros ab omni iniquitamento peccatorum et ab operibus mortuis, ut servire possimus Deo viventi: sicque gratum phase Domino celebremus, *non in fermento malitiæ et nequitia, sed in azymis sinceritatis et veritatis (I Cor. V).*

CAP. XXXVIII. *De censu, quem solvit populus Pharaoni sub Joachim.*

Vinxit Pharaon Joachim in Reblatha, quæ est terra Emath, ne regnaret in Hierusalem, constituitque Joachim pro eo, qui unumquemque secundum vires

suas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, ut Pharaoni afferetur (IV Reg. XXXIII). Malignus spiritus pensum sibi servitii sui in populo carnali expetit, ut tam sensu quam eloquio ejus per omnia parati sint obsequio. Joachim præcepto Pharaonis censum exigit, quia diabolus per sibi deditos magistros ab unoquoque exigit secundum vires suas peccati censum sibi solvere, sicque in nequiter prælatis, præparat quotidie, perditionem subjectis.

CAP. XXXIX. *De prima obsidione Hierusalem.*

Venit Nabuchodonosor ut obsideret Hierusalem, et suscepit Joachim sibi obriam venientem, et tulit vasa aurea quæ fecerat rex Salomon in templo Domini, et transtulit Nabuchodonosor omnes principes, et fortes, et artifices et inclusores de Hierusalem in Babylonem (IV Reg. XXIV). Hujus tam deflendæ historiæ, quia multum negligentia nostræ temporis congruit, non opinor allegoriam esse reticendam. Constat namque quod Hierusalem et terra Israel civitatem Christi; id est sanctam Ecclesiam; Babylon autem et Chaldæi sive Philistæi, civitatem diaboli, id est omnem malignorum, sive hominum, sive angelorum multitudinem designat. Servitque Israel Philistæis sive Chaldæis, cum fideles quique nomine tenus in Ecclesia consistentes, cæterum ab immundis, vel spiritibus, vel hominibus decepti, aut avaritiæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submitunt. Adducit autem Nabuchodonosor regem Hierusalem et universos principes fortis exercitus ad decem millia in captivitatem, cum et magistri, et illi qui in virili animo Domino servire, et Decalogum legis fideliter in Dei et proximi amore conservare videbantur, subdito sive illecebris mundi, seu adversitatibus subacti, aut majoribus se facinoribus polluunt, aut certe incidunt in hæresim. Arma vero, quibus contra diabolum repugnantes libertatem a Deo nobis donatam defendimus, quæ sunt alia, nisi eloquia Scripturarum, in quibus et ipsius Domini et sanctorum ejus exemplis, quo ordine bella vitiorum debeant superari, luce clarius discimus. His armis Chaldæi filios Israel privant, cum maligni spiritus animo fidelium a sacræ legis meditatione, sæcularia illi negotia inserendo retardant, ne vel ipsi per hujus exertium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte, qui nesciunt legem, ad restitendum vitiis exhortando aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos, qui sacra eloquia norunt in tantum sceleribus obruunt, ut dicere bona quæ didicerant prorsus erubescant. Transferunt omnem artificem, et inclusorem de Hierusalem in Babylonem, cum eos, qui multifaria virtutum operatione pluribus prodesse, et civitatem Dei contra eruptiones tentationum munire solebant a proposito deflectunt atque ingenium, quod ad munimen sanctæ Ecclesiæ impendere debuerant, ad voluntatem potius regis vitiorum dispensare compellunt. Quod si inclusores non ostiorum sive murorum, sed auri gemmarumque intelligimus, ad

eundem expositio finem tendit. Dictum quippe est *A* de sapientia, quod *aurum, et multitudo gemmarum non valet ei comparari* (*Prov. III*). Atque ideo inclusores horum, non alios aptius quam doctores intelligere valemus. Qui quoad recte vivunt vel docent in ornatum sanctæ civitatis, industriam suæ artis impendunt. At si forte erraverint, qui nisi a rege Chaldæorum captivitate in Babyloniam transferuntur? Et quia artificem et inclusorem ab Hierosolymis Babyloniam transmigrari, talentum verbi cælitus acceptum in terra defodi; id est scientiam spiritualem ad peccatorum opera converti intelligimus, ne quid tale a nobis committatur vigili semper cautela providendum est.

CAP. XL. *De secunda obsidione Hierusalem et fame.*

Factum est autem in anno nono regni Sedechiæ, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor, et omnis exercitus ejus in Hierusalem, et circumdederunt eam, et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones, et clausa est civitas, atque vallata usque ad undecimum annum Sedechiæ regis, nona die mensis. Prævaluitque fames in civitate; nec erat panis populo terræ. Quid in Sedechia aliud intelligimus nisi malos rectores in Ecclesia, qui munere et dono divino abutuntur, et falso sibi nomen justitiæ usurpant? Mathania enim nomen, quo primum rex appellatus est, interpretatur *munus, sive donum*; Sedechias, *justus Domini*. Qui undecim annis regnasse dicitur, quod significat eum transgressorem legis fuisse, quæ significatur denario numero. Undenarius autem numerus, qui denarium supergreditur, excessionem Decalogi significat. Novenarius autem imperfectionem legis significat, sicut undenarius transgressionem. Hic enim excedit denarium, ille minus habet denario. Recte Nabuchodonosor in nono anno regni Sedechiæ obsedit civitatem mense decimo, id est decima die mensis; quia mali pastores, cum Decalogi mandata, quæ scientia tenent, opere et doctrina perficere negligunt, necesse est ut plebem illis commissam antiquus hostis cum suo exercitu obsidione circumdet, et munitione erroris ac vitiorum constructa claudat, vallando civitatem; sicque fames verbi Dei in civitate prævaleat, cum non expendantur libere panis doctrinæ populo terræ.

CAP. XLI. *De interruptione muri, et fuga Sedechiæ.*

Interrupta est civitas, et fugit Sedechias, et omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (*IV Reg. xxv*). Interrumpitur civitas spiritualis per tentationes varias malignorum spirituum, et ii qui debuerant civitatem armis defendere, nocte ignorantis et tenebris peccatorum vallati fugiunt, quia *mercenarius, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves* (*Joan. x*). Per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis. His verbis latenter arguit inertiam doctorum, qui inter duplicem murum duorum testamentorum constituti, non belligerare, sed

A effugere quæerunt, et in deliciis magis defluere (quod significat hortus) quam scuto fidei hostibus obsistere. Porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem. Fugitque Sedechias per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis, quia malignis spiritibus populum circumdantibus, rector fugit non ad montes, de quibus scriptum est: *Montes in circuitu ejus* (*Psal. cxxiv*), sed ad campestria solitudinis, id est ad dilatationem luxuriæ. Unde scriptum est: *Lata est via, quæ ducit ad mortem* (*Matth. vn*). *Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho, et omnes bellatores qui erant cum eo dispersi sunt, et reliquerunt eum.* Cum enim virtutes hominem deserunt, quæ eum defendere debuerant, in planitie Jericho capitur, id est in defectione carnalis sensus. Jericho enim interpretatur *luna*, et significat defectum carnis. *Filios autem Sedechiæ occidit rex Babylonis coram eo, et oculos ejus effodit.* Rex quippe Babylonis, diabolus est, possessor intimæ confusionis. Qui prius filios ante intuentis oculos patris trucidat, quia sæpe sic bona opere interficit, ut se amittere ipse, qui captus est animus, dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ gemit amans perdit: ea quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed, dum videns nequitie perpetratione percutitur, ad hoc quando peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus, subductis prius bonis operibus, post et intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe *multa hæc* interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis clauditur, qui pravo usu et iniquitatis suæ multitudine gravatur.

CAP. XLII. *De Nabuzardan.*

Venit Nabuzardan princeps exercitus, servus Babylonis in Hierusalem, et succendit domum Domini, et domum regis, et domos Hierusalem, omnemque domum combussit igni (*V Reg. xxv*). Venit Nabuzardan qui interpretatur *ventilabrum*, cum aliquis spiritus malignus plebem invadit fidelium, et domum regis, et domos Hierusalem, id est rectores, et eos qui videbantur in visione pacis manere, inflammatos cupiditate subvertit. Omnem domum comburit, cum uniuscujusque conscientiam per illiciti amoris flammam succendit. Muros Hierusalem in circuitu destruxit, cum intentionem orationis et virtutum studia, quæ contra se valere novit, in desperantibus dissolvit, ne per spem veniæ ad divina currant auxilia, et correptionis vitæ apprehendant munimina. Populum in captivitate ducens, de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas; quia eos, qui utiles verbo et exemplo esse poterant, per vitia captivans, stultis et hebetibus commendat agriculturam: quatenus non vinum gratiæ spiritualis, et frumentum sanæ doctrinæ in vineis, et agris

populorum fructificat, sed spinæ magis, et tribuli A vitiorum excrescant.

CAP. XLIII. *De translatione Juda.*

Et translatus est Juda de terra sua (Isai. LXVI). Transfertur Juda, cum illi, qui confessionem nominis Dei in Ecclesia videbantur habere, per scelera, et peccata multiplicia de terra virtutum translati in regnum confusionis, et erroris adducuntur. Sub imperio quicumque nequiter servientes perseveraverint, nec merebuntur per Jesu ducatum regredi in terram Juda, templumque Domini ibidem reædifi-

care. Hi, post ærumnam præsentis vitæ tradentur in carcerem mortis perpetuæ, *ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Nobis autem liceat in peregrinatione labentis sæculi veram commissorum pœnitentiam agere, ut post excursum septem dierum, vel uti post septuaginta annos, hujus captivitatis exuti ab omni potestate regis Babylonis, id est diaboli, valeamus juvante septiformi Spiritu cœlestem Hierusalem ingredi, et vultum Conditoris nostri per sæculorum sæcula contemplari.

LIBER OCTAVUS.

IN DUOS PRIORES LIBROS ESDRÆ.

CAP. I. *De Cyro, et liberatione captivorum et re-* B *stitutione templi. In primum Esdræ.*

In anno primo Cyri regis Persarum, ut comple- C *retur verbum Domini ex ore Jeremiæ prophetæ suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et traduxit vocem in universo regno suo etiam per Scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Hierusalem, quæ est in Judæa. Quis est in nobis de universo populo ejus? Sit Dominus Deus illius cum ipso. Ascendat in Hierusalem, quæ est in Judæa, et ædificet domum Domini Dei Israel (I Esdr. 1).* Sicut Cyrus, destructo Chaldæorum imperio, populum Dei liberavit et in patriam remisit, et templum incensum Hierosolymis reædificare præcepit, et hoc etiam per litteras mandavit, ita Christus, destructo regno diaboli, electos suos qui erant dispersi ab ejus tyrannide in Ecclesiam congregavit, quæ in præsentibus justificata ex fide, pacem habet apud Deum, et per ipsum ad visionem perpetuæ pacis festinat. Hierusalem quippe *visio pacis* dicitur. Templum quoque incensum restaurari fecit, cum illos qui insidiis diaboli fidem perdiderant ad salutem reducens, habitatione sua dignos efficit. Scripturas etiam sanctas per universum mundum mittit, quibus fidem sui nominis, et spem salutis, cunctis, qui ad regnum suum pertinent, id est electis prædicat. Domus vel templum Dei in sacris Scripturis, unusquisque electorum, et tota Ecclesia solet appellari, quia in cordibus in se credentium, et sperantium, diligentiumque habitare consuevit. Unde scriptum est: *Si quis diligit, me sermones meos servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan. XIV).*

CAP. II. *Quid notet, quod Judæi post septuaginta annos liberantur.*

Quod Judæi post septuaginta annos liberantur, et domum Dei, et civitatem sanctam reædificant si-

gnificat hoc quod quidam per peccata sua a communione Ecclesiæ separati, in fidelium numero copulantur, et rursus per dona sancti Spiritus bona opera exercent, et sic consortium fidelium (domus scilicet et civitatis Dei, de qua fuerant ejecti) recipiunt. Notandum enim quod eandem pœnitenti, et ad Ecclesiam reversionem, domus Domini post incendium reædificata, et civitas restaurata, et populus post captivitatem in patriam remissus, et vasa sancta relata denuntiant.

CAP. III. *De numero vasorum, quæ relata sunt de Babylone.*

Hic est numerus vasorum, quæ relata sunt de Babylone. Phialæ aureæ triginta. Phialæ argenteæ mille. Cultri viginti novem. Scyphi aurei triginta. Scyphi argentei secundi quadraginti decem (I Esdr. 1), etc. Phialæ vasa patula et lucida, sunt simplicium corda, qui nihil subdolæ cogitationis habent, sed ea, quæ in corde tenent, pura proferunt lingua. Cultri ad incidendos vel dividendos ratione congrua artus victimarum ut, omnibus ratione distinctis, pars in altari consumeretur, pars sacerdotibus, pars levitis, pars offerentibus daretur, illos significant qui discretionem habent, qui perfecte norunt de sacrificio salutari discernere, quod est Christus: quæ omnibus sint dicenda, quæ perfectioribus, quæ humanæ conditionis modum excedentia igni Spiritus sancti tribuenda. Scyphi aurei, sunt qui majori sapientiæ splendore rutilant; argentei, qui docendi venustate nitidi, quæ norunt planius exponunt,

CAP. IV. *De numero revertentium de Babylone.*

Numeratus est populus secundum generationem suam, qui reversus est de Babylone (I Esdr. II). Ideo vigilanter Scriptura distinxit de qua generatione captivorum soluti in patriam redierunt, ut ex eo admoneremur quanta certitudine Dominus summam electorum suorum in libro vitæ conscribat, et velut in albo cœli consignet, quot animas quisque fide-

lium, vel verbo, vel exemplo converterit, pro quibus certa mercede remuneret.

CAP. V. De numero animalium.

Equi eorum sexcenti triginta sex. Muli eorum ducenti quadraginta quinque. Cameli eorum quadringenti triginta quinque. Asini eorum sex millia septingenti viginti (I Esdr. II). Inter homines, qui de captivitate ascenderunt, etiam animalia quibus adjuvabantur, describuntur, et eorum sicut numerus hominum designatur; quia sunt multi in Ecclesia, vel sensu tardiores, vel minus spirituales, qui, cum magistris spiritualibus devote obtemperant, et ad portanda onera fraternæ, necessitatis, dorsum mentis inclinant, cum cæteris electis de confusione diabolicæ captivitatis erepti, ad supernæ civitatis mœnia tendunt, quorum numerus nunc in memoria Dei jugiter conservatur. Unde: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur (Psal. CXXXVIII).* Et alibi: *Homines et jumenta salvabis, Domine (Psal. XXXV).*

CAP. VI. De oblatione principum.

Principes patrum dederunt in impensas, templi, auri solidos quadraginta millia, et mille. Argenti minas quinque millia et vestes sacerdotales centum (I Esdr. II). Aurum et argentum, et vestes sacerdotales, principes patrum secundum vires suas in impensas operum templi offerunt, cum viri sancti quidquid sapientiæ, eloquentiæ et actionis bonæ perceperunt, bene vivendo ad ædificationem fidelium conferunt. Certum est pondus auri et argenti, certus est numerus sacerdotalium vestium, ut sciamus Deum cogitationes, sermones et actus nosse, et digne remunerare.

CAP. VII. De fundatione templi.

Igitur mundato templo Domini omnis populus vociferatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini. Plurimi etiam de sacerdotibus, et levitis, et principes patrum, et seniores qui viderant templum priusquam fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna (I Esdr. III). In ædificatione templi spiritualis fletus simul et lætitia principibus nascitur. Gaudent enim doctores in salute pœnitentium; sed lugent, quia iniqua pœnitenda commiserunt. Exsultant ipsi de salute, quia pœnitendo a morte animæ resurrexerunt. Lugent, quia peccando perierunt. Lætantur neophyti gratia Salvatoris se collectos esse, dolent cum humano genere in primo parente periisse, et quasi corrupto ab hostibus templo Dei, statu scilicet corporis et animæ immortalis, in Babylonem, id est, in confusionem præsentis exsili, transmigrasse. Sed quia crescentibus bonorum profectibus crescit invidia malorum, nec inter augmenta piorum desinunt tentamenta pravorum, qui vel fecte bonum ostendendo, vel aperte malum ingerendo, sanctos lædere conantur, recte subjungitur.

CAP. VIII. De hostibus Judæ et Benjamin.

Audierunt hostes Judæ et Benjamin quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel, et accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum,

A dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Dominum Deum nostrum (I Esdr. IV), etc. Hostes Judæ et Benjamin Samaritanos dicit, quos captivitatis decem tribubus rex Assyriorum de diversis gentium populis in civitates eorum et terras eorum transtulit, qui postea acceptam legem Dei ex parte servabant, non minus simulacris quibus ante serviebant. Hi qui videri Dei cultores abominabantur, pollicentur auxilium operis, ut in societatem recepti, possint inferre dispendium. Hi ergo falsos fratres, id est hæreticos, et malos catholicos expriment, qui hostes Judæ, id est confessionis et laudis [quam Ecclesiam per fidem rectam, et operationem dignam offert], et Benjamin id est, filii dexteræ, dum eos qui se audiunt, separant a fidelibus, qui ad dextram judicis benedictionem et regnum æternum præcepturi sunt. Dicunt ergo: *Ædificemus vobiscum, etc.*, cum affectant hæretici auctoritatem sibi prædicandi inter Catholicos tribui: promittentes se eandem cum eis rectæ fidei et operationis tenere castitatem, ut accepta potestate prædicandi in medio boni seminis, a quo Paulus spermologos, id est, seminiverbium agnominatus est (Act. XVII), zizaniam interserant. Intraverunt enim terram filiorum Israel, non a Josue introducti, non Hierosolymorum imperio subditi, sed a rege perfido: ab hoste scilicet populi Dei, in terram ejus adducti, non ut Domino, sed regi adversario serviant, sic hæretici et falsi catholici, cum pacem Ecclesiæ vivendo perverse vel docendo impugnant, ab Hierosolymorum regno sunt extranei, et ad gentilium sortem magis pertinent, quorum idolis serviunt; nec Jesu Christo duce, sed diabolo quem significat rex Assur, sanctæ Ecclesiæ fines introeunt, sicut Simon Magnus baptismum in Ecclesia non pro sua salute accepit, sed ut secreta Ecclesiæ familiariter discuteret: quod exitus monstravit cum Ecclesiam quam in persona ficti fratris nequivit turbare, in persona apertissimi hostis acerrime turbavit.

CAP. IX. De dedicatione domus Domini.

Fecerunt filii Israel sacerdotes, et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrations, dedicationem domus Domini in gaudio (I Esdr. VI). Recte dedicatur templum a sacerdotibus, et Levitis, et reliquis filiorum transmigrations in gaudio, quia correctis peccatoribus, fit gaudium in cælo coram angelis Dei (Luc. XI), et magistris qui pro eorum salute laboraverunt, et pro omnibus qui de confusione peccatorum ad virtutum arcem, terram scilicet promissionis, mente et opere transmigraverunt. Sacerdotes, et Levitæ, et omnis populus in dedicatione restauratæ domus gaudent, quia omnes doctores Ecclesiæ de reconciliatis per pœnitentiam peccatoribus gaudent.

CAP. X. Quomodo Esdras significat Christum.

Esdras significat Christum, qui sanctam Scripturam renovavit, captivos in Jerusalem reduxit, domum Domini majoribus donis sublimavit, et duces, et præsides trans flumen Euphratem, qui legem Dei noscerent, constituit, filios transmigrations ab

uxoribus extraneis castigavit, et filios talium et matres de cœtu transmigrationis ejecit. Renovavit enim Christus sacram Scripturam, quam Scribæ et Pharisei per traditiones fœdaverant, vel juxta litteram tantum intelligi docebant. Ipse spirituali sensu plenam ostendit, et Novum Testamentum misso Spiritu sancto per apostolos et per apostolicos viros describi fecit. Eduxit populum de captivitate Babylonica, et in Jerusalem terram promissionis liberatum induxit, quia semel passus in cruce mundum sanguine redemit, et descendens ad inferos, veros Israelitas inde ad mœnia supernæ civitatis duxit, et quotidie fideles a perturbatione mundi congregatos ad consortium Ecclesiæ regnumque perenne convocat. Auxit ornatus templi auro et argento, et vasis pretiosis, quæ populus Israel et principes Persarum per eum miserunt, quia in se credentes de utroque populo in Ecclesiam ducens, claritate fidei et operis eorum hanc ornare et glorificare non desistit. Constituit duces et principes omni populo trans flumen, qui legem Dei noscerent, qui in Ecclesia [quæ flumine baptismatis abluta est, flumen Babylonium, id est, perturbationem sæculi fluctualis fidei sinceritate transcendit] apostolos, evangelistas, pastores posuit et rectores. Castigavit filios transmigrationis ab alienis uxoribus, quia illos qui professione fidei mundo renuntiant, illecebris mundi servire prohibuit. Ejecit filios talium, et matres de cœtu transmigrationis, ne forte adulti perfidiam sequerentur earum, non fidem patrum. Opera enim nostra, quæ bona videntur, si carnalibus delectationibus permixta sunt, si originem de contagio humani favoris sumpserunt, reprobare docuit, nec illis convenire qui mundum perfecte relinquunt, et tota mente ad cœlestia transcendunt. Qui non temporalibus blandimentis enervari, sed adversitatibus exerceri, et ad requiem sempiternam debent præparari.

CAP. XI. *De circumspectione doctorum.*

Veni (inquit Nehemias) Jerusalem, et eram ibi tribus diebus. Et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo, ut facerem in Jerusalem. Et jumentum non erat mecum nisi animal cui sedebam. Egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem Draconis, et ad portam Stercoris; et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas consumptas igni (II Esdr. II), etc. Diversa destructæ urbis loca lustrando pervagatur, et singula quomodo debeant restaurari sollicitè scrutatur. Doctorum quoque spiritualium est sæpius noctu surgere, et solerti indignatione statum Ecclesiæ quiescentibus cæteris inspicere ut vigilanter inquirant quomodo ea, quæ vitiorum sordibus, et bellis sordidata et dejecta sunt, corrigant, et erigant. Murus autem Hierusalem dissipatus jacet, quando conversatio fidelium terrenis, et infimis sordet affectibus. Portæ vero ejus consumuntur igni, quando principales virtutes et opera prin-

cipalia, per quæ debet fidelis ingredi ad vitam, fervore tentationum, et incendio vitiorum destruntur. Murus autem iste, et portæ utræque reedificantur, quando per solertiam doctorum, conversatio fidelium a terrenis affectibus erigitur, et quæ sint virtutes perfectæ, et opera potiora, quibus intratur ad vitam, instanter demonstratur.

CAP. XII. *Generalis sententia de toto ædificio.*

Longum esset de singulis ædificiis, vel ædificationibus mystice disserere, quæ per se etiam peritus lector potest cognoscere: tamen hic notandum quod qui portas et turres ædificant, per quas cives ingrediantur, vel inimici arceantur prophetæ sunt, et apostoli, et evangelistæ, per quos nobis forma fidei et rectæ operationis, per quam Ecclesiam intramus, ministratur; quorumque verbis adversarios veritatis redarguere discimus. Qui vero reliqua urbis extruunt, pastores sunt et doctores, quos secundo loco posuit Apostolus, per quorum industriam usque hodie, quasi per magnos architectos Ecclesiæ, ædificata fides catholica per totum orbem servatur: et sicut Nehemias ex ordine cunctos civitatis structores enumerans perpetuæ commendat memoriæ, ita consolator nostræ paupertatis Christus omnium, qui in electis Ecclesiam ædificant, nomina scribit in cœlo.

CAP. XIII. *De Sanaballat irato, et de Samaritanis.*

Factum est cum audisset Sanaballat, quod ædificarem murum, iratus est valde (D Esdr. IV). Plane hæc ira hæreticorum est, hæc sunt verba eorum, qui se Samaritanos nominant, id est custodes legis Dei, cum sint Deo et legibus ejus contrarii, tanquam a domo David, id est ab unitate Christi et Ecclesiæ per hæreses et schismata et mala opera separati. Qui ne sua expugnetur impietas, muros ædificari metuunt. Et motus nimis subsannavit Judæos. Hæc subsannatio est omnium, qui dicunt se nosse Deum factis autem negant (Tit. I). Et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum: Quod Judæi imbecilles faciunt? num dimittent eos gentes? (D Esdr. IV). Samaritani ita serviebant Domino, ut diis suis non renuntiarent. Quos hodie imitantur qui ita Christiani sunt, ut ventrem suum deum habeant (Philipp. III), et aut avaritiam sequantur, quod est idolorum servitus (Ephes. V), aut cæteris mundi illecebris mancipati, creaturæ magis serviant quam Creatori (Rom. I). Tales ergo sicut hæretici nolunt muros Ecclesiæ innovari, ne crescente statu pietatis a sua cogantur impietate recedere. Tales solent imbecilles appellare Judæos, id est confessores fidei, et facile a gentibus superandos, cum in quotidiano animarum certamine, plus amant vitia, quam virtutes victoriæ palma obtinere.

CAP. XIV. *De cautela ædificantium.*

Media pars juvenum faciebat opus, et media parata erat ad bellum (D Esdr. IV). Ædificantium in muro, et portantium onera et imponentium, una manu faciebat opus, et altera tenebat gladium. Ædificantium unusquisque gladio erat accinctus renes, non

non solum media pars juvenum faciebat opus, et pars media parata erat ad bellum; sed juvenes, qui faciebant opus, gladio erant accincti. Tanta erat versutia hostis antiqui, tantus est furor malitiæ ejus contra Ecclesiam, ut non solum prædicatores veritatis, sed ipse populus Dei semper debeat contra vigilare, et quasi acie stare. Ædificantes enim gladio accingunt renes, cum ii qui bonis operibus insistere, et sibi commissos curant regulari ratione disponere (hoc est enim vivos lapides in ædificio sanctæ Trinitatis competenter locare), fluxa luxuriæ in se acumine verbi Dei satagunt restringere.

CAP. XV. *Quomodo Sabbatum observabant.*

Populi terræ, qui important venalia, et ad usum omnia per diem Sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato (II Esdr. x). Nobis quoque Sabbatum spirituale semper agendum est: semper a servili opere, id est a peccato feriandum est; semper vacandum et videndum, quoniam ipse est Deus (*Psal. xxxiii*), ut post tale Sabbatum liberati a conscientie peccatis, perveniamus ad Sabbatum

A futuræ gloriæ. Sed quærunt populi terræ profanare Sabbatum, venalia inferendo in die sanctificata, quando immundi spiritus munditiam cordis maculare nituntur, et ingerere illecebras vitiorum accepto pretio nostri consensus: quo diem maximæ sanctificationis inquinant, id est lucem piæ actionis, vel cogitationis erroribus obnubilent. Sed non hujusmodi mercatum, clausis muris nostræ urbis, id est custodia vitæ perfectioris, prorsus vitare debemus.

CAP. XVI. *De bifaria dedicatione civitatis.*

Facta civitas sancta dedicatur (I Esdr. xii), cum impleto in fine sæculi numero electorum Ecclesia universaliter in cælum ad visionem Conditoris sui introducitur: cujus vitæ desideriis quoties in hac vita sustollimur, quasi de futura civitatis nostræ dedicatione lætamur. Unde et bifaria dedicatio potest accipi interim, scilicet in spe desiderantium et mundantium oculos cordis, quibus Deum videant, et tunc in re ipsa fruendum divina visione beatorum in corporibus spiritualibus inter angelica agmina.

LIBER NONUS.

IN LIBROS ESTHER, TOBIÆ, JUDITH ET MACHABÆORUM.

CAP. I. *De mysteriis quæ continentur in libro Esther.*

In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias (Esther I), etc. Assuerus rex potens et dives, et nominis interpretatione, et potentie sublimitate et divitiarum magnitudine Christum significat. Nominis interpretatione, quia interpretatur ostium, Christus dixit: *Ego sum ostium (Joan. x)*; potentie sublimitate, quia *data est Christo omnis potestas et in cælo et in terra (Matth. xxviii)*; divitiarum magnitudine, quia *quæcunque habet Pater, ejus sunt (Joan. xvii)*. Tertio anno imperii sui fecit grande convivium principibus suis et pueris. Hujus convivii historia divitiarum pompam et regium luxum ostentat; sed Christi spirituales divitias, quas unicuique dispensat in hoc loco allegorice significat. Christus namque tertio anno imperii sui, id est tertio tempore hujus sæculi incarnationis suæ sacramenta patefecit, et spirituales epulas prædicationis, et corporis, et sanguinis sui abundantissime manifestavit. Primum tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Fecit hoc convivium principibus suis et pueris, id est apostolis et omnibus a peccato purificatis; et fortissimis, illis scilicet qui vicerant malignum; et inclytis, id est illis qui filii Dei vocabuntur; et præfectis provinciarum, id est prælatis Ecclesiarum; omnibus fecit convivium quibus spiritualis gratiæ tribuit donum. Multo tempore, centum octo-

C *ginta diebus (Esther I)*; centum propter æternam vitam, quia centenarius perfectus est numerus, et a læva transit in dextram; octoginta, quia octo sunt beatitudines, ad quas convivium istud perducatur. Septem dies, quibus convivium præparatur, præsens tempus designat, quod septem dierum numero volvitur. Vestibulum horti, in quo convivium præparabatur, præsentem Ecclesiam significat, in qua ad futuræ gloriæ jucunditates justificamur. Ornatus vestibuli designat ornatum Ecclesiæ in statu præsentis sæculi. Vasa, quibus potus inferebatur, sunt sancti prædicatores, per quos nobis gratia cœlestis administratur. *Nec erat, qui nolentes cogeret, quia rex statuerat ut sumeret quisque quod vellet.* Sic namque temperanda est prædicationis, ut omnibus utilis fiat, nulli noceat, et inter vitia quasi gladius anceps transeat. Sic superbiam recidens auferat, ut non augeat timiditatem; sic otiosis et torpentibus imponat sollicitudinem, ut inquietis et curiosis non augeat importunam actionem. *Regina Vasthi fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex manere consueverat.* Regina Vasthi superba, plebs est Judaica, quæ regnabat quandiu cultu Dei cæteris præeminebat gentibus. Fecit convivium feminarum, quando fecit per legem, refectionem sanctarum animarum. In palatio, ubi rex manere consueverat, id est in Hierusalem, in qua Deus potentie suæ notitiam tribuebat. *Septimo itaque die, cum rex esset hilarior, et post potationem incaluisset mero, præcepit septem*

eunuchis suis, ut introducerent reginam, ut ostenderet cunctis populis, et principibus, illius pulchritudinem. Septimo die, id est tempore revelationis septiformis gratiæ, quando venit plenitudo temporis, et Deus Filium suum misit in terras, et legis mysteria, quibus ante fideles paverat, abundantiori gratia manifestavit. Tunc præcepit septem eunuchis, id est prædicatoribus septiformi Spiritu repletis, qui se castraverunt propter regnum cælorum, ut Vasthi reginam, id est plebem Judaicam introducerent per spiritualem intelligentiam, quia adhuc erat foris per legis litteram. Ut ostenderet omnibus illius pulchritudinem, id est ut omnibus esset exemplum ad fidem et bonam actionem; *erat autem pulcha nimis*: propter prærogativam, videlicet patrum, et scientiam legis et prophetarum. Præcepit ut introducerent eam, posito super caput ejus diademate, id est religionis honore. *Sed regina Vasthi intrare renuit*, quia plebs Judaica gratiam Dei respuens, per fidem venire contempsit. Septem regis sapientes sunt universi doctores et septiformi gratia repleti, et per ipsam ad omnia agenda divinitus edocti. Mamucha novissimus sapientium, qui sententiam promulgavit, ut Vasthi deponeretur, et alia in ejus loco substitueretur. Paulum significat, qui dixit: *Ego sum minimus apostolorum* (I Cor. xv), et contradicentibus Judæis prædicationi ait: *Quia indignos vos judicatis regno Dei, ecce convertimur ad gentes* (Act. xiii).

Repudiata Vasthi, quæsitæ sunt puellæ speciosæ regi, et traditæ sub manu Egæi eunuchi, ut acciperent ab eo usum necessarium (Esther ii), quia repudiata Judæa, diversi ex diversis partibus mundi ad societatem regiæ dignitatis per prædicatores adducuntur, verbum Dei administrantes, et sub manu Egæi (qui *festivus* interpretatur, et custos est regiarum mulierum) traduntur, id est committuntur pastoribus, quibus fidelium animarum custodia datur, ut verbo et exemplo ministrent quidquid ad cultum pietatis necessarium viderint. Quicumque recta fide, et conscientia pura regi altissimo placuerit, ad ipsum ingrediatur repudiata Vasthi. Multæ puellæ sunt quæsitæ, multæ ad curiam regis adductæ, sed una eligitur, una in reginam coronatur, quia universæ Ecclesiæ fidelibus, *una fides, unum baptisma, unus Deus, et unus pater omnium* (Ephes. iv). Ornamenta puellarum spiritualia significant ornamenta fidelium animarum. *Erat vir Judæus in Susis civitate vocabulo Mardocheus, filius Jair filii Semei, filii Cis de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Hierusalem eo tempore, quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat: qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine Esther vocabatur, et utrumque perentem amiserat: pulchra nimis et decora facie.* Esther interpretatur *absconsa*; Edissa, *misericordia*. Hæc autem est gentium Ecclesia, quæ in abscondito cordis nutriens castitatem fidei, misericordiam et gratiam coram oculis Dei invenit, repudiata Synagoga quæ in Osee vocatur *absque misericordia* (Osee i.)

A Hanc nutrit Mardocheus spiritualis, et adoptat in filiam: *qui est doctor gentium in fide, et veritate* (I Tim. ii); et est de stirpe Jemini, hoc est, de stirpe Benjamin. Hanc Nabuchodonosor spiritualis, et rex confusionis, a naturali lege et cultu unius Dei in confusionem idololatriæ transtulit; sed pietas divina ad viam veritatis per prædicatores revocavit. *Placuit Esther regi, et data sunt ei ad usum necessaria*; et Christo placuit Ecclesia, et data est ei doctrina sana, Scripturarum scientia, vita honesta. Esther accepit in obsequium suum septem puellas speciosissimas, et Ecclesia fideles animas Spiritus sancti gratia regeneratas, atque delicatas, quæ ejus sequuntur vestigia fide, doctrina, operatione bona, de quibus dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis* (Cant. i). Esther noluit indicare patriam suam regi, et sancta Ecclesia bonis operibus tegit coram Deo culpam antiquam. Curam salutis Esther egit Mardocheus, et curam salutis Ecclesiæ agit per doctrinam suam apostolus Paulus, et omnium doctorum cætus. Bagathan et Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant, voluerunt in regem insurgere et occidere: quod Mardocheum non latuit; statimque renuntiavit regiæ Esther, et illa regi ex nomine Mardochei, qui ad se rem detulerat. Quæsitum est et inventum, et appensus uterque in patibulo. Possunt in duobus eunuchis schismatici et hæretici notari; qui fraudis et malitiæ venenum corde gestantes, contra veritatem consiliauntur, ut eam credentibus auferant, et Christum, id est fidem Christi in ipsis fidelibus interficiant. Sed eorum iniquitatem sancti doctores manifestant, ut innocentes salventur, et illi justa ultione puniantur.

Rex Assuerus exaltavit Aman (Esther iii). Possunt per Aman superbum, Mardochei, et sanctæ gentis inimicum, Judæi et potentes præsentis sæculi designari. Sicut enim Aman epistolas dirigens, regis signaculo eas munire contendit, ut facilius votum suum expleatur, sic Judæi libros legis divinæ, in quibus est signaculum summi regis, id est gratia Spiritus sancti, ad confirmandam hæresim suam assumunt in testimonium, reprobantes societatem gentium, et Christi Evangelium, quasi divinis præceptis contrarium. Potentes quoque sæculi, beneficiis divina pietate collatis abutentes, quos consortes habent naturæ, dedignantur habere consortes gratiæ, et honorem, et reverentiam, quam soli Deo debuerunt, in sese transferre contendunt, eos autem, qui consentire nolunt, odiis et cruciatibus persequuntur, sed justo judicio in insidiis suis capiuntur iniqui; justus de angustia liberatur, et traditur impius pro eo.

Noctem illam rex duxit insomnem: jussitque sibi afferri historias annales priorum temporum. Quæ cum, illo præsentem, legerentur, ventum est ad eum locum, ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardocheus insidias Bagatham et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium (Esther. vi).

Noctem rex duxit insomnem, quia non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel (Psal. cxx). Deus enim in se immobilis manens, cursus temporum, et actus hominum contemplatur, et nulla eum latet cogitatio, cui omnia præsentia. Unde Apostolus: *Non enim est in illo, est, et non; sed est in illo, fuit (II Cor. i)*. Gesta Mardochei coram rege memorantur, quia bona opera sanctorum doctorum nunquam apud Deum oblivioni traduntur; sed in memoria æterna erit justus (Psal. cxi). Tulit Aman, jubente rege, stolam, et Mardocheum (cui ipse ex nequitia crucem paraverat) impositum equo præcedebat: *Hoc honore condignus est quemcunque rex voluerit honorare*. Sic magistri Ecclesiæ omnium virtutum cultu, et decore sapientiæ illustrati, honorantur diademate regiæ dignitatis; tanquam membra summi regis ascendunt super equum regium, id est super populum fidelium, in quorum cordibus residet rex angelorum. Unde Habacuc propheta: *Ascendens super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (Habac. iii)*. His Aman spiritualis hostis populi Dei licet invitus præbet obsequium, cum persecutores Ecclesiæ coguntur reddere testimonium, non valentes occultare, quod manifestum est. *Reversus est Mardocheus ad januam palatii. Et Aman festinavit ire in domum suam lugens cooperto capite. Hæc mutatio dexterae Excelsi (Psal. lxxvi)*. Qui sibi videbatur super alios gloriosior et potentior, infra alios apparet vilior et inferior, secundum illud: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Luc. i)*. Similiter et Isaias ait: *Convertetur Libanus in charmel, et charmel in saltum reputabitur (Isai. xxix)*. Sic Synagogæ superbia est oppressa, et Ecclesiæ humilitas exaltata; sic persecutores Ecclesiæ et fidei ad nihilum sunt redacti, et confessores Christi in toto orbe exaltati. Caput in caudam, et cauda in caput conversa est, quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur (Luc. xiv). etc.

Procidit Esther ad pedes regis, et oravit ut malitiam Aman et machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri (Esther viii). Sic sancta Ecclesia pro ereptione filiorum suorum, quotidie Deum omnipotentem per fidem et mysteria incarnationis obsecrat ut hostium comprimatur audacia, et fidelium liberetur innocentia. Mardocheus itaque exaltatus est, et genus ejus, quia electi exaltantur, et in præsentia per gratiam, et in futuro per gloriam. Aman punitus est, et genus ejus, quia mali quique in præsentia reprobantur per culpam, et in futuro punientur per poenam. Gaudium itaque Judæorum et exultatio æternam designat lætitiâ beatorum.

CAP. II. De mysteriis quæ continentur in libro Tobie.

Liber Tobie in superficie litteræ est salubris. Maxime enim vitæ moralis, et exemplis, abundat et monitis. Sed quantum poma foliis, tantum historiis allegoria præcellit. Maxima enim Ecclesiæ sacramenta continet. Ipse enim Tobias populum Israel significat, qui cæteris idololatriæ deditis, fide recta, et operibus Deo serviebat. Unde dicitur:

A *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam rex Israel fecerat, hic solus fugiebat consortium omnium, et pergebat Hierusalem ad templum Dei, et ibi adorabat Dominum Deum Israel. Cum autem factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, et genuit ex ea filium et suum nomen imposuit ei (Tob. i)*. Sic populus Israel amplificatus est in Ægypto, et accepit Synagogam cæremoniis legalibus per Moysen institutam, et genuit ex ea filium, quia Christum cognovit ex genere suo gignendum. Unde scriptum est: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris (Deut. xviii)*; et item: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal. xiii)*. Cui nomen suum imposuit credendo, confitendo quod Pater de illo dicit: *Ego primogenitum ponam illum (Psal. lxxxviii)*. Hoc est enim nomen ipsius Israel. Unde scriptum est: *Filius meus primogenitus Israel (Exod. iv)*. Cum pervenisset in Bagges civitatem Medorum, et ex his, quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti, et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu sua, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti. Sic populus Dei per septuaginta Interpretes scientiam legis, quæ in Decalogo continetur, gentibus commisit, ut liberaret eas a fame verbi Dei. Sub chirographo dedit, id est sub conditione reddendi, cum ille dives esset, vel quando, qui dederat, repeteret. Acceperunt gentes verbum Dei, et quasi negotiando exercent, etiam post Christi adventum, cum spiritualem intellectum requirunt. Reddent feneratori cum credentes Judæos in fine sæculi suscipient et salvandis Christi sacramenta committent, et Scripturæ arcana pandent. *Cum Sennacherib iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus. Tobias vero cum uxore, et filio, fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum*. Sic diabolus populum Dei per idololatriam spiritali morte perimere voluit, et cunctas opes virtutum auferre non valuit, quia in eo erant multi sancti, qui ejus providerent vitæ et salutis. Fugit autem cum filio et uxore: quia nec fidem incarnationis Dominicæ, nec statum Synagogæ deseruit, quod in Machabæorum agonibus luce clarius apparuit. Occiso rege, a filiis suis restaurata sunt omnia Tobie, quia superato a sceleribus suis sæpius diabolo, qui velut pessimam prolem gignit; redibant prospera populo Dei, quibus adhuc alternationibus Ecclesiæ statum fluctuare videmus.

Contigit ut quadam die fatigatus ex sepultura veniens domum jactasset se juxta parietem, et obdormivisset: et ex nido hirundinum dormienti illi calida inciderent stercora super oculos ejus, fieretque cæcus (Tob. ii). Cæcatus Tobias, populum Israel significat. Cæcitas enim ex parte contigit in Israel (Rom. xi). Fatigatus a sepultura cæcatus est. Qui enim infatigabilis in bonis operibus consistit, fidei lumen non amittit. Ita et spiritualiter fatigatus dormit, qui vigilare, stare, viriliter agere et confortari

negligit. Cui dicitur : *Surge qui dormis, et exurge a mortis* (Ephes. v.). Hirundines, propter levem volatum, levitatem superbiamque designant, quarum immunditia eos, quibus dominatur, excæcat. Nido hirundinum suppositus dormit, qui levitati, lasciviæ ac superbiæ se incautus subjicit. Hæc cæcitas populo Israel, imminente Domini adventu in carne, maxime prævaluit, cum Romanæ servitutis jugo laboraret, et divæ legis præcepta male vivendo violaret.

Contigit ut Sara filia Raguelis in civitate Medorum, ut et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui ; quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmon nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam (Tob. iii.) Sara turbam nationum significat, cujus doctores cuncti vitam tantum hujus sæculi (quæ septem dierum numero volvitur) noverant, æternam nesciebant. Ideo a diabolo rapti, quasi idololatriæ mancipati occidebantur, donec venit Christus, verus sponsus, qui eam in fide sibi desponsavit, hoste superato, sicut Tobias Saram, alligato diabolo, præsentem et cooperante angelo ; in quo Salvatoris divinitas, sicut in Tobia significatur humanitas. Nec mirandum quod per duas personas angeli et hominis, unam Christi figurari personam dicimus : qui in expositionibus Patrum legimus unam personam ejus in Isaac, et arietes figuratam, qui in humanitate occiditur ut ovis, in divinitate cum Patre permanet impassibilis, sicut Isaac cum Abraham domum revertitur incolumis. Si etenim aries Christi humanitatem, Isaac significat divinitatem ; cur non aptius homo humanitatem, angelus Deitatem ? *Exauditæ sunt orationes amborum Tobiae et Saræ, in conspectu gloriæ summi Dei : et missus est angelus Raphael, ut curaret eos ambos.* Raphael interpretatur medicina Dei, et significat Christum, qui de seipso ait : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus* (Matth. ix) : qui et populum Judaicum a tenebris perfidiæ, et gentilem liberavit ab idololatriæ servitute, de quo scriptum est : *Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus* (Isai. vi).

Apparuit angelus Tobiae, et socium se præbuit (Tob. v), et Filius Dei hominem assumpsit, et visibiliter cum hominibus conversatus, humanum genus salvavit. Introduxit Tobias angelum ad patrem, et Dominus per miracula, quæ in carne fecit, populo Judæorum ex quo carnem accepit ostendit quod ipse est Filius Dei, et angelus, id est nuntius paternæ voluntatis, cui et gaudium perpetuæ salutis prædicavit, dicens : *Pœnitentiam agite : appropinquabit enim regnum cælorum* (Matt. iii). Et desperantibus de lumine cæli : *Ego sum, inquit, lux mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (Joan. viii). Promittit angelus Tobiae ducere filium suum in civitatem Medorum, reducere promittit Christus credentibus Judæis (quamvis plures sunt cæcati) quod incarnationis suæ sacramenta gentibus aperiat, et in fine temporum populo Judæorum latius pandat, comi-

tante et cooperante divinitatis suæ fide. Deducendo ad Medos dicit : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili* (Joan. x). De reducendo dicit Apostolus : *Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (Rom. xi). Interrogavit Tobias angelum, quis et unde esset. *Ego sum, Azarias, Ananiæ magni filius.* Azarias interpretatur adjutor, Ananias Dei gratia. Christus se fidelibus suis indicat, quod ipse est, de quo dicitur : *Adjutor meus, et liberator meus es tu, Domine, ne moreris* (Psal. lxxix). *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* (Joan. i). *Paratis omnibus, quæ erant in via portanda secum, Tobia vale patri suo et matri dixit : et ambulaverunt ambo simul.* Sic, apparente Domino, parata sunt omnia, quæ ad redemptionem nostram erant necessaria, quibus Ecclesiæ fides et vita nutriatur et confirmetur, donec hujus sæculi via finiatur, id est virtutes, ejus doctrina, tentatio, passio, resurrectio, ascensio, Spiritus sancti missio, fides credentium, persecutio infidelium. His in Judæa peractis, mediator Dei et hominum per apostolos Judæis contribulibus suis, ut gentibus gaudia supernæ salutis et pacis prædicavit, et his qui credere, et accipere volebant per seipsum donavit, et sic per apostolos ad salutem gentium pervenit.

Profectus est Tobias, et canis secutus est eum (Tob. vi). Sic Domino veniente ad salvandas gentes, prædicatores vestigia ejus secuti sunt, quia quod jussit impleverunt. Unde scriptum est : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xxviii). Domum quoque Cornelii primo ipse Dominus per se implevit Spiritu sancto, et sic eum Petrus aqua perfudit (Act. x). Canes vocantur prædicatores, quia Dei Domum, et ejus substantiam, et oves spirituales a furibus bestialibus spiritibus, et hæreticis defendunt. *Profectus est Tobias, et mansit juxta fluvium cui nomen Tigris ;* et Christus veniens in mundum, mansit juxta fluvium mortalitatis. *Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos :* et Christus exivit a Patre, ut a sordibus peccatorum ablueret electos suos. Voluit piscis Tobiam devorare, et diabolus conatus est per satellites suos Christum extinguere. *Et Tobias timuit piscem ;* et Christus pro infirmitate carnis timuit mortem, per suggestionem, et cooperationem diabolicam a Judæis sibi imminentem. *Apprehendit Tobias piscem, et traxit in siccum,* et Christus sua potentia superavit diabolum, et tenebat ligatum. *Tobias piscem exenteravit ;* et Christus occultam nequitiam diaboli cunctis electis manifestavit. *Tobias cor piscis, et fel et jecur ad diversa medicamenta utilia sibi reposuit ;* et Christus malitiam diaboli, et furorem ejus, et diversa consilia ad utilitatem legentium scribi fecit. *Tobias quidquid de pisce sumpsit assavit ;* et Christus electos, quos prædicatione a corpore diaboli separat, Spiritus sancti gratia accendere non desistit.

Dixit Tobias ad Raguelem ; Hic ego hodie non man-

ducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. Quo audito Raguel expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, et timere cœpit, ne forte accidat et huic similiter (Tob. vii). Sic audiens populus gentium verbum Dei, et admonitus ab apostolis, ut de sua stirpe Christo daret uxorem, non sine timore vel exploratione potuit novæ fidei jura suscipere; quia cum multos doctores habuit, qui omnes quasi septenario numero comprehensi, hanc tantum vitam noverant, de æterna nihil decebant certum, et ideo sine spe immortalis vitæ, interitus æternæ mortis eos rapuit: docente autem intrinsecus veritate, et foris per doctorum ora sonante, tandem intellexit quod justum esset, ut qui stulta dicerent, stulte perirent.

Introductus Tobias ad cubiculum protulit de cassidili suo partem jecoris posuitque super carbones vivos. Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, et ligavit illud in deserto superioris Ægypti (Tob. viii), etc. Dominus accepturus Ecclesiam de gentibus, in desponsationis initio, jubet eam abrenuntiare diabolo, et omnibus pompis ejus, et confiteri fidem Trinitatis, in remissionem peccatorum, quod est, intima viscera piscis vivis cremare carbonibus. Desertum et Ægyptus corda infidelium significant, quæ a Deo deserta sunt, quia ejus est habitatione indigna, et juxta interpretationem Ægypti perfidiæ suæ tenebris obscurata. Merito autem qui a Deo deseritur, a dæmonio repletur. Angelus vero dæmonem, qui Tobiam occidere volebat, in deserto ligavit, quia cohibitum diabolum a fidelibus, qui sunt membra Christi in fidelibus tantum dominari permisit; in quibus tenet eum ligatum, quia nec ipsos tantum lædere permittitur, quantum conatur.

Factum est circa cantum pullorum; accersiri fecit Raguel servos suos: et abierunt cum eo pariter, ut foderent sepulcrum. Timebat enim, ne similiter evenisset ei, quod cæteris aliis septem, qui ingressi sunt ad eam.

Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam, dixit ei: Mitte unam ex ancillis, ut videat, an mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat. Et misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, invenit eos salvos et incolumes, securiter dormientes, etc. Cantus pullorum sonus est prædicatorum qui post tenebras errorum, diem lucis annuntiant futuram. Erant in gentibus qui dubitabant an Deus vere vicisset antiquum hostem, et ideo fidem nominis ejus obstruere atque abscondere satius existimabant: sed post modum agnita veritatis luce, quasi aurora præeunte et crebrescente cantu, id est voce prædicatorum, veraciter Christum hoste superato, sponsum esse sanctæ Ecclesiæ cognoverunt. Lætatur Raguel de vita Tobiae, et de conjunctione filiæ. Occidit duas vaccas, quatuor arietes, parat epulas omnibus vicinis et amicis. Lætatur populus gentium de fide Christi, et de vocatione suæ gentis in Domini fide proficientis, ut

etiam de ipsis doctores fierent qui postmodum martyres existerent. Hi, vaccæ sunt qui jugum Evangelii portaverunt, et eos, qui portarent prædicando, genuerunt. Arietes, sunt tanquam Patres et duces populorum. Unde scriptum est: *Afferte Domino filii Dei; afferte Domino filios arietum (Psal. xxviii).* Sunt crassi, gratia supernæ dilectionis relecti. Unde dicitur: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. (Psal. lxxii).* Adjuravit Raguel Tobiam ut duas hebdomadas moraretur apud ipsum. Sic et nos oremus Christum ut maneat nobiscum, donec perfectionem quietis per Spiritus sancti gratiam consequamur, et a peccatis in opere, et a pravis cogitationibus in mente liberemur.

B *Mittit Tobias ad Gabelum, et invitatur eum ad nuptias suas, qui invitatus venit (Tob. ix).* Sic novus populus quotidie in Ecclesia colligitur. Potest tamen de his specialiter intelligi, qui litteram legis per septuaginta Interpretes acceperunt, et ideo fidem citius susceperunt.

Tradidit Raguel Tobiae Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ, in pueris, in puellis, in camelis, in pecudibus, in vaccis, in pecunia multa, et salvum atque gaudentem remisit eum ad patrem suum (Tob. x). Sic doctor Ecclesiæ in fine remittet Christum cum ipsa Ecclesia virtutum divitiis plena, ad fidem illustrandam bonorum operum substantiam ditandam, in Judæorum gentem, ex qua Dei Filius assumpsit carnem.

C *Dixit angelus ad Tobiam: Si placet tibi, præcedamus, et lento gradu sequatur iter nostrum familia (Tob. xi).* Sic postquam illuminatus est populus gentium, præcedit divina gratia ad illuminandam cæcitatem Judæorum, ut in libris suis cognoscant Christum verum hominem et verum Deum: et sic tandem quasi viso angelo et filio suo, quos diu non viderant, multum gaudeant, tandemque Ecclesiæ de gentibus congregatæ mysteriorum se communionem conjungant.

D *Præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, et quasi blandimento suæ caudæ gaudebat.* Sic gaudent doctores de effectu sui operis, cum Judæam a Domino recolligendam intelligunt. Gaudent de præmio vitæ æternæ, et tunc cunctis electis eodem præmio corda exhilaranda prædicant et statim adventuram Spiritus sancti gratiam ostendunt. *Exsurgens cæcus pater cœpit offerens pedibus currere.* Sic, audito verbo salutis a doctoribus, exsurget et populus Judæorum de perfidiæ suæ longa cæcitate, et amore curret ad Dominum; sed offendens gressibus operum donec ipse renatus fuerit, et instructus in Christo, fidei et operationis lucem percipiat. *Sumens Tobias de felle piscis linivit patris sui oculos, et quasi dimidiam horam sustinuit, et cœpit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi: quam apprehendens Tobias traxit ab oculis suis. Statimque visum recepit; et glorificabant Deum, ipse scilicet, et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum, dicebatque Tobias: Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu ca-*

stigasti me, et tu salvasti me. Sic populus Judæorum postquam amarissimam antiqui hostis malitiam cognoverit, amissam recipiet lucem. Albugo designat stultitiam Judaici populi sibi placentis, habentis zelum Dei, sed non secundum scientiam. De quibus dicitur: *Suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (Rom. x). Pupilla enim nigra, videt; alba, tenebrosa est. Et qui sibi sapientes videntur, et dicunt: *Nunquid et nos cæci sumus?* (Joan. ix) in eis veritas non est. Et qui ignorantie conscii, dicunt: *Domine Deus, illumina tenebras meas* (Psal. xvii), a Domino illuminantur. Habet igitur populus Judæorum velamen adhuc ante faciem cordis, ut nec intelligat gratiam Christi; habet albuginem, quia candidus et justus sibi videtur. Quasi membrana ovi, quia cæcitatem mentis sustinet, sub spe stultissima Christi adhuc nascituri, Judæos liberaturi et imperium magnum daturi. Cum autem velamen ablatum fuerit agnoscent quod Christus jam venit, et mundum sanguine suo redemit. Unde sequitur quod visu recepto, glorificabant Deum Tobias cum uxore sua.

Ego sum Raphael angelus, unus ex septem angelis qui astamus ante Deum. Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit (Tob. xii). Regressurus angelus in cælum apertius quis esset, et quare venerit, et quo regressurus sit, exponit; Christus eidem populo latius proficienti naturam suam patefecit, ostendens quod ipse in Patre, et Pater in ipso sit. Angelus redit ad Dominum; Tobias remansit apud patrem suum, et Christus a fidelibus suis intelligitur divinitate Patri æqualis, humanitate consubstantialis hominibus.

Aperiens Tobias os suum, benedixit Deum (Tob. xiii), et confessus ejus est veritatem et misericordiam, docens beneficia Dei semper prædicare, et flagella timere, repletusque spiritu prophetiæ de superna Hierusalèm multa decantat. Populus quoque Judæorum in fine sæculi conversus multos doctores habebit et prophetas, qui mentes populorum ad superna desideria accendant cælestis patriæ gaudia prædicando.

Factum est autem post obitum patris et matris, Tobias recessit ex Ninive civitate: et reversus est ad soceros suos, et invenit eos incolumes in senectute bona (Tob. xiv). Hoc quotidie facit Christus, cum malis relictis ad bonorum corda illustranda convertitur, qui inveniuntur in senectute bona, quia in bonis operibus diu studuerunt. Alios autem præterit, qui diu viventes, nec consilio sunt maturi, nec canitie bonæ actionis venerandi, sed peccatorum mole incurvi. Unde Isaias: *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit* (Isa. lxxv), qui silicet diu vivens levitatem animi non deserit. *Sepelierunt Tobiam juniorem omnis cognatio ejus, et omnis generatio ejus.* Sepultura Tobie fidem mundi designat, quo Dominus noster cum corpore suo, quod est Ecclesia, in requiem intrabit, angelis de societate hominum gratulantibus, et singulos

A per diversas mansiones pro diversitate meritorum collocantibus.

CAP. III. *De mysteriis quæ continentur in libro Judith.*

Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnabat contra Arphaxat; et obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor ejus elevatum est (Judith i), etc. Quando diabolus perditorum multitudinem suæ voluntati subjecit, elevatur cor ejus. Quod propriæ assignans virtuti, non divinæ permissioni, et eo magis ardescit ad plurimorum perditorum destructionem, quo se amplius credit prævalere per pravam suggestionem. Unde sequitur: *Et misit ad omnes, qui erant in Cilicia, et Damasco, et Libano: et ad gentes, quæ sunt in Carmelo et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon: et ad omnes qui habitant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque Hierusalem: et omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad montes Æthiopiæ.* Diabolus per diversas provincias legatos mittit, cum turbas malignorum spirituum ad seducendas gentes per totum orbem dispergit; nec parcat dignitati, nec honori: omnes enim ad gehennam trahere cupit et facere socios perditionis. Fideles quoque securos esse non patitur, qui per Jordanis nomen et Hierusalem significantur. Nec satis est ethnicos absorbere, nisi etiam Christianos possit devorare. Unde Job: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur: et habebit fiduciam quod influat Jordanis in os suum, et escæ ejus electæ* (Job. xl). Sed quamvis multos superet, a multis tamen contemnitur. Unde dicitur: *Omnes uno ore contra dixerunt.*

Tunc indignatus Nabuchodonosor vocavit Holofernem principem militiæ suæ et præcepit ei, ut omnem terram suo subjugaret imperio (Judith. ii). Holofernes iste significat principes gentium, qui Ecclesiam persequuntur, aut Antichristum filium perditionis, in quem totus Satanus introibit, ut faciat quæ patres sui non fecerunt, et Deum patrum suorum non reputabit, qui adversus omnia regna consurget. Et veniet cum magna multitudine ut conterat, et interficiat, et tabernaculum suum super montem inclytum, et sanctum ponat, ubi divinitus contritus corruat. Hic est bestia cui, juxta Apocalypsim, *draco virtutem et potentiam suam dabit* (Apoc. xiii): ut adorent omnes draconem, qui bestiæ talem dedit potentiam. *Cum pertransisset Holofernes fines Assyriorum, venit ad magnos montes Angæ, qui sunt a sinistris Ciliciæ: ascenditque omnia castella eorum et obtinuit munitionem omnem. Effregit autem potentissimam civitatem Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis.* Diversæ provinciæ, et nomina locorum quæ in historia continentur, personarum distinctiones et graduum dignitates designant, ex quibus vindicat sibi diabolus magnam partem, nec pugne formidat difficultatem; sed grandis potentiæ grandem certat efficere ruinam.

Tunc miserunt legatos suos universarum urbium, et provinciarum, reges ac principes, scilicet Mesopotamiæ, et Syriæ, et Sobal, et Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holophernem, dixerunt: Desinat indignatio tua circa nos. Melius est ut vivamus, et serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro servitutis nostræ damna patiamur [facimus] (*Judith. III*). Mesopotamia interpretatur *elevatio*; Syria, *sublimis*; Sobal, *vanum*; Libya, *intranses*; Cilicia, *cætus* vel *lactus*. Principes igitur regionum illarum, qui legatos suos ad Holophernem pro pace miserunt, signant carnales, qui reconciliati persecutoribus student ut mortis periculum et voluptatis detrimentum evadere possint. De quibus dicitur: *Qui vult amicus ejus sæculi esse, inimicus Dei constituitur* (*Jac. IV*). In his enim sollicitudo hujus sæculi et fallacia divitiarum suffocat verbum, et fructum non facit. Hi enim ferunt nomina provinciarum, qui superbia extolluntur et vanitatem sequuntur. Terram duabus viis ingrediuntur, et cœtui lugentium, vel luxuriæ suæ pœnas luentium in inferno sociabuntur, *ubi ad calorem nimium, transferentur ab aquis nivium* (*Job XXIV*): *et vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa. LXVI*).

Tunc audientes hæc filii Israel, qui habitabant terram Juda, timuerunt valde a facie ejus (*Judith IV*). Sic tempore persecutionis timent sancti, ne diabolus et persecutores ab eo directi faciant hoc Ecclesiæ et fidelibus ejus quod faciunt cæteris gentibus. Timent ne Ecclesia infirmiori parte expugnetur, et sic aliquod sui detrimentum patiat. Mittunt in Samariam, id est in eos qui custodire se debent et alios, monita salutis, ne per aditum pravæ delectationis, præbeant hostibus ingressum ad intima cordis. Per circuitum mittunt, ut ex omni parte se diligenter præparent et custodiant. Præoccupant vertices montium, dum conscendunt et muniunt subtilitatem ingeniorum et sensuum spiritualium. Muris circumdant vicos, dum fide et virtutibus confirmant sibi fideles commissos. Frumenta congregant in præparationem pugnæ, dum studiosius intendunt omnibus lectionibus et meditationibus sacræ Scripturæ. Sacerdos quoque Domini Eliachim scribit ad universos, dum spiritualis prælatus omnes erudit, ut obtineant ascensus montium, id est arduitate virtutum, et angustum iter custodiant, id est subtiles animæ sensus diligenter observent. Filii autem Israel omnia, quæ sibi sunt imperata, faciunt, dum electi præceptis majorum obediunt.

Audiens Holophernes, quod filii Israel præpararent se ad resistendum, vocavit omnes principes Moab et duces Ammon, et dixit eis: Dicite mihi, quis sit populus iste, qui montana obsidet? (*Judith V*). Sic quærere solent persecutores ab invicem, qui sunt tantæ constantiæ fideles, qui sibi verbo vel facto resistere præsumunt. *Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon, respondens, ait: Si digneris audire me, domine, dicam veritatem de populo*

PATROL. CLXXV.

A isto in conspectu suo. Per Achior hæretici designantur, qui, licet per omnia viam veritatis non teneant, tamen in doctrina sua multa vera prædicant, quæ fidei nostræ concordant. Hi contra Ecclesiam pugnant, sed ratione superati veritatem omnino non celant. Hæretici enim bona malis permiscunt qui semper falsa si dicerent, latere non possent. Sicut qui veneni potum porrigit, labrum calicis melle tangit, ut quod dulce est, primum tangatur; ne quod mortiferum est timeatur.

Tunc Holophernes præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, et ducerent eum in Bethuliam, etc. (*Judith VI*). Sic summi principes sæculi persecutoribus fidelium sibi subjectis præcipiunt, ut quoslibet confessores Christi, præcones veritatis comprehendant, ut in manum filiorum Israel, id est electorum tradant, quos ipsi perdendos putant. Et ducentes vadunt per campestria, quia capiunt tales trahere per illicita desideria, in viam latam, quæ ducit ad mortem. Contra quos fundibularii, id est sancti prædicatores in montanis, id est in arduitate viæ, quæ ducit ad vitam consistentes, per manifestam prædicationem exeunt, et sacræ Scripturæ verba jaciunt. *Sed illi Achior dimittentes ad arborem ligant*, quia per diversas tribulationes consortes Christi passionis faciunt. *Et reversi sunt ductores ad dominum suum*, quia persecutores fidelium, augmento scelerum suorum deteriores semper fiunt. *Porro filii Israel descendentes de Bethulia, veniunt ad Achior, quem solventes duxerunt ad Bethuliam.* Sic doctores Ecclesiæ ad arborem ligatum solvunt, cum catechumenos suos, nec persecutorem, nec mortem timere docent; quasi ad arborem ligatum solvunt, cum a formidine crucis mentem pavidam eruunt et ad patiendum instruunt. Hoc autem melius fit, si exemplo Oziæ et Charmi principum, qui confortantes Achior, preces devotas cum omni populo effuderunt, magistri Ecclesiæ cum cæteris fidelibus auditores suos devotis precibus Domino commendaverint, ut ejus dono habeant, quod humana infirmitas non meretur. *Tunc Ozias sumpto consilio, suscepit eum in domum suam, et fecit ei cœnam magnam. Et vocatis omnibus presbyteris, expleto simul jejunio, refecerunt.* Cœnam magnam expleto jejunio facit, qui diu animam languidam, et pane verbi Dei jejunam, evangelica doctrina et dapibus virtutum in convivio reficit. Hinc simul advocantur omnes presbyteri, ut eorum exhortationibus et exemplis corroborentur ad fidem percipiendam et observandam neophyti.

Porro, dum Holophernes circuiret per gyrum reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret, et incidit præcepit aquæductum eorum (*Judith VII*). Sic doctrinam Evangelii, quam ex vivo fonte procedentem, doctores Spiritus sancti gratia illuminati, per oris sui fistulam in sanctæ Ecclesiæ civitatem introducunt, persecutores fidelium prohibendo, et mortem minando auferunt, ut potus spiritualis indigentia occidant. *Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fe-*

*minæque, juvenes et parvuli, omnes simul una voce dixerunt: Judicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis: et propter hoc vendit nos Deus in manibus eorum. Isti signant carnales, qui dicunt, Domine, Domine, cor autem eorum longe est a Deo Isa. xxix). Sunt ergo in sagena Domini tali pisces usque ad littus futuri judicii, qui presentis vite incommoda graviter ferentes, eligunt presentibus uti deliciis magis quam cœlestia bona in futuro sibi reservari, qui magistros suos importunis querimoniis affligunt, et sibi ad luxum sæculi assentire cogunt. Unde sequitur: *Et cum fatigati his clamoribus, et his fletibus lassati soluisset, exurgens Ozias, infusus lacrymis, ait: Equo animo estote, fratres: et hos quinque dies expectamus a Domino misericordiam.* Sic quinque sensus corporis, quibus præsens ducitur vita quasi quinque diem inducias iners doctor expetit: qui corporale solatium auditoribus suis indiscrete proniicit, quasi in potestate sua sit summi datoris munificentia, cum magis quidem tribuendi modus in dantis, quam in accipientis potestate consistat. Si autem presentis vite negatur solatium, sublitos deserunt, ut credentes persecutoribus, corporale devitent supplicium.*

Hanc conventionem, Judith, id est Ecclesia respuit (*Judith viii*), et contemnit. Judith enim, quæ interpretatur *confitens* vel laudans, Ecclesiam significat, quæ Deum vera fide confitetur, et in omnibus operibus ejus laudare non desinit. *Et vir ejus Manasses fuit: qui mortuus est in diebus mensis hordeacæ.* Christus Ecclesie sponsus, bene Manasses, id est *obliviosus* vel *qui oblitus est*, dicitur, quia nos facit oblivisci calamitatis pristinae per consolationem vite future. His in diebus mensis hordeacæ, id est electionis plebis Judaicæ committit, et apostolos suos prædicare, et manipulo credentium congregare. *Venit æstus persecutionis super caput*, id est Divinitatem. Caput enim Christi, Deus (*I Cor. xi*). Inde enim maxime scandalizantur Judæi, quod se esse Filium Dei dicebat (*Joan. x*). Unde scriptum est: *Facit seipsum Deum.* Hujus sponsa, ablato sponso; jejunio et orationi operam dat usque ad consummationem sæculi, nec erroribus hæreticorum dignatur pollui. Cui vir suus diviserat divitias spiritualis sapientiæ, et virtutis, et familiam in gentium multitudinem congregavit. Dixit Judith ad presbyteros: *Quod est verbum in quo consentit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit nobis adjutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo qui misericordiam provocet; sed potius iram excitet, et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum constituistis ei! Nec tempus, nec modum Domino præscribere debemus; sed magis arbitrio ejus cuncta relinquamus.* Unde quidam Patrum in oratione dixisse legitur: *Filii Dei, sicut vis, et ut vis, miserere mei. Regnum Dei tantum quaerimus: et cætera adjicientur nobis (Matth.*

vi). Præsens vita fidelibus sit in usu, futura in fructu. Sit res temporalis in itinere, æterna desideretur in perventione.

Oratorium Judith (*Judith ix*), quod ad orandum ingressa est, secretum cordis designat, quod cum Dominum oramus, intrare debemus. Cilicium, asperitatem designat penitentiae. Cinis, memoriam fragilitatis et mortis. Prostratio, effectum humilitatis.

Pulchritudo Judith (*Judith x*), spiritalem sanctæ Ecclesie pulchritudinem figurat, et ornatus ejus ornatum Ecclesie sancte; quam habet per virtutum exercitationem et honorum operum exhibitionem denuntiat.

Exarsit Holophernes in concupiscentia Judith, et voluit eam per libidinem suam violare Judith xii. Persecutores Ecclesie, integritatem ejus concupiscunt corrumpere. Judith, in castris Holophernis non est polluta escis gentilibus, et sancta Ecclesia inter paganos habitans non contaminatur idolorum sordibus. *Judith gladio Holophernis caput illius abscidit*, et sancta Ecclesia hostes suos per propriam eorum malitiam perimit.

Judith (*Judith xiii*), post victoriam cum suis celebravit lætitiâ, et Ecclesia sancta superatis vitis cum hostibus suis, lætitiâ celebrabit cum angelis. Fugatio sine peremptio hostium destructionem et damnationem designat impiorum. *Abra Judith, fideles alobesentulas figurat quæ famulatur Ecclesie sancte. Benedictus Dominus, qui creavit cælum et terram; qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum quia hodie nomen tuum a terra magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.* Laus Ecclesie non recedet de ore hominum, qui memores sunt ejus, quæ per dilectionem, Dei et proximi præsentis tribulationes secunda sustinet, fide plena, et spe firma, et eminentiam attendens cœlestium præmiorum, ubi sociabitur beatitudini angelorum.

Post victoriam omnis populus venit Jerusalem adorare Dominum, et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas (Judith xvi). Adepta victoria de hostibus suis quisque electus ab omni labe purgatus ingredi properat in supernam Dei civitatem, ubi visio vera pacis, ubi reddat vota sua Conditori.

CAP. IV. De mysteriis quæ continentur in libro Machabæorum.

Et factum est postquam percussisset Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum atque Medorum, constituit prælia multa, et obtinuit omnium munitiones et interfecit reges terræ et pertransiit usque ad fines terræ, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu ejus, et exultatum est cor ejus, et elevatum: et obtinuit regiones gentium, et tyrannos, et facti sunt illis in tri-

butum. Et post hæc decidit in lectum, et cognovit quod moreretur; et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute: et dimisit illis regnum dum adhuc viveret. Et regnavit Alexander duodecim annis, et mortuus est: et obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo: et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus; et filii eorum post eos annis multis; et multiplicata sunt mala in terra. Et exivit ex eis radix peccati Antiochus illustris filius Antiochi regis, qui fuerat obses Romæ: regnavit in anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorum. In diebus illis exierunt de Israel viri iniqui, et persuaserunt multis, dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo; et abierunt ad regem, et dedit illis potestatem, ut facerent justitias gentium: et edificaverunt gymnasium in Hierusalem secundum leges nationum; et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, juncti sunt nationibus, et venundati sunt, ut facerent malum. Et ascendit Antiochus ad Israel, et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi (I Machab. 1.) Machabæorum fratrum felicia bella silentio non sunt relinquenda. Ipsorum namque certamina gloriosa sanctorum designant agones contra spirituales hostes eorum. Quis enim per Alexandrum Magnum, qui totum pene mundum subjugavit imperio suo, cum tanta erat donata dominandi libido, ut nulli in quantum potuit, parceret regno; quis inquam, per illum significatur, nisi diabolus, qui dixit: *In cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo?* (Isa. iv.) Hic quippe per suam superbiam, et calliditatem, et multitudines angelorum secum superbientium, et progeniem humani generis in primo parente sibi subjecit.

A Alexander moriens imperium suum satellitibus suis dimisit, et diabolus in adventu Mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu, suum dominium minui videns, impiis principibus præsentis sæculi suam malignitatem ad persequendum credentes inspiravit. Ex quibus exhibit radix peccati rex Antiochus, filius perditionis Antichristus: qui quanto erit potentior, tanto erit ad persequendum perniciosior. Ad istius impii regis famulatum pertinent falsi Christiani, hæretici et persecutores Ecclesiæ, qui quotidie ipsam persequuntur. Falsi namque Christiani ipsi sunt qui disponunt testamentum cum gentibus, quia suis sceleribus concordant gentibus, et suis pravitatibus repugnant fidelibus. Radix itaque peccati Antiochus illustris, cum principibus suis persequuntur civitatem sanctam Jerusalem, quia Antichristus cum omnibus iniquis persequetur Ecclesiam. Sed Mathathias cum filiis suis viriliter resistit, et Christus cum electis prælatibus potenter Ecclesiam defendit. Videamus autem quæ sunt arma, quibus Machabæi nostri contra hostes pugnant, hostes superant, et suis finibus exagitant. Quæ sunt enim arma ista, nisi virtutes, et opera bona? Habent arma *scutum fidei*, *galeam spei*, *loricam charitatis*, *gladium spiritus, quod est verbum Dei* (Ephes. vi); habent, et lanceam orationis quæ sursum ad Dominum erigitur, et in hostem dirigitur; habent ocreas per diversorum locorum deambulationem; arcum et sagittas per prædicationem; habent frenum per temperantiam, calcaria per vigiliis et jejunia. In hac autem spirituali militia, est corpus equus; miles spiritus. Quisquis vero supradictis armis armatus non est, miles Christi non est quia sine illis non potest Christi esse. Et quisquis miles ejus non est, hostis ejus est sicut ipse testatur, dicens: *Qui mecum non est, contra me est* (Luc xi). Studeat quisque armis istis armari; studeat cum Christo præliari, ut a Christo mereatur post victoriam coronari.

ALLEGORIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM

LIBROS NOVEM COMPLECTENTES

Quorum quatuor totidem Evangeliorum explicant allegorias; quinque reliqui litteræ ipsius elucidationes aut dubiorum circa eandem decisiones.

Primus itaque liber, est de mysteriis contentis in Evangelio divinissimi Joannis, quia, ut in fine prologi patebit, ab eo auspicari voluit.

Secundus est de mysteriis contentis in Evangelio Matthæi, cum quibusdam additiis.

Tertius liber est de mysteriis in Evangelio Marci.

Quartus liber est de mysteriis in Evangelio Lucæ.

Quintus liber continet adnotationes elucidatorias Evangelii Joannis. (Non est Excerptio compilatoris.)

Sextus continet elucidationes Epistolæ Pauli ad Romanos, quam in capita solita distinximus, ut quam quisque partem requirat, facillime inveniat.

Septimus continet elucidationes ejusdem in Epistolam priorem ad Corinthios simili de causa in capita distinctam.

Octavus explicat Epistolam secundam ad Corinthios consimiliter divisam.

Nonus continet quaestiones argutissimas, et decisiones eruditissimas dubiorum occurrentium in omnibus divi Pauli Epistolis.

ALLEGORIÆ IN EVANGELIA.

PROLOGUS.

Primi parentes humani generis per culpam primam se cum sua sobole morti et damnationi fecerunt obnoxios; sed divina providentia, quæ fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, reducere disponens eum ad beatitudinem, contulit ei primum subsidia salutis, per sacramenta redemptionis, usque ad adventum Redemptoris. Cum autem venisset plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (Galat. iv) in terras, ut per assumptum hominem, hominem redimeret, et redemptum ad regna cælorum revocaret, sicut ab initio multiformibus figuris fuit præsignatum, multis oraculis prophetarum prædictum. Cujus dispensationis scriptores divina sapientia quatuor elegit evangelistas, ut homo ex quatuor elementis et ex quatuor humoribus compositus, per quatuor mundi climata dispersus, per doctrinam quatuor evangelistarum ad unam pervenire valeat mansionem cælorum, et beatitudinem angelorum. Quos scilicet quatuor evangelistas, propheta Spiritu sancto docente per quatuor animalium formas describens, ait: Similitudo vultus animalium, facies hominis, et facies leonis, facies bovis, et facies aquilæ (Ezech. i). Per faciem namque hominis designatur Matthæus: qui ab humanitate Christi Evangelium suum incipit, dicens: Liber generationis (Matth. i), etc. Per faciem leonis designatur Marcus, qui in principio Evangelii sui ait: Vox clamantis in deserto (Marc. i), etc. In deserto namque leo clamat: sic Joannes, cujus mentionem Marcus in principio Evangelii sui facit, in deserto Judææ rugiebat, ut Judæos spirituali somno depressos excitaret dicens: Parate viam Domini: rectas facite semitas Dei nostri (Isa. xl), sicut dicit Isaias propheta. Bovis, sive vituli facies ad Lucam refertur, qui a sacerdotio Zachariæ incæpit, dicens: Fuit in diebus Herodis regis sacerdos nomine Zacharias (Luc. i). Per faciem autem aquilæ designatur Joannes, qui ad alta evolans ait: In principio erat Verbum (Joan. i), etc. Facies hominis ad humanitatem pertinet, facies vituli ad passionem, facies leonis ad resurrectionem, facies aquilæ ad divinitatem et ascensionem. Sed facies hominis et facies leonis dicuntur a dextris, quia Christi nativitas et resurrectio omnium generalis lætitia est. Vitulus dicitur a sinistris quia mors Christi apostolis tristis fuit. Aquila, non juxta sed supra describitur; quia ascensionem designat, et Deitatem pronuntiat. Cum autem sint quatuor animalia, supra omnia commemoratur aquila. Quia Joannes per hoc, quod in principio Verbum vidit, et cæteros et seipsum transit. Possumus itaque istas facies referre ad Christum, qui natus est homo, et ut homo passus est ut vitulus, resurrexit ut leo, ascendit ut aquila. Unusquisque etiam perfectus: homo est in ratione, vitulus in sacrificio, leo in fortitudine, aquila in contemplatione. Quæ enim in quatuor animalibus dicuntur, ad omnes perfectos referuntur. Sanctus quoque Joannes in Apocalypsi sanctos evangelistas per easdem facies describit. Nos itaque de Evangeliorum plenitudine, quasdam guttas capientes haurire, ibi incipimus expositionem, ubi Christus auctor bonorum, incæpit miraculorum suorum operationem.

LIBER PRIMUS

DE MYSTERIIS EVANGELII SANCTI JOANNIS

CAP. I. De aqua in vinum mutata.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat ibi Jesus cum Maria matre sua (Joan. ii). Cana interpretatur zelus, et significat dilectionis fervorem. Galilæa interpretatur transmigratio facta, et designat Ecclesiam vel in deserto vitæ spiritualis conversationem

A honestam. In sancta namque Ecclesia, sive in spiritualis vitæ conversatione honesta, postponentes transitoria, transmigrabimus ad æterna. In Cana autem Galilææ fiunt nuptiæ, quando intra sanctam Ecclesiam sive conversationem bonam, per fervorem dilectionis, Christo fideles animæ sociantur. Ibi

Jesus Salvator, id est qui populum suum salvat a peccatis eorum (*Matth* 1), aquam convertit in vinum, quando convertit impium, et facit pium, quando de luxurioso facit castum, de ebrio sobrium, de avaro largum, de prodigo temperatum, de furibundo mansuetum, de superbo humilem, de iracundo mitem, de persecutore patientem. Aquam convertit in vinum, quando aufert culpam, et confert gratiam. Per aquam significantur mali, per vinum boni. Mali enim sicut aqua frigidi sunt propter malitiam; et sicut aqua fluit et decurrit in mare, sic illi per corruptionem vitiorum fluunt et decurrunt in amaritudinem æternam. Boni vero, quemadmodum vinum, intrinsecus calent per gratiam, et foris alios potant, et calefaciunt, et inebriant per doctrinam. Sunt autem nonnulli adeo malignitate pravitatis, ut non tantum sint frigidi sicut aqua per malitiam, sed etiam ut glacies indurati per cordis duritiam. Qui tarde a sua perversitate dissolvuntur, ut in vini jucunditatem commutentur. Nihil tamen difficile Domino Jesu, quia ad ipsius voluntatem et talium dissolvitur duritia, et ad ejus nutum datur omnis gratia. Sex hydriæ, sunt quinque corporis sensus, cum uno simplici sensu animæ. Sed et hydriæ dicuntur lapideæ, quia sensus nostri ante gratiam obdurati sunt per culpam. Ista sex hydrias aqua implemus, quando fletu nostræ compunctionis omnes sensus nostros a culpa transacta perfecte lavamus. Tali aqua purificantur Judæi, id est veri confessores Christi, qui non tantum confitentur eum voce oris, sed et opere manuum in veritate cordis. Capiunt autem hydriæ metretas binas, quando commisimus delectatione et consensu; ternas vero, quando fletibus purgamus non solum delectationem pravam et consensum, verum etiam malum opus. Aqua denique convertitur in vinum, quia fletum culpæ sequitur jucunditas gratiæ. *Omnis homo primum bonum vinum ponit*, quia homines, qui ea quæ ad humum pertinent amant, in præsentem quærent delectabilia; *deinde id, quod deterius est* quia in futuro recipient amara. Deus vinum bonum servat, quia pauca sunt bona, quæ nobis tribuit in tempore ad comparisonem futurorum bonorum, quæ nobis daturus est in æternitate.

CAP. II. De eodem mysterio.

Implete hydrias aqua (Joan. 4). Galilæa interpretatur *transmigratio facta*. Vita ergo præsens Galilæa est, transmigrans de præsentibus ad futura. In Galilæa fiunt nuptiæ, quia transitu temporis, significatur copula permansuræ dilectionis Ecclesiæ ad Christum, animæ ad Deum. Sex hydriæ, sunt sex ætates in mundo. Prima, ab Adam usque ad Noe; secunda, ab Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta, a transmigratio Babylonis usque ad Christum; sexta, a Christo usque ad finem mundi. In vita hominis est infantia, prima: secunda, pueritia; tertia, adolescentia; quarta, juvenus; quinta, virilis ætas; sex-

ta, senectus. Prima, id est infantia, quasi quodam diluvio lubricæ oblivionis obruitur, ut non videatur in posterum nec vestigia sui ulla sequantur. Secunda, id est pueritia, primum de diluvio oblivionis ad sensum exiens per superbiam erigitur, et per concupiscentiam dividitur et dispergitur. Tertia, id est adolescentia, primum per cohibitionem disciplinæ circumciditur; deinde præceptis informatur, et consilio regitur. Quarta, id est, juvenus, servire jam cogitur, et subjicitur regimini, ut per timorem hominis, divinum dicat. Quinta, id est virilis ætas, per timorem hominis ad divinum venit. Sexta, id est senectus, quæ si his satura, concupiscentia futurorum trahitur. Sic humanum genus primum diluvio obrutum est; secundo, in ædificatione turris elatum, et divisione linguarum dispersum; tertio, in Abraham circumcisum, in Moyse præceptis informatum, sub iudicibus consilio gubernatum; quarto sub regibus dominationi subjectum; quinto, sub pontificibus religioni parens; sexto, sub gratia vera bonitate illustratum. Istæ sex hydriæ, sive in decursu præsentis sæculi, sive in vita hominis, omnes aqua implentur, quia iudicio plenus est mundus, *et iudicia tua abyssus multa (Psal. xxxv)*. Multa operatus est Deus ab initio sæculi, et operari non desinit usque ad finem ejus. Et hæc omnia, iudicia sunt, et nil sine causa fit. Sed quando non potest homo dicere: *Judicia tua jucunda (Psal. cxviii)*, nondum aqua conversa est in vinum. Deficiente vetere vino, hydriæ aqua opplentur; quia, cum in vita hominis carnales delectationes deficiunt, divinæ consolationes succedunt: quæ quidem incipientibus minus saporis conferunt, proficientibus amplius dulcescunt; quia tunc in vinum aquæ convertuntur, quando in mente hominis opus Dei, quod laboranti prius non sapit, per spiritualem intelligentiam illuminato dulcescit.

CAP. III. De ejectione ementium et vendentium e templo Domini.

Prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam, et invenit in templo ementes et vendentes boves et oves, et nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque, et boves; et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit, et iis, qui columbas vendebant, dixit: Auferte istas hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis (Joan. 2). Pascha agimus, dum a vitiis ad virtutes transimus. Ad hoc Jesus venit, dum Ecclesiam quotidie visitat, et actus cujusque considerat, et eos eiecit, qui inter sanctos vel fide bona, vel aperte mala faciunt. Per boves qui arant, prædicatores cælestis doctrinæ significantur. Hos vendunt, qui non amore Dei, sed pro quæstu temporali prædicant. Oves innocentes, sua vellera vestiendis præbent, per has significantur opera pietatis et munditiæ. Quæ venduntur, dum pro humana laude geruntur. Spiritus sanctus in columba apparuit; unde per columbam accipitur Spiritus sanctus,

quem vendunt Simoniaci. Nummos mutuo dant in Ecclesia, qui non simulate cœlestibus, sed aperte terrenis serviunt. Hi omnes ejiciuntur de parte sortis sanctorum, qui vel fide bona, vel aperte mala faciunt. Et funiculus peccatorum modo flagellat ad correctionem, quibus incorrecti in fine ligabuntur. Oves quoque et boves ejicit, quia talium vitam, et doctrinam ostendit reprobam. *Æs* et mensas subvertit, quia et in fine ipsæ res, quas dilexerant, destruentur.

CAP. IV. *De muliere Samaritana.*

Venit Jesus in civitatem, quæ dicitur Sichar (Joan. iv), etc. Adventus Jesu significat carnis assumptionem. Sichar, quæ interpretatur *conclusio* vel *ramus*, significat gentilem populum. Populus namque gentilis sub peccato fuit conclusus, et est ramus de oleastro excisus, olivæ insertus. Fons Jacob, qui ibi erat, naturalem significat rationem, non aliunde surgentem, nisi a causa omnium honorum, id est Deo. Et ideo pulchre dicitur: *Erat ibi fons Jacob*, id est ratio infinita, Patris altitudine procedens. *Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem.* Iter Jesu est dispensatio incarnationis; sessio, dignatio humilitatis; lassitudo, infirmitas carnis; sexta hora, sexta ætas; puteus, profunditas hujus sæculi; Samaritana, Ecclesia. Venit ergo mulier non jam justificata, sed justificanda: quæ nondum, dimissa hydria cupiditatis, hauriebat fluvium voluptatis de profundo sæculi præsentis. *Dixit ei Jesus: da mihi bibere.* Petit Jesus a primitiva Ecclesia de gentibus, potum fidei, qua in se Redemptorem credatur. Petit potum rationis, ut ipse Creator investigetur. Et dum ab ea potum postulat, potu eam cœlestis gratiæ inebriat. Apostoli in civitate escas emunt, dum in mundo sua prædicatione fidem in populis, et bonam operationem ad honorem et voluntatem Salvatoris acquirunt. *Vade, voca virum tuum. Respondit mulier: Non habeo virum. Dixit ei Jesus: Bene dixisti, non habeo virum. Quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes, non est tuus vir.* Quinque viri sunt, quinque sensus corporis. Qui ideo recte dicuntur animæ viri, quia illi naturaliter sunt copulati, ut per eorum conjunctionem, honorum operum habeat fecunditatem, et proferat prolem. Qui videlicet sensus animæ sigillatim moriuntur, dum per iniquitatem succedentem corrumpuntur. Et istis viris mortuis, id est sensibus per iniquitatem corruptis, conjungit sibi humana natura sextum, non maritum, sed fornicatorem et corruptorem: errorem, scilicet mundanum. Talem igitur invenit Christus mulierem Samaritanam, id est gentium Ecclesiam non alicui legitimo viro, id est sano sensui copulatam, sed suo corruptori conjunctam. Sed Dominus volens eam ad veritatem revocare, ne illa (eo quod audierat patres in monte illo adorasse, et Judæos tunc in Hierosolymis adorare) ne, inquam, existimaret in monte illo vel in Hierosolymis tantum esse adorandum, subjungens docuit eam, dicens: *Mulier crede mihi, venit hora; et nunc est, quando*

nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis; sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Et continuo venerunt discipuli. Discipuli de civitate cum cibo veniunt ad Dominum, dum ei de hoc mundo per prædicationem, vel doctrinam suam fructum boni operis in gentibus gignunt. *Et mirantur, quod cum muliere loquitur, dum stupent de misericordia Dei, quod etiam gentilitati Dei gratia dispensatur. Et mulier, id est gentilitas, conversa, tanta veritatis cognitione per fidem percepta, reliquit hydriam suam per cupiditatis abrenuntiationem; et abiit, per bonam operationem et peccatorum suorum remissionem, in civitatem, id est infidelium multitudinem, et dixit hominibus illis, per prædicationem: Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæ feci.* Ecclesia namque ex gentibus conversa omnium salutem desiderat, et omnes, quos potest, ad divinam visionem vocat. *Et exierunt de civitate illa, et veniebant ad eum.* Sic propter auditam vocem prædicationis exeuntes de pravitate pristinae conversationis, venerunt ad cognitionem veritatis illi, qui consortes sunt futuri æternæ beatitudinis. Discant filii Ecclesiæ matrem suam imitari; discant non armis, sed verbis infideles ad Deum ducere; discant non peritura bona eis vi auferre, sed et peritura et permansura eis per charitatem conferre. *Rabbi, manduca. Et respondit: Ego habeo manducare cibum, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Voluntas Patris ejus est conversio et justificatio hominis, quia Christus reficit seipsum, dum infideles veritatem docet.

Levate oculos vestros: et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Apostolis offerentibus cibum corporalem, docet eos quem cibum ipse esuriat, salutem scilicet hominum. Levate oculos, et videte, id est intellectu considerate, quia transacta hieme infidelitatis, adest calor fidei et parata sunt corda, ut opera justitiæ ex illis colligatis. Ut qui seminat simul gaudeat, et qui metit. Utroque opus erat, et seminare, et metere, quia in hoc apparet probabile verbum: *Alius est, qui seminat, et alius qui metit (Joan. iv).* Nisi enim præparati essent per prophetas non audirent apostolos: non enim crederetur apostolis, nisi prophetæ præcessissent. *Ego misi vos metere, quod non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Multi labores fuerunt patriarchis et prophetis, in quibus omnibus prophetia Christi; et multi passi sunt quasi seminationis frigore. Quasi diceret: Vos facio messorum ibi, ubi alii seminaverunt, id est in Judæa, ubi prima seges est collecta. Unde aliqui exeuntes in toto mundo seminabunt. Unde alia messis quasi de granis surget colligenda in fine sæculi messoribus angelis. *Ex civitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.* Credunt in eum illi, qui eum non solum per credulitatem agnoscunt, sed etiam per affectum diligunt. *Et mansit ibi duos dies.* Duos dies manet apud illos, quos duobus præceptis charitatis instruit et in ipsis

quasi in luce duorum dierum semetipsum eis ostendit.

CAP. V. *De filio reguli a Domino sanato.*

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum (Joan. iv). Regulus iste patriarcharum et prophetarum designat cœtum; Capharnaum, mundum; filius reguli, populum peccatis obnoxium, per gratiam salvandum. Et bene reguli nomine designantur patriarchæ et prophetæ, quia non solum se recte vivendo, sed et alios verbo et exemplo noverunt regere. *Domine, descende,* quasi diceret cœtus antiquorum patrum. *Domine, descende,* per humanæ carnis assumptionem, ut populum (qui futurus est filius per fidem) morientem per iniquitatem, salves per mortis tuæ passionem. Et sicut fides reguli obtinuit salutem filii, sic fides patrum valuit in salutem generis humani. Servi reguli occurrentes ei, et salutem filii, nuntiantes, sunt prædicatores in conversione et justificatione hominum laborantes, et de salute eorumdem Domino exsultantes et congratulantes. Et bene dicitur de filio sanato, *quod reliquerit eum febris hora septima,* quia in septiformis spiritus distributione gentes et omnes prædestinati ad vitam solvuntur a culpa. *Credit regulus, et domus ejus tota,* dum cœtus patrum cum aliis fidelibus illustratur gratia divina. Simili modo regulus pro infirmo filio sanando intercedit, dum prælatus quilibet pro suo subdito variis tentationibus depravato, ut a Domino sanetur preces effundit. Infirmus vero sanatur, dum per culpam depravatus, per gratiam ad justitiam revocatur.

CAP. VI. *De probatica piscina.*

Ascendit Jesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethesda, quinque porticus habens (Joan. v). Piscina probatica, id est ovilis, in qua oves lavabantur, quæ in sacrificium Domini offerebantur, conversationem designat sanctam et religiosam, in qua anima, quæ ovis debet esse per innocentiam, lavari debet per pœnitentiam, ut offeratur Domino per operationem bonam. Habet ista piscina quinque porticus, propter sensus corporis, per quos omnis nostra actio ad effectum perfectum ducitur. In his autem quinque sensibus nostris jacet multitudo magna languentium, quia multiplex est corruptio sensuum corporalium. Corruptitur enim visus, vana videndo; auditus, vana audiendo; gustus, suavia avidè comedendo; odoratus, vana odorando; tactus, lubrica operando. Qui delectatur in spectaculis vanitatis et multiplici specie rerum temporalium, *qui videt mulierem ad concupiscendum eam (Matth. v);* qui aurum videt, argentum, vestes pretiosas, et cætera talia, et visa illegitime concupiscit, multitudinem languentium habet in visu. Quotquot enim in visu illicitos appetitus habet, tot in eodem sensu languentes continet. Qui delectatur in vanis diversorum sonorum aut vocum modulatibus, aut illecebrosis cantibus; qui aurem accommodat ut hauriat sanguinem, detractiones libenter audiendo,

intra auditus sui ambitum multitudinem habet languentium. Qui delicatis cibis, et diversis saporibus, et potibus concupiscentiæ palati sui et gulæ satisfacit, intrat porticus hujus ambitu multitudinem languentium custodit. Alii diversis odoramentibus, et diversorum aromatum fragrantis olfactui satisfacere contendunt. Alii diversarum rerum suavitatibus, tactus voluptatibus inserviunt. Sed unusquisque sensus tot servat languentes, quot appetituum patitur corruptiones. Aqua, in qua languidi sanabantur, compunctionem significat. Angelus vero, qui movebat aquam, Spiritum sanctum designat. *Angelus Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua, et sanabatur unus.* Sic Spiritus sanctus quoties in nos descendit et in nos intrat, excitat gratiam compunctionis, et sanatur sensus noster a quacunque tenetur infirmitate corruptionis. Quod autem dicitur, et sanabatur unus, hoc insinuat quod qui unitati sanctæ Ecclesiæ conjungitur, gratiam spiritualis sanitatis continuo meretur. Claudii sunt, qui semitam justitiæ non dirigunt. Cæci sunt, qui nec Deum, nec ejus mandata cognoscunt. Aridi sunt, qui in bona actione, vel eleemosynarum distributione manus non porrigunt. Multi ergo sunt infirmi, sed unus sanatur; quia solus, qui in unitate sanctæ Ecclesiæ consistit, qui unum Deum colit, justificatur. Quod vero quidam ex illis infirmis per hominem dimissi in piscinam sanabantur, iste autem per solum Dominum sine cooperatione hominum sanitatem est adeptus, significat quod aliquando, cooperante prædicatione, vel intercessione humana salutem consequimur; aliquando vero per solam inspirationem internam justificamur. *Tolle grabatum tuum, et vade.* Qui languerat, grabatum domum reportat, cum anima peccatorum remissione curata, se ad internam sui custodiam cum ipso corpore refert, ne quid iterum unde feriatur, admittat.

CAP. VII. *De quinque panibus, et duobus piscibus.*

Cum sublevasset oculos, et vidisset quod multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducet hi? etc. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces, etc. (Joan. vi). Quinque panes hordeacei sunt quinque libri Moysi, in quibus sub palea literæ continetur medulla spiritualis intelligentiæ. Duo pisces, sunt libri prophetarum et psalmi. De hoc cibo Dominus ait: *Quæ scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me (Luc. xxiv).* Hunc vero cibum Dominus apostolis, ut eum apponerent populis fregit, quando illis, ut Scripturas intelligerent, sensum aperuit. Illi autem acceptum cibum aliis apposuerunt, quando scripturam legis et prophetarum, et psalmorum per totum mundum spiritualiter esse intelligendam, et observandam prædicaverunt. Comedentes quoque super fenum discumbunt, quando prædicatione vel lectione pasti, carnem suam (ne sibi domineatur) jejuniis et vigiliis premunt. Qui quinque milia fuisse reperiuntur, propter quinque sensus cor-

poris, quos bene et perfecte regunt, quibus præ-
sunt, per quos operantur. Comedentes denique sa-
tiantur, cum auditores de omnibus, quæ ad fidem
et bonam operationem pertinent, per prædicationem
et lectionem erudiuntur. *Exceptis*, inquit,
mulieribus et parvulis. Mulieres, sexus fragilis; et
parvuli, minor videlicet ætas, sunt numero indi-
gni. Isti significant infirmos in fide nondum ido-
neos pugnæ. Possunt etiam per mulieres et par-
vulos reprobi significari qui, quamvis cum electis
comedant per auditum prædicationis, extra nume-
rum tamen electorum sunt per pravitatem conver-
sationis. *Et tulerunt reliquias duodecim cophinos
fragmentorum plenos*. Reliquiæ, sunt spiritualis in-
telligentiæ subtiliora, et secretiora documenta:
quæ a rudibus capi nequeunt. Quæ non sunt negli-
genter relinquenda, sed ab apostolis, et eorum
successoribus diligenter quærenda. Cophinis ser-
vilia opera geruntur, et *Deus infirma mundi elegit,
ut fortia quæque confundat* (I Cor. 1). Studeamus,
et nos acceptum panem divinæ scientiæ per præ-
dicationem aliis apponere, ne per nostram negli-
gentiam in via deficiant, aut fame pereant.

CAP. VIII. De muliere in adulterio deprehensa.

*Adduxerunt ad Jesum Scribæ et Pharisei mu-
lierem in adulterio deprehensam, et statuerunt
eam in medio, et dixerunt ei: Magister hæc mulier
modo deprehensa est in adulterio. In lege autem
Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare Tu
ergo quid dicis?* (Joan. VIII. Mulier ista significat
gentilem Ecclesiam a diabolo per culturam idolo-
rum violatam: hanc Judæi volunt lapidari, quia
volunt eam damnari, dum invident eam gratiæ
cælestis participem fieri. *Hoc autem dicebant ten-
tantes eum, ut possent accusare eum*. Inimici Pha-
risei tentant de justitia, an contra eam diceret;
sciebant enim mansuetum et misericordiæ prædi-
catorem, unde placebat populo; unde putabant
dicturum dimittendam adulteram, et in hoc diceretur
contrarius legi Moysi, et Deo auctori, et ideo
cum adultera reus mortis. Quod si secundum le-
gem diceret lapidandam, deriderent eum, quasi
non habentem mansuetudinem, quam prædica-
bat, et pro qua amabatur. Ipse autem neutra ca-
pitur calumnia, sed servata mansuetudine respon-
dit, quod est veræ justitiæ: *Qui sine peccato est,
primus in eam lapidem mittat. Ipse autem incli-
nans se deorsum, digito scribebat in terra*. Digito
Dei scripta fuit lex in tabulis lapideis, pro duritia
illius populi; inclinatus jam in homine ipse custos
legis est, et dator, et judex est scribens in terra. In
quo docet nos de auditis malis alicujus non teme-
re judicare, sed prius digito discretionis, nos ipsos
intus discutere sicut ibi dicit: *Qui sine peccato
est, vestrum primus in eam lapidem mittat; quasi
diceret: Prius sitis justi, postea ream puniatis*. Sic
enim jubet lex puniri reos; non tamen a simili-
bus puniendos. Ecce plena justitia, ut justus ma-
los et mala puniat. Illi ergo vel ream dimittant,
vel cum ea pœnam subeant. *Et iterum se inclinans*

*A in terra scribebat; iterum in terra scribebat, ex
more alio vultum vertens, ut illis sit liberum exire,
quos prævidebat citius exituros quam plura inter-
rogaturos. Docet autem nos sicut et ante correptionem
alterius, ita et post nosipsos investigare hu-
militer, nec idem, vel aliquid simile in nobis sit.
Audientes autem hæc, unus post unum exhibant, a
senioribus incipientes; et remansit solus Jesus, et
mulier stans in medio. Sic Judæis Christum dese-
rentibus per infidelitatem, gentium Ecclesia in fide
stat, et in exspectatione divinæ misericordiæ per-
severat, et condonatur ei culpa, et tribuitur gratia.
Simili modo Dominus quotidie recipit adulteram,
dum per gratiam recipit quamlibet animam a dia-
bolo per culpam corruptam.*

B CAP. IX. De cæco illuminato.

*Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nati-
vitate* (Joan. IX). Cæcus iste designat genus huma-
num in parentibus primis excæcatum per originale
peccatum. *Me oportet, inquit Dominus, operari
opera ejus, qui misit me, donec dies est*. Non solum
tunc cum Christus erat in mundo, sed et semper
usque ad consummationem sæculi per fidem est
cum electis, et est tempus operandi. *Venit, nox,
quando nemo potest operari*. Nox illa, est inferna-
lis obscuritas, in qua nulli licet operari ut nec ar-
denti diviti licuit: sed tantum est tempus reci-
piendi. *Exspuit in terram: et fecit lutum ex sputo,
et linitit lutum super oculo ejus, et dixit ei: Vade,
et lava in natatoria Siloe* (quod interpretatur mis-
sus). *Abiit ergo, et lavit: et venit videns. Itaque
vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus
erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, et men-
dicabat? Saliva est divinitas; terra, humanitas;
lutum ex utroque, conjunctio utriusque naturæ.
Siloe, quod interpretatur missus, Christum signifi-
cat in quo cæcus luto linitus lavatur, dum pecca-
tor in fide divinitatis, et humanitatis, ejus bap-
tismo renovatur. Et cæcitas aufertur, dum pecca-
tum deletur. Lotus denique videt clare, dum
renatus quisque credit, et diligit, aut contempla-
tur bona cælestis patriæ. Cæcus itaque iste est
genus humanum; cæcitas, peccatum; lutum, in-
carnationis sacramentum; linitio et lavatio, fides
cum baptismo; receptio luminis contemplatio su-
pernæ claritatis. Sed Judæi illuminatum ejiciunt,
dum populum Christianum contemnunt. Et Jesus
illuminatum suscipit, quia Christianum Judæo an-
teponit.*

D CAP. X. De grano frumenti.

*Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum
fuerit: ipsum solum manet* (Joan. XII). Omnibus
est manifestum de grano frumenti, quod dum in ter-
ram cadit nisi moriatur, id est humore terræ hu-
mectetur et tale quale prius fuit esse desinat, et
per alterationem vegetationis aliud fiat, solum ma-
net et fructum nullum affert. *Si autem fuerit mor-
tuum, id est pinguedine et humiditate terræ putre-
factum, statim herbam germinat, stipulam roborat,
spicas, aristas, paleas, grana format et multum*

fructum affert; quia, sicut in alia parabola dicitur, sive trigesimum, sive sexagesimum, sive centesimum (*Matth. xiii*), sic Christus in terram cadens per humanitatem, fert fructum multum moriens per passionem. Nihil namque nobis nasci contulisset, nisi moriendo nos redimere potuisset. De hoc fructu, et profectu per Psalmistam ait: *Singulariter sum ego donec transeam (Psal. cxi)*. Singulariter enim fuit, donec transiit; quia, donec mortem gustavit, fructum humanæ redemptionis non perfecit. Sed moriendo fructum ex se multiplicavit, quia omnes ad vitam æternam prædestinatos redemit. Per hunc denique fructum, designantur patriarchæ, prophetæ, evangelistæ, apostoli, martyres, confessores, virgines et omnes electæ animæ, quotquot fuerunt ab initio justificandæ per gratiam redemptionis, et quotquot erunt in fine beatificandæ per gloriam remunerationis. Sanctus quoque Joannes evangelista hunc fructum exprimit, ubi ait: *Audiivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel (Apoc. vii)*. Et deinceps: *Posthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum*. Per centum namque quadraginta quatuor millia signatorum ex omni tribu filiorum Israel, designavit eos quos divina Providentia ad vitam prædestinatos ante adventum Redemptoris, per præcedentia sacramenta redemptionis ad salutem præparavit. Per turbam autem magnam, quam dinumerare nemo poterat, quam vidit ex omnibus tribubus et linguis, et populis, illos insinuavit quos post adventum Redemptoris gratia superna justificat et salvat: de qua turba recte dicitur, quam dinumerare nemo poterat, quia pauci erant qui ante adventum Christi justificabantur ad comparationem eorum, qui post adventum ejus justificantur. Ante adventum etenim ejus notus tantum in Judæa Deus. Modo vero omnes gentes plaudunt manibus, jubulant *Deo in voce exsultationis (Psal. lxxv)*. *O quam mirabile!* (*Psal. xlv*). Istud est granum, quod facit fructum trigesimum in conjugatis; sexagesimum in continentibus; centesimum in virginibus.

CAP. XI. De emissionem retis in mare.

Dixit Jesus discipulis suis: Mittite in dexteram navigii rete, et inveniatis (Joan. xxi). Bis in sancto Evangelio legitur quod Dominus jussit ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionis diem videlicet et post resurrectionem. Sed priusquam Redemptor noster et pateretur, et resurgeret, mitti rete ad piscandum jubet: sed utrum in dextram, an in sinistram mitti debuisset, non jubet; post resurrectionem vero discipulis apparens, mitti in dextram rete jubet. In illa piscatione tot et tanti pisces capti sunt, ut retia rumperentur; in ista autem, et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextra, et malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio, in qua specialiter in quam partem mitti debeat rete, non jubetur, præsentem Ecclesiam designavit, quæ bonos et malos simul colligit, nec eli-

git quos trahat, quia et quos eligere possit, ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est, quia ad videndum claritatis ejus gloriam, sola electorum Ecclesia pertinet, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione, præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tam multi intrant, ut ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In ista vero piscatione et multi pisces, et magni capiuntur, et rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoris sui pace requiescens, nullis jam dissentionibus dilaniatur. *Miserunt ergo retia, et jam non volebant trahere præ multitudine piscium. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit, rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*. A magno mysterio numerus non vacat; sed intentos nos tanti mysterii profunditas exspectat. Neque enim quantitatis summam tam solerter evangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse judicasset. Scitis namque, quod in Veteri Testamento, omnis operatio per Decalogi mandata præcipitur. In Novo autem, ejusdem operationis virtus per septiformem gratiam Sancti spiritus multiplicatis fidelibus datur, quem propheta denuntians, ait: *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replevit eum spiritus timoris Domini (Isa. xi)*. Sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, ut et Patrem, et Filium, et eundem Spiritum sanctum unius virtutis credat, unius substantiæ esse fateatur. Quia igitur septem, quæ superius diximus, per Novum Testamentum latius data sunt dona, decem vero per Vetus præcepta, omnis nostra virtus, et operatio, per decem et septem potest plene comprehendi. Ducamus igitur per trigonum decem et septem, et veniunt unum et quinquaginta. Qui profecto numerus, a magno mysterio non vacat, quia in Testamento Veteri legimus quod annus quinquagesimus jubilæus vocari jussus est, in quo videlicet populus cunctus ab omni operatione quiesceret. Sed vera requies in unitate est. Dividi quippe unum non potest: ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est: ducamus ergo per trigonum quinquaginta et unum, fiunt centum quinquaginta tria. Quia igitur et omnis operatio nostra, et virtus in fide Trinitatis exhibita, ad requiem tendit: septem et decem ter ducimus, ut ad quinquaginta et unum venire debeamus; et vera nostra requies tunc est, cum ipsam jam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in unitate divinitatis esse certum tenemus. Quinquaginta et unum ter ducimus, et electorum summam in superna patria, quasi centum quinquaginta et trium piscium numerum tenemus. Post resurrectionem vero Domini missum rete dignum fuit, ut tot pisces caperet, quot solummodo electos cives supernæ patriæ designarent. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Et adjecit evangelista rem neces-

sariam dicens : *Et cum tanti essent, sive tam ma-* A *non est scissum rete, id est magni erant, sed inter*
gni. [Sicut sperius dicit, plenum magnis piscibus] eos hæreses non erant.

LIBER SECUNDUS.

IN MATTHÆUM.

CAP. I. De sermone Domini in monte, et octo beatitudinibus secundum Matthæum.

Videns turbas Jesus, ascendit in montem, etc. (Matth. v.) Quod Dominus octonarium, quo ad octo beatitudines pervenitur, docturus discipulos ascendit in montem, hoc nobis insinuat quod qui sacræ Scripturæ verbum dispensat, non in valle pravitatis, non in campo effrenatæ dissolutionis consistere debeat, sed in montem spiritualis conversationis per exercitia virtutum, et exhibitionem honorum operum ascendat. Et sicut scriptum est : *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion* (Isa. xl). Ascensio ergo in montem, sublimem designat conversationem ; sessio Domini, auctoritatem magistrarii ; apertio oris, effectum prædicationis.

Beati pauperes spiritu, etc. Alii sunt spiritu divites ; alii quodammodo nil de spiritu habentes ; alii spiritu pauperes. Spiritu divites sunt superbientes. De spiritu nihil habentes, nimis pusillanimes. Spiritu pauperes, humiles. Superbientes, faciunt non facienda per elationem. Pusillanimes, facienda prætermittunt per pusillanimitatem. Humiles, non facienda prætermittunt, et faciunt facienda per humilitatem. Paupertas itaque spiritus, nil habens defectionis, nil habens superfluitatis, per viam regiam ducit ad beatitudinem supernam.

Beati mites. Mites sunt lenes et patientes, qui neminem lædunt et improbis cedunt. Sunt autem quidam qui ita volunt esse mites, ut nil curent de aliena vita, neminem de bono admoneant, neminem de malo corripiant. Sed talis lenitas non est multum laudanda, quia patitur defectum, ubi debet exercere virtutis effectum. Tales igitur debent esse mites, ut neminem lædant, mala illata patienter sustineant, et non solum suam, sed nec alienam negligant vitam, ut si opus fuerit et bonis ad meliora exhibeant exhortationem, et malis de malo correctionem. *Est enim modus in rebus* (HORAT., *Satir.* lib. I, satir. I, 106.) ; quia sicut homo non debet esse nimie asperitatis, sic non debet esse nimie lenitatis, ut inter dexteram et sinistram, per discretam mansuetudinem ab beatitudinis perveniat terram.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus solet esse pro amissione charorum, sicut aliquis quando amittit charos suos, patrem, matrem ; filium, aut aliquem propinquum. Heu ! quam multi lugent damna corporalia, qui lugere contem-

nunt damna spiritualia ! Quando aliquis infirmatur, aut moritur, lugent amici ; quando autem peccat damnabiliter, quando fornicatur, quando fratri suo dicit : fatue non lugent. O sanitas insana ! O visio caeca ! O vita mortua ! De istis, quæ non sunt lugenda vel parum lugenda, graviter lugent ; et graviter lugenda, scilicet damna spiritualia, non lugent, etiam de ipsis rident. De istis inquam, prophetavit Isaias, dicens : *Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras ; amarum in dulce, et dulce in amarum* (Isa. v). Non lugeamus, fratres, amissionem charorum, sed lugeamus amissionem bonorum operum, amissionem virtutum. Lugeat corruptus amissionem virginalis integritatis, lugeat malitiosus amissionem pietatis ; lugeat superbus amissionem humilitatis ; lugeat iracundus amissionem internæ tranquillitatis, lugeat avarus amissionem largitatis, lugeat ebriosus amissionem sobrietatis, lugeat acediosus vel tædiosus amissionem spiritualis exercitationis, lugeat invidus amissionem charitatis. Beati namque qui lugent modo per pœnitentiam, quia ipsi consolabuntur per indulgentiam, deinde etiam per justitiam, postremo autem per gloriam. Possumus ergo dicere tria esse genera, spiritualiter, et fructuose coram oculis Creatoris lugentium. Alii enim lugent pro indulgentia culpæ ; alii lugent ex suavitate gratiæ divinitus sibi collatæ ; alii ampliori fervore accensi, lugent ex desiderio futuræ gloriæ. Et in his omnibus beati qui lugent, quia *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (Psal. cxxv). *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, quia non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt* (Apoc. xxi).

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Omnes homines esuriunt et sitiunt ; sed alii esuriunt et sitiunt malum ; alii esuriunt et sitiunt bonum. Alii etenim esuriunt et sitiunt aurum, argentum, vestes pretiosas, prædia, terras, vineas, domos, equos et possessiones innumeras. Ista tamen omnia, bona sunt in se ; sed in hoc quodammodo mala dicuntur, quia a malis inutiliter esuriuntur, et sitiuntur, sicut Dominus dixit *iniquum mammona* (Luc. xvi), id est divitias ; non quod res divitiarum sint iniquæ, sed per iniquitatem acquisitæ. Alii esuriunt, et sitiunt potestates, honores. Alii voluptates. Alii *salutationes in foro, et primos recubitus in cænis, et ca-*

thedras in synagogis, et vocari ab hominibus Rabbi (Matth. xxv). Sed tales non possunt fieri beati, quia non possunt saturari. Totus enim mundus nequaquam sufficeret homini, cui non sufficit Deus, qui est Dominus mundi. *Non enim impletur oculus visu, nec auris auditu (Eccli. i),* nec in cæteris sensibus potest homo saturari ex eorum delectationibus. Quod rex David bene consideravit, qui, quamvis haberet ad comedendum et bibendum non solum ad necessitatem, sed etiam si vellet ad superfluitatem, tamen dixit: *Satiabor cum appa-ruerit gloria tua (Psal. xvi).* Esuriamus ergo, et sitiamus non transitoria, non terrena, sed justitiam; quia per esuriem et sitim justitiæ, pervenimus ad satietatem æternæ gloriæ.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. Si vis misericordiam accipere, misericordiam exhibe. *Dimittite, inquit, et dimittimini. Secundum enim mensuram, qua mensi fueritis, remetietur vobis (Marc. iv; Luc. vi).* Beati quoque misericordes, qui aliis in miseriis suis assistunt et eos secundum possibilitatem suam protegunt et defendunt.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Mundo corde sunt illi, qui nec pulvere inutilis cogitationis, nec luto fœdantur pravæ delectationis. Mundo corde sunt, quos non tetigit nebula terrenæ ignorantie, nec corrumpit fervor fœdæ concupiscentiæ. Mundemus igitur corda nostra ab omni ignorantia, per inquisitionem veritatis, et ab omni perversa concupiscentia, per amorem virtutis ut mereamur Deum videre in gloria regni cælestis.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pacifici sunt, qui in semetipsis facere pacem, et custodire norunt; qui virtutes erigunt, qui vitia adversantia submergunt et extinguunt, et quidquid in se perversæ cogitationis, locutionis operisve deprehendunt prudenter et potenter expellunt, nec aliquid turbationis in regno suæ dominationis esse permittunt; et si quid eis adversitatis occurrat, pacem suam tamen servant et cuncta cum sui cordis tranquillitate judicant. Pacifici sunt, qui cum eis a malis mala inferuntur, mala minime retribuunt, sed cum eis, qui oderunt pacem, pacifici sunt; qui non in se tantum pacem custodiunt, verum et alios discordantes sibi ad unitatem pacis reducunt. Isti vocabuntur filii Dei, quia Deus summa pax est et omnia cum tranquillitate mentis judicat; filii Dei, fratres Christi. Isti filii per gratiam, Christus Filius per naturam. *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi (Rom. viii).*

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Multi patiuntur persecutionem, sed alii propter culpam, alii propter justitiam; propter culpam patiuntur mali, propter justitiam boni. Latro suspenditur propter culpam; justus non potest suspendi, nisi propter justitiam et innocentiam. Sed dicet aliquis: nemo potest modo propter persecutionem attingere

A ad beatitudinem, quia nunc in pace consistunt omnia, et sancta Ecclesia fere de nulla parte patitur adversa. Et ego dico quod ubique tentationes sunt et persecutiones, quia quotidie in penetralibus sanctæ Ecclesiæ persequitur Cain, Abel; Ismael, Isaac; Esau, Jacob, id est impius justum. Et si quis persecutionem non patitur ab extraneis, patitur tamen a falsis fratribus. *Omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur (II Tim. iii).* Quia igitur non cessant persecutiones, patientia nobis necessaria est, ut reportemus re-promissiones. Væ autem eis qui perdunt patientiam, quia perdunt etiam patientiæ coronam. Non ergo murmuremus, si in paucis vexemur, quia in multis bene disponemur (*Sap. iii*).

B Igitur per paupertatem spiritus attingitur ad regnum cælorum; per mansuetudinem sive per lenitatem, ad terram viventium; per luctum; ad veram consolationem; per justitiæ sitim et esuriem, ad supernæ jucunditatis satietatem; per misericordiam temporaliter factam, ad misericordiam æternam; per cordis munditiam, ad Dei visionem; per pacem, ad Dei filiationem; per præsentem persecutionem, ad æternam regni cælestis tranquillitatem et requiem.

Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, etc. Superius locutus est omnibus electis. Modo apostropham facit ad apostolos, quamvis et hæc aliis electis convenient, ostendens apostolis in his verbis quanta pro ejus nomine passuri sunt. O quam pauci sunt, qui his verbis Domini oculis mentis intendunt, et per eorum admonitionem beatitudinem quærant! Quam multi sunt, qui pro parva verborum injuria, reddunt si possint verbera; et si perficere non valent, quod conantur; tamen et majora minantur! Quam bene sancti apostoli verba ista cordibus suis impresserant, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitisunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. v).* Notandum autem quod ait, *mentientes et propter me.* Si enim homines, quando nobis maledicunt, juste male dicunt, jam non habet hoc meritum. Et si propter causam et culpam nostram sustineamus blasphemias, non propter Deum, non habemus meritum. *Gaudete, et exultate.* In multis decipimur, fratres. Quando enim nobis arrident sæcularia, quando vulgus laudibus nos extollit, gaudemus et exultamus; cum magis flere, magis dolere deberemus, quia majus periculum habent prospera quam adversa; laudes quam vituperationes. Sed gaudeamus, quia apostolis salubre gaudium et salubris exultatio demonstratur, cum eis in contumeliis et persecutionibus gaudendum esse et exultandum denuntiatur. Subjungit causam dicens: *Merces enim vestra multa est in cælo.* Merces ista, fratres, multa est, magna est, pretiosa est, diuturna est. Tam multa est quod non potest numerari; tam magna est quod non potest comprehendi; tam pretiosa est quod non potest estimari, tam diuturna est quod non potest finiri.

CAP. II. De Oratione Dominica secundum Matthæum et de septem petitionibus in ea contentis.

Inter omnia quæ humana fragilitas facere potest unde placere Deo valeat, plurimum valet oratio, si cum pura conscientia et cordis humilitate fiat. Quia si conscientia fuerit forte pravæ voluntatis, vel operis veneno polluta; si cor nostrum inani fuerit elatione repletum, oratio nostra apud Deum non recipitur nec noster animus exauditur. *Qui enim averterit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. xxviii).* Mediator itaque Dei et hominis Christus Jesus homo, humanæ salutis consulens, ac misericorditer providens, inter cætera suæ sacratissimæ doctrinæ verba, formam orationis instituit, et quomodo Patrem orare debeamus, edocuit, dicens: *Cum oraveritis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Sic ergo vos orabitur: Pater noster; qui es in cælis, etc. (Matth. vi.)* In hac Oratione Dominica septem petitiones esse dinoscuntur. Prima petitio est: *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*; secunda est: *Adveniat regnum tuum*; tertia: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra*; quarta: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quinta: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; sexta: *Et ne nos inducas in tentationem*; septima: *Libera nos a malo (ibid.).*

PRIMA PETITIO: Pater noster, qui es in cælis sanctificetur nomen tuum. Ecce, charissimi, singulis fere diebus clerus et populus; viri et mulieres; sed præcipue diebus solemnibus congregatim ad basilicas convolant; melioribus vestibibus coram aspectibus hominum singuli pro facultate sua se adornant, domum Dei securi quasi filii Dei communiter intrant, genua flectunt, pectora tundunt, manus expandunt, ora aperiunt, preces fundunt, dicentes: Pater noster, qui es in cælis. Sed (quod sine gravi mœrore dicendum non est) multi deprecantur Deum, domum Dei ingrediuntur; et pauci exaudiuntur. Multi Deum vocant Patrem in hac oratione, qui ejus filii non sunt; sed illius Patris, de quo scriptum est, *vos ex patre diabolo estis (Joan. viii)*. Dei non sunt filii quia ejus perdiderunt gratiam; diaboli sunt filii, quia genuit eos et nutrit per culpam. Filii diaboli sunt (sicut in aliis sententiis dicere solemus) homines immundi, concubinarii, adulteri, rapaces, avari, maledici, feneratorum et aliis quibuscunque damnabilibus peccatis depravati, *qui dicunt fratri suo, fatue: qui vident mulierem ad concupiscendum eum (Matth. v)*; et quicumque, et si non perverso opere, perversa tamen a Deo parati sunt voluntate. Quicumque igitur, fratres, Deum in Oratione Dominica Patrem vocat, quicumque ab eo exaudiri desiderat, taliter vivat, ut Deus eum Filium suum recognoscat per gratiam, qui omnium est Pater per naturam; alioquin, *cum judicabitur, exhibit condemnatus et oratio ejus fiet in peccatum (Psal. cviii).*

A Pater noster qui es in cælis. Qui dicit, Pater, captat benevolentiam; qui dicit, noster, excludit superbiam; qui dicit, qui es in cælis, exhibet reverentiam. Qui dicit, Pater, captat benevolentiam, quia pium clamat. Qui dicit, noster, superbiam excludit; quia non sibi arrogat proprium aut specialem, sed etiam aliis esse communem denuntiat. Qui dicit, qui es in cælis, reverentiam exhibet; quia non solum in infimis, sed etiam in summis eum præsidem prædicat per fidem. Sanctificetur nomen tuum. Multa sunt nomina divina, quod ergo nomen petimus sanctificari cum dicimus, nomen tuum sanctificetur: nomen Dei, fides est, per quam credentibus innotescit. Sanctificetur nomen tuum, id est fides tua, quæ est tui notitia. Sed tu inquis, nomen Dei non est sanctificatum, sed sanctum; omnes enim Scripturæ clamant, omnes resonant: *Sanctum est nomen tuum (Psal. cx)*. Nomen Dei, fratres, sanctum est; sed adhuc in cordibus quorundam potest amplius sanctificari. Potest namque sanctificari in cordibus paganorum, in quibus nondum est sanctificatum per fidem. Potest namque sanctificari in cordibus Judæorum, in quibus non est sanctificatum per fidei consummationem. Potest sanctificari in cordibus falsorum Christianorum, in quibus nondum est sanctificatum per dilectionem. Potest etiam amplius sanctificari in cordibus electorum; per majorem fidei consummationem et majorem Dei, et proximi dilectionem. Quanto enim perfectius Deum diligit, et credit electus, tanto amplius nomen Patris in se sanctificat et sanctificatum demonstrat. Dicamus igitur: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum in cordibus paganorum, sanctificetur in cordibus Judæorum, ut illi in te credant, et isti perfectius in te credant, et te utrique diligant. Sanctificetur in cordibus falsorum Christianorum, ut, sicut habent per fidem tui cognitionem, sic quoque habeant per affectum dilectionem. Sanctificetur adhuc in cordibus electorum per majorem claritatem cognitionis, et majorem suavitatem dilectionis. Ergo, Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.

SECUNDA PETITIO: Adveniat regnum tuum. Quid est quod petimus, dum dicimus: Adveniat regnum tuum. Nunquid non habet regnum Deus; nunquid non est rex Deus? Si Deus non est rex aut non habet regnum, quid est quod Psalmista dicit: *Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter? (Psal. iv, 6)*. Ergo rex est Deus et regnum habet Deus, quare ergo petimus, ut adveniat regnum ejus? Non petimus ut adveniat in hoc quod jam est, sed in hoc quod nondum manifestum est. Adhuc enim nascituri sunt multi, qui ad regnum ejus sunt prædestinati, nec dum tamen sunt de regno ejus esse omnibus manifestati. Adveniat ergo regnum tuum, o Pater cælestis! ut per naturam carnis generentur ad regnum tuum prædestinati, et per gratiam baptismi regenerentur et fiant justis; et per charitatem justitiæ omnibus manifestentur esse filii regni tui. Adveniat quoque regnum tuum, ut in fine sæculi, in die judi-

cii, in resurrectione generali, separentur grana a paleis, pisces a colubris, agni ab hædis; frumentum a zizaniis (*Matth. xiii*; *Matth. xxv*). Et Ecclesia tua, quæ est regnum tuum, de pressura sæculi præsentis te vocante transeat in gloriam patriæ cœlestis. Item adveniat regnum tuum, ut, sicut regnas in justificatis, ita regnes in justificandis; et sicut regnas in illis qui sunt boni, sic expulsa potestate dæmonum regnes et in illis qui sunt adhuc mali. Adveniat igitur regnum tuum.

TERTIA PETITIO. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Scimus quod in cœlo nullus sanctorum, vel angelorum a voluntate Dei deviat, nemo illi contradicit; quomodo ergo fieri poterit, ut voluntas Dei ita in terra, sicut in cœlo fiat? ut videlicet in terra nemo, vel per ignorantiam vel per fragilitatem humanam delinquat, cum infans unius diei non sit sine peccato super terram, et *in multis offendamus omnes?* (*Jac. iii*). Verum sciendum est quod particula, sicut, non est quantitatis, sed qualitatis; et similitudinem insinuat non æqualitatem. Si quis enim ædificaret domum parvam secundum formam, et dispositionem domus majoris, non diceremus de parva domo, tanta est ista quanta et illa major? sed diceremus, talis est ista qualis illa, talis similitudine, non tanta quantitate. Fiat ergo, o Pater, voluntas tua, sicut in cœlo per angelos et per sanctos, et per primam stolam jam glorificatos; ita, et in terra per homines justificandos, et glorificandos; ut, sicut illi voluntatem tuam faciunt in cœlo, ita isti faciant eam in terra, etsi non secundum æqualitatem, tamen secundum similitudinem, id est si non secundum illorum perfectionem, tamen secundum perfectionis eorum imitationem. Fiat voluntas tua non solum in electis per bonorum operum exhibitionem, verum etiam in reprobis per malorum dispositionem. Quamvis enim malorum non sis auctor, es tamen malorum dispositor, et quamvis sub potestate tua multa sint mala, nulla tamen relinquis inordinata; et sic fit in omnibus voluntas tua; in bonis per actionem, in malis per ordinationem. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra; ut sicut in cœlo faciunt voluntatem tuam cherubin et seraphin, throni et dominationes, virtutes, principatus, angeli, archangeli, patriarchæ et prophetæ, apostoli et martyres, confessores, virgines et omnes animæ electæ a vinculis corporum suorum solutæ, coram te glorificatæ, sic, secundum gratiam a te sibi concessam et secundum possibilitatem suam, faciant ea in terra omnes episcopi, presbyteri, et omnis clerus; omnes reges, principes et universus populus, masculi et feminæ, magni et pusilli, boni et mali quoque de malo ad bonum conversi. Fiat voluntas tua non solum in creaturis rationalibus per tui cognitionem et dilectionem, sed etiam in creaturis irrationalibus per earum existentiam et multiplicationem. Fiat voluntas tua, non tantum in rebus sensibilibus per fecunditatem propagationis, sed et in rebus insensibilibus et viventibus; Fiat, inquam, per vegetationem germina-

tionis. Fiat denique voluntas tua, non solum in rebus quolibet modo viventibus, verum etiam in rebus quolibet modo, sed tibi placito subsistentibus. Item fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, id est sicut fit in justificatis jam, sic fiat in adhuc justificandis. Item fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, id est sicut ratio per gratiam tuam adjuncta faciendum dictat; sic et caro sine contradictione et defectu dictata perficiat. Fiat ergo voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.

QUARTA PETITIO. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Fecit Deus hominem ex substantia duplici; corporali scilicet et spirituali: quia ergo compositus est ex duabus substantiis, necessarius est ei duplex panis, unus corpori, alter spiritui; corpori panis corporalis, spiritui spiritualis; corpus pascit agrestis annona; spiritum pascit sacra doctrina. Corporalem panem a Deo petimus, quia nisi dederit Deus pluviam et fecerit terram germinare, non possemus hunc panem habere. Spiritualem a Deo petimus panem, quia et ipsum nisi dederit Deus, non haberemus. Panem corporalem dispensare debent filiis suis patres carnales, panem spiritualem dispensare debent Patres spirituales prælati, scilicet et doctores. *Hinc quæritur jam inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat* (*I Cor. iv*). *Quis enim est nostris temporibus fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* (*Matth. xxiv*), qui panem doctrinæ communicet fideliter et prudenter? fideliter quantum ad Deum, prudenter quantum ad homines? fideliter quantum ad Deum, ut videlicet cum tanta fide, tanto timore, tanta sollicitudine, tanta instantia, tanta diligentia quemadmodum præcepit Deus, verbum Dei dispenset? Prudenter quantum ad homines, ut secundum capacitatem uniuscujusque singulos erudiat? Sed (quod sine gravi luctu recordandum non est) sicut ait beatus Gregorius, mundus sacerdotibus plenus est et tamen si sit qui bonum libenter audiat, non est qui dicat. Quid facturi, quid dicturi sunt quidam nostri temporis sacerdotes, in die iudicii, in die calamitatis de longe venientes? Qui ordinem sacerdotalem susceperunt, sed inordinate vivere non erubescunt. Qui diligunt cum vulgo sibi commisso, prorsus indocto, pravus moribus corrupto, in quadriviis sedere; verba inutilia, vel etiam perniciosam dicere et audire; superbe jurare et non solum vivis, sed et mortuis detrahere? Redditus Ecclesiarum sibi commissarum opportune et importune requirunt, oblationes toto cordis hiatu concupiscunt: ore nonnunquam imprudenter exigunt; advenientes utraque manu recipiunt. Quidam autem commensationibus et computationibus intendunt; cubilibus, et impudicitis sese involvunt, et multa quæ ab eis in oculo fiunt, sicut dicit Apostolus, *turpe est et dicere* (*Ephes. v*). Lanis Domini gregis vestiuntur lacteque pascuntur, et oves præ penuria et fame verbi Dei moriuntur. Decurrit tempus, transit anni circulus, nec unum verbum

de ore eorum exceditur, quo grex illis committitur erudiat, de malo corripitur, aut bonum revocatur, et in ipso confirmatur; quod tamen se obsequium prestare Deo arduantes, verba divine laudis ululant, aut certe sibilant, et audientes, et inuidentes, sono vocis et motu corporis scandalizant, non edificant. Pasce latras, Domine, pasce tu ipse oves tuas. Unctio tua doceat eas de omnibus, ut Spiritus tuus per internam inspirationem illis doctrinam infundat (I Joan. II, quam talium sacerdotum os mutum non dispensat. Cogitare debent tales sacerdotes animalversiones propheticas adversum se esse prolatas, quibus dicitur: *Erit sicut populus, sic sacerdos* (Isa. XXIV). Et item: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus?* (Jer. II.) Et tenentes legem, nescierunt me (ibid.). Et in alio loco de hujusmodi, scriptum est: *Canes muti, non valentes latrare* (Isa. LVI). Et: *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem* (ibid.). Nemo itaque ab hujusmodi sacerdotibus expectet sibi panem sacrae doctrinae dari; quia tales sacerdotes docere vel nesciunt, vel erubescunt, vel contemunt. Quid igitur facient oves illis commissa? Considerare debent aliis in locis esse sacerdotes doctos, sancteque viventes, et illos adire, et per illos se doceri consilium animarum suarum suppliciter postulare. Sunt etiam quidam falsi praedicatorum, qui sicut zizania in agro Dominico a diabolo sunt seminati, qui totum mundum in suis phylacteriis peragrant, et vulgus indoctum, et diversis peccatis oneratum, verbis mendacibus beatificant, dicentes: *Pax, pax, cum non sit pax* (Jer. VIII). Sed quid dicit Scriptura? *Popule meus, qui te beatificant: ipsi te seducunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (Isa. III). Et item: *Erunt, qui beatificent et qui beatificantur, praecipitati* (Isa. IX). Itaque panem nostrum quotidianum da nobis hodie; panem corporalem et panem spirituale. Panem corporalem, ut facias terram germinare, fructum suum facere et consummare; panem spirituale, ut inspires praelatis et doctoribus Ecclesiae tuae, ut doctrinam suam sibi traditam nobis studeant fideliter et prudenter dispensare, et si illi istum frangere nobis panem non curant, tu ipse nos pasce per occultam sancti Spiritus tui inspirationem. Ut intus per te capiamus panem, quo foris fraudamur per illorum taciturnitatem. Panem ergo nostrum quotidianum da nobis hodie.

QUINTA PETITIO. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quam multis timenda et periculosa est fratres, ista oratio multis enim plus confert detrimenti quam augmenti; plus damni quam lucri. Sunt namque quidam, qui per magnam et longam malignitatem, et odiorum malitiam obdurati; illos, qui per aliquam injuriam eis facti sunt debitorum, manibus suis jugulare aut trucidare et omnibus modis ledere concupiscunt, nec pro timore Dei; nec pro precibus hominum satisfactionem recipere vel concordiam facere volunt. De talibus scriptum est: *Uva eorum uva fellis, et bo-*

A trus amarissimus, fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (Deut. XXXVIII): qui cum tales sint secure tamen ad Ecclesiam confluunt, et coram Deo et altari ejus orantes, dicunt: *Pater noster, dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Sed o misera insipientia, o infelix praesumptio, iram Dei adversum se precibus provocare dicitur, cum *homo homini servat iram, et a Deo quaerit misericordiam* (Eccli. XXVIII). Sunt autem quidam imperfecti, quorum imperfectioni, sicut dicit B. Augustinus, divina miseratio condescendens concedit, ut saltem tunc debitoribus suis debita dimittant: cum ipsi debitores indulgentiam ab eis sibi dari postulaverint, sicut Dominus servo suo nequam fecisse legitur, quemadmodum scriptum est: *Serve nequam, mane debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me* (Marc. XVIII). Quicumque autem rogatus a debitorum, debitum cujuslibet injuriae dimittere contemnit, in vanum sibi a Domino dimitti debitum peccati sui petit; quinimo magis illud coram oculis judicis aggravat quam allevet. Quamvis vero imperfectis concedatur sua posse requirere, satisfactionem de injuria sibi illata recipere, et a debitoribus de indulgentia rogari: debent tamen, si contingat nihil horum fieri, omnibus iram proprii cordis refrenare, et de semetipsis tenebras odiorum pellere, memores illius quod scriptum est: *Ira viri justitiam Dei non operatur* (Jac. I); et item: *Qui odit fratrem suum homicida est, et omnis homicida non habet partem in regno Christi, et Dei* (I Joan. III). Perfectorum autem est puro corde omnia omnibus vultu jucundo sine restauratione rerum, sine satisfactione injuriarum, et sine ullis precibus debitoribus suis indulgere; insuper et sua tribuere, et obsequia charitatis exhibere. Provideat ergo unusquisque sibi in oratione ista: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, ut qualem indulgentiam a Deo cupit accipere, talem studeat aliis facere*. Sin autem, secundum consilium meum taceat, et istam orationem minime dicat: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Dimitte ergo nobis, o Pater, debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et si per aliquam fragilitatem, vel etiam perniciem nos videas non dimittere sicut debemus, da nobis gratiam, ut secundum tuam voluntatem dimittamus, et sic tuam indulgentiam consequamur. Da ut sic diligamus homines, ut eorum non diligamus errores; ut sic in eis diligamus naturam, ut non diligamus culpam; ut sic diligamus quod sunt, ut non diligamus quod male faciunt. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

SEXTA PETITIO. Et ne nos inducas in tentationem. Cum scriptum sit: *Deus intentator malorum est, ipse neminem tentat: unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Jac. I), quid est quod petimus, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem?* Est igitur sensus: *Ne nos*

inducas in tentationem, non ut nunquam nos permittas a tentationibus infestari, sed da ut per tentationes probemur, nec reprobemur. Multum prosunt tentationes electis, qui per tentationis victoriam pertingunt ad coronam, sicut Jacobus apostolus testatur, dicens: *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se* (Jac. i). Et in principio ejusdem Epistolæ: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ* (quæ per tentationes fit) *patientiam operatur* (ibid). Et de patientia scriptum est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (Luc. xxi). Tentationum autem quatuor sunt species, sive modi, sicut in alio loco jam diximus. Tentatio namque alia levis, alia occulta, alia gravis, alia manifesta. Tria autem sunt, quæ nos tentant, caro nostra, mundus, diabolus. Caro nos tentat per gulam et luxuriam; mundus tentat nos prospera et adversa: per prospera ut decipiat, per adversa, ut frangat; diabolus omnibus modis nos aggreditur, et ad omnem nequitiam nos adducere conatur. Itaque, Pater noster, ne nos inducas in tentationem, id est ne nos permittas tentari supra id quod possumus; sed da cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere (I Cor. x). Ne nos ergo inducas in tentationem.

SEPTIMA PETITIO: Libera nos a malo. Multa sunt mala, quibus humana subjacet conditio quorum periculum per se minime evadere valet, quæ generaliter considerata ex modis distinguere possumus. Malum aliud est corporis, aliud animæ. Item aliud est malum, quod est culpa; aliud est malum, quod est pœna. Item aliud est malum præsentis sæculi; aliud malum futuri. Ab omnibus istis, et ab aliis (quæ per ista comprehenduntur, et sub istis continentur) petimus liberari, quando oramus dicentes: Libera nos a malo, quasi diceremus; Libera nos, Pater, ab omni malo; quia, nisi tu liberet nos, non poterimus sine te liberari nec ab uno, nec a multis, nec a magno, nec a minimo. Libera nos ergo tu, Pater, a malo.

PRÆDICTARUM PETITIONUM CONCLUSIO. Amen, interpretatur *vere*, aut *fideliter fiat*, et concludit prædictas omnes petitiones. Amen, quasi dicamus: O pater noster, qui est in cœlis, vere fiant omnia in nobis et in aliis, quæ supra postulavimus. Vere sanctificetur nomen tuum. Vere adveniat regnum tuum. Vere fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Vere panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Vere dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Vere ne nos inducas in tentationem. Vere libera nos a malo. Ista est, fratres, jugiter dicenda oratio, utpote quam ipse Salvator docuit, et qua nobis Pater jugiter orare præcepit. Nulla est enim sublimior ista, nulla utilior. Sunt quidam, qui sicut ethnici gloriantur se multa verba fundere, multa psalteria legere, diver-

sas horas decantare, prolixas orationes continuare, cum ore Domino loquuntur, corde nonnunquam in extremis terræ finibus vagantur. Meminerint tales Scripturæ, quæ dicit: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Isa. xxix), Nec ista dicentessanctæ orationis solertiam, et perseverantem devotionem culpamus, quam multum laudamus, dum prolixitatem orationis comitatur fervor etiam internæ dilectionis.

SEQUITUR ALTERA ORATIONIS DOMINICÆ EXPOSITIO
ALICUNDE HUC APPOSITA.

CAP. III. *De septem peccatis mortalibus, contra quæ valent Orationis Dominicæ petitiones.*

[Septem vitia principalia, quæ rationalem naturam inficiunt, et ejus integritatem, quasi quodam suæ admistionis fermento corrumpunt. Vitium autem est corruptio naturalis affectus præter ordinem, et extra mensuram. Hoc vero, cum per consensum recipitur, peccatum est: sentire autem solum sine consensu, pœna est, non culpa. Sane in non regeneratis, vitium omnino excusationem non habet: ubi, etsi consensus non sequitur, solum hoc damnationi debitum est, quod præter rationem movetur: propter quod ait Apostolus: *Jam nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* (Rom. viii). Primum vitium est superbia, secundum invidia, tertium ira, quartum acedia, quintum avaritia, sextum gula, septimum luxuria. Superbia est amor propriæ excellentiæ. Invidia est livor alienæ felicitatis. Irrationabilis perturbatio mentis. Acedia est fastidium interni boni. Avaritia est immoderata habendi cupiditas. Gula est nimius edendi appetitus. Luxuria est immoderatum desiderium explendæ libidinis. Hæc ergo sunt vitia septem, de quibus universa rationalis animæ corruptio manat.] Omne enim, quod integritatem corrumpit, vitium est. Sed est alia integritas corporeæ naturæ; alia naturæ incorporeæ. Rursum corporea natura, quædam statum habet, sensum non habet; quædam vero sensum habet, et statum. In illa ergo, quæ sensu caret, corruptio accedens violat unitatem; ad illam autem, quæ sensum habet, corruptio ingrediens, lædit sanitatem. Spiritualis autem naturæ integritas in veritate et bonitate constat: in veritate, cum cognoscitur; in bonitate, cum amatur. Corrupta ergo cognitio per ignorantiam, animæ rationali quasi quamdam fœditatem ingerit; corruptus vero amor per concupiscentiam, animæ turpitudine est; sinceritas vero dilectionis, sanitas illius. Propterea [majus vitium est non amare bonum, quam verum nescire: quod enim voluntatem sequitur, juste pro culpa deputatur. Scire autem, et nescire potes nolens; amare, et non amare non potes nisi volens. Idcirco id, quod secundum voluntatem est, solum pro merito imputatur, sive ad bonum si rectum est, sive ad malum si perversum est. Propter hoc in affectu omne meritum constat; neque justitia, vel culpa, nisi in affectu rationalis voluntatis inveniri potest.]

CAP. IV. *Quod hæc tria peccata superbia, invidia et ira divinæ bonitati potissimum repugnant.*

Hujus ergo affectionis corruptiones sunt septem. Prima est superbia, id est amor propriæ excellentiæ, quæ ipsum affectum deformat, quia, dum eum ad partem detrahit, a toto præcidit. Omne namque bonum a summo bono est, et minus in se est quam in illo, a quo est. Quisquis ergo extra summum bonum in aliquo bono delectatur, dum perverse partem eligit, juste totum amittit. Superbia ergo quasi partem a toto præcidens, rationali affectui tollit pulchritudinem; cætera vero obsequentia ingerunt dolorem. In omnibus enim reliquis pœna primi vitii constat, quia quod in superbia præeunte delinquitur, in cæteris post superbiam subsequentibus punitur. In illa quippe bonum ad proprietatem amatur: gaudet enim se habere quod alius non habet, vel ut habeat quod alius non habet: propterea igitur quia excellentiæ ad proprietatem amat, amor propriæ excellentiæ vocatur. In eo enim quod proprietatem amat, odit communionem, et nascitur invidia filia superbiæ. Invidia quippe odium est felicitatis aliene, quæ de superbia nascitur. Non enim tibi displicere poterat id alium habere, nisi quod tu prius solus habere voluisti. Propterea lædit te et gravis est tibi aliena felicitas, quia in ea tibi tuus ostenditur defectus. Et ex ea argueris non esse, quod vel esse gaudebas, vel concupieras ut esses. In superbia igitur injuste delectaris; in invidia juste cruciaris. In superbia perverse tibi placet, quod tu es; in invidia inique tibi displicet, quod alius est. Propterea læsio superbiæ tanto perniciosius corrumpit, quanto minus malitia illius sentiri potest, et quod suavius intrat, eo profundius penetrat. Invidia autem, quoniam cum læsione sua etiam dolorem habet, in eo ipso nonnunquam mala esse cognoscitur, quo non solum perversa, sed etiam amara esse sentitur. In hoc nonnihil justitiæ invidia habere cognoscitur, quod qui injuste agit, juste punitur. Post hoc sequitur ira, hoc est irrationabilis perturbatio mentis, quæ et ipsa pœnam suam secum habet. Nam si dolorem, facit aliena felicitas, cum cernitur, multo magis facit, cum adversatur. Hæc est ergo irrationabilis perturbatio mentis, quæ ira dicitur, cum malum illatum pati dedignaris. Ideoque turbaris impatientia agitatus, quia non sustines adversitatem. Est autem bona ira, qua dedignaris malum facere; mala vero, qua dedignaris malum pati. Illa respuit culpam, ista non suscipit justitiam. Propter hoc, mala ira ex adversitate occurrente turbatur, et impatientia quietem mentis exagitat. Neque stare jam vult animus ad tolerantiam pœnæ, quæ justa est, quemadmodum prius stare noluit per continentiam culpæ, quæ injusta est. Auget ergo miseriam, dum cruciatum carnis suscipit ad dolorem mentis. Hæc igitur vitia, id est superbia, invidia, ira maxime Deo adversantur. Superbia namque Deum negat, invidia accusat, ira fugat. Qui enim de singularitate gloriatur, superiorem

A negat, qui vero alienis bonis invidet, largitorem accusat: qui autem in corde suo perturbationem recipit, pacis amatorem expellit, simul vero omnia blasphemant. Superbia quippe dicit, Deum non bonum esse: invidia et ira dicunt non benefecisse. Illa, quia alii bonum contulit, ista, quia sibi malum intulit. Sic tria hæc vitia specialiter ad injuriam Dei spectare videntur, in quibus bonum suum, quod Deus est, mens rationalis perverse deserit. Per superbiam, introrsum ab illo se dividens. Per invidiam, exterius visum pie non requirens. Per iram, ipsam etiam memoriam illius a recordatione sui propellens.

B CAP. V. *Quod reliqua quatuor vitia, acedia, avaritia, gula et luxuria, injuriæ Deo a nobis illata sunt ultricia.*

Deinde sequuntur quatuor alia vitia, quibus suam Deus in hominem injuriam ulciscitur, quia peccatrix anima a Deo deserta, his quasi ad vindictam subsequentibus punitur. In his igitur quatuor vitiis prima est acedia, id est tædium animi, quod de fastidio interni boni nascitur, in qua animus amisso bono suo solitarius et desertus manens, sibi ipsi in amaritudinem et dolorem commutatur. Deinde sequitur avaritia, id est immoderata habendi cupiditas, quæ animum interno bono carentem, et sibi non sufficientem, ad exteriora appetenda compellit. Acedia igitur animæ dolorem facit, avaritia laborem; quia illa per tristitiam afficit, ista per varia desideria scindens in laboriosos conatus extendit. Post avaritiam sequitur gula. Mens etenim per appetitum exteriorum fusa, primum a gula excipitur, quæ necessitatem prætendens familiariter blanditur. Quæ quia post necessitatem superfluitatem inducit, vitium est; quoniam appetitum et deformat, extra mensuram trahens; et affligit, per immoderatum desiderium tendens; et polluit, turpidelectatione inficiens. Novissime succedit luxuria. Caro siquidem inflammata per crapulam, continuo ad libidinem effervet, in qua similiter turpitudine est, quantum mensura transgreditur; et major turpitudine quantum ejus actio nulla necessitate excusatur, quod appetitus edendi aliquando natura est, motus luxuriæ semper culpa. Sine cibo natura subsistere non potest, sed sine concubitu potest. Propterea appetitum edendi ex natura ortum, ne malus sit, ratio subsequens moderatur. Appetitus autem concumbendi, etiamsi ab actione refrenetur, in eo ipso tamen vitium est, quod ex ratione præcedente non oritur. Propterea quidem illi oriri, natura est; modum transire, vitium: hujus autem et ortus vitium est, ubi actio ejus rationalis non est: quod vitium in nobis ex fomite peccati sine ratione oritur, per rationem refrenatur, per gratiam excusatur, sicut scriptum est: *Jam nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu (Rom. viii)*. Est tamen omnino peccatum, quod contra justitiam movetur; sed non damnabile, quod per gratiam excusatur. Propter hoc Dei Filium naturam nostram cum pœnâ

sine culpa assumpsit : famem aliquando sustinuisse legitur ; sed nullam omnino in eadem natura ex peccati fomite unquam titillationem sensisse verissime affirmatur. Cujus enim actio non rationalis esse potuisset ; ejus desiderium sine vitio omnino non fuisset, quod in eo prorsus non esse debuit, qui peccatum non suscipere, sed tollere venit. Itaque appetitus edendi in eo quidem quod appetitus est, natura est ; in eo vero quod inordinatum est vitium est. Appetitus vero concumbendi in eo ipso quod est, etiam juste arguitur, nisi ratione præeunte, et gratia subsequente excusetur. Ratio autem nulla præcedere ostenditur, nisi rationalis actio subsequatur, quia quod præter necessitatem naturæ est, quoniam non debet fieri, non debet etiam concupisci.

CAP. VI. *Quod superbia per luxuriam retunditur ; et quod dictis septem peccatis totidem opponuntur petitiones in oratione Dominica.*

In his ergo vitiis sicut prima superbia animam a summis detrahit ita novissima luxuria in infimis defigit, sicut scriptum est : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia (Psal. LXVIII)*. Recte ergo contra gloriam superbie opponitur immunditia luxuriæ, et ubi præcedit spiritus elatio, sequitur carnis turpitudine : ut qui in se perverse considerat unde gloriatur, in se etiam juste inveniat unde confundatur. Hæc sunt septem vitia, quæ universam animæ integritatem corrumpunt, contra quæ sananda opponuntur septem dona Spiritus sancti quasi septem antidota specialia : quæ tamen septiformi petitione præmissa impetrantur. Primum enim homini condito quædam bona dederat Deus gratis non rogatus, sed quia homo ingratus hæc adjecit, dignum est ut secunda bona non accipiat, donec humiliatus hæc desiderando et supplicando requirat. Idcirco præcedit petitio, ut sequatur largitio ejus, quod voluntas requirit. Hæc autem septem petitiones in oratione Dominica continentur, singulæ singulis vitiis opponendæ. Contra superblam opponitur prima petitio : *Sanctificetur nomen tuum*. Contra invidiam opponitur secunda petitio : *Adveniat regnum tuum*. Contra iram opponitur tertia petitio : *Fiat voluntas tua, sicut in cælo in terra*. Contra acediam opponitur quarta petitio : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Contra avaritiam opponitur quinta petitio : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Contra gulam opponitur sexta petitio : *Et ne nos inducas in tentationem*. Contra luxuriam opponitur septima petitio : *Libera nos a malo*.

CAP. VII. *De captatione benevolentie in principio orationis Dominicæ.*

Sed notandum est quod in hac Dominica oratione ante ipsas petitiones quasi captatio benevolentie quædam præmittitur, cum dicitur : *Pater noster, qui est in cælis*. Captat, namque oraturus pietatem a prælatis, in patre. Si enim pater est, amat filios, et pietate movetur, ut exaudiat clamantes ad se, et præstet quod petitur. Igitur qui dicit, pater, fiduciam significat exauditionis. Qui vero dicit, noster, humilitatem ostendit, non singulariter præsumens de bono quod in communi datum est. Qui autem dicit, qui es in cælis, audit quid debeat postulare, ne forte non petenda requirens, aures pietatis offendat. Cur enim terrena petat, qui se patrem in cælis habere testatur ? Illic namque quærenda sunt, ubi habitat pater : Dic ergo, pater, ut in petendo confidas ; dic, noster, ne communi bono singulariter te extollas ; dic, qui es in cælis, ut quid tibi petendum sit, intelligas. Habes Deum patrem, habes hominem fratrem, ut ad illum tendens, non dividaris ab isto : trahat te ad illum dilectio, non dividat te ab isto elatio. Idcirco clamas, pater noster, ut intelligas quod fratres habes, neque solus es in hoc bono, quod per gratiam datum est omnibus. Unus homo dixit : *Pater meus (Joan. v)* ; qui utique hoc non dixisset, si plus quam homo non fuisset. Ubi enim homo fuit, dicere habuit, pater noster ; ubi Deus fuit, dicere habuit, pater meus. Ubi enim Deus fuit, solus fuit, unus, unigenitus : ideo dixit : *Pater meus*. Ubi autem homo fuit, fratres habuit, neque solus fuit. Propterea hic dixit, pater noster, et alibi. *Ite, nuntiate fratribus meis (Matth. xxviii)*. Et iterum : *Narrabo nomen tuum fratribus meis (Psal. xxi)*. Propterea, pater noster, qui es in cælis. Pater in cælis pius et altus, diligens et potens : si pater es, prodesse vis ; si in cælis, potes. Ergo vis, et potes : propterea petentes nihil hæsitamus, vis et potes. Pater noster qui es in cælis, indulge quod postulamus, quia rectum est quod petimus. Primum quod ad honorem tuum, postea quod ad salutem nostram. Quod ad honorem tuum : *Sanctificetur nomen tuum ; adveniat regnum tuum ; fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra*. Quod ad salutem nostram. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo*. Propterea exaudi, quia tu dixisti : *Si quid petieritis in nomine meo, dabitur vobis (Joan. xvi)*. Nos enim petimus in nomine tuo, petimus quod ad honorem sit tuum, petimus quod ad salutem nostram. Primum pro te, postea pro nobis. Tu enim Dominus es, et idcirco jure causa tua primum ubique locum habere debet. Propterea debitum reverentiæ salvimus supplicantes ut salus nostra apud elementiam tuam efficacior existat : quæ se honori tuo etiam pro se agens postponere non cunctatur. Nihil nostra petitio affert, quod auribus tuæ majestatis debeat displicere, nostræ commoditati honorem Dei præponimus, salutem proximi sociamus. Ne ergo repellas orationem nostram, qua tibi et Dei et proximi charitas commendatur. In qua non singulare, sed commune bonum postulantes : proximum diligimus sicut nos, et tuam gloriam præferentes, te Deum nostrum supra nos. Hæc pro commendatione captationis benevolentie dicta sunt.

CAP. VIII. *De prima petitione orationis Dominicæ contra superbiam.*

Sanctificetur nomen tuum. Hæc est prima petiti-
tio, qua petimus ut nomen Dei sanctificetur : pri-
mum in nobis, postea per nos. Quod est nomen
Dei ? forte cogitas, vel cogitandam putas vocem
aliquam, cum audis nomen Dei : si ergo vox san-
ctificanda est, qualis vox cogitanda est, quæ di-
gna sit, ut sibi singulariter usurpet sanctificatio-
nem ? cum multa sint nomina, quibus nominatur
Deus a nobis, sicut multis modis innotescere di-
gnatus est nobis. An forte omnia hæc nomina unum
nomen continent, quod Deus nominatur in nobis ?
Hoc est unam notitiam, unam cognitionem, unam
fidem, qua revelatus est nobis, et cognoscitur a
nobis ? Hoc est nomen, quod nominatur, et inno-
tescit Deus : fama ejus, notitia ejus, fides ejus. Sic
enim dicimus : Magni nominis est homo ille, et
ille homo magnum nomen habet in populo ; ma-
gni nominis, magnæ famæ. *Notus in Judæa Deus,
in Israel magnum nomen ejus (Psal. CLXX^o).* Ergo
in ipsa notitia ipsum est nomen : ibi enim nomi-
natus, ubi notus. Quid enim petis cum dicis Deo :
Sanctificetur nomen tuum ? Jam enim nominatus
est tibi Deus, nomen ejus ad te usque pervenit ;
tecum enim est nomen ejus : modo cum intrasti
Ecclesiam, audivisti Scripturam clamantem : *In
principio creavit Deus cælum et terram (Gen. 1).* No-
minatus est tibi Deus, et cognovisti quod Creator
omnium ipse est. Audi iterum : *Quam bonus Israel
Deus iis, qui recto sunt corde (Psal. LXXII).* Quo-
modo, bonus ? *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor
ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cæ-
lum et terram, mare et omnia que in eis sunt (Psal.
CXLV).* Ergo Deus, qui creavit cælum et terram,
ipse est Deus Israel et Deus Jacob : nam Israel
ipse est et Jacob. Si ergo Deus Jacob fecit cælum
et terram mare et omnia quæ in eis sunt : ergo
qui in principio fecit cælum, et terram, Deus est
Israel et Deus Jacob : ibi creator, hic adjutor ;
ibi magnus, hic bonus. Quam bonus ! Bea-
tus, cujus Deus Jacob adjutor ejus. Bonus
ad tantum bonum, bonus ad beatitudinem : ergo
summe bonus, quia ad summum bonum bonus.
Sed forte soli Israel bonus, et solus Jacob beatus,
cujus Deus adjutor ejus. Audi iterum : *Beati om-
nes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus
(Psal. CXXXVII).* Ergo idem Deus, qui in principio cæ-
lum et terram fecit, et idem ipse qui postea legem
dedit : unus et idem ipse est, qui in novissimo
adveniens, gratiam contulit. Primum creavit, pos-
tea reparavit, in fine beatificavit. Non alius et
alius, quamvis aliud et aliud. In omnibus his no-
minatus est tibi Deus, et personuit nomen ejus in
auribus tuis, et celebris facta est apud te fama
illius. Non te deinceps de ignorantia excusare po-
tes ; audisti nomen ejus, sed hoc cave, ne nomen
Dei tui accipias in vanum.

Quid est nomen Dei in vanum accipere ? Audire,
et contemnere ; agnoscere, et non revereri ; scire,
et non amare. Ergo ora ut sanctificetur nomen ejus

A apud te : nam in se sanctum est semper. Quidquid
de illo dici potest, totum sanctum est ; sed tibi non
est, si non diligis, si non revereris. Nam in tua
existimatione sanctus non est, si tu illum sanctum
esse non putas. Si ergo audis et despicias, non san-
ctificatur nomen ejus apud te. Tollis illi sanctita-
tem tuam, tollis in te, qui non potes in ipso. Quan-
tum potes, facis ; et si plus posses, plus faceres.
Judicabit ergo Deus affectum malignitatis tuæ :
superbus enim es, et resistis quantum potes, et
obfirmas animam tuam, ut non timeas, aut verear-
is illum ; cujus etsi non suscipis bonitatem, non
tamen effugis potestatem. Ergo ora illum ut ad
sui reverentiam cor tuum inclinet : et sicut illumi-
navit ad cognitionem, sic excitet ad dilectionem,
B ut humiliaris sub potenti manu illius (*I Petr. v*),
quatenus et verearis magnum, et diligas bonum.
Sic, humilitate superveniente, superbia cadet, ita
ut jam lætus et mansuetus Deo canere incipias.
Domine, clamavi ad te, et sanasti me (Psal. XXIX).
Postquam autem Deus in te sanctificaverit, et te
sanctificare fecerit nomen sanctum suum ; non
hic sistas non tibi sufficiat salus tua. Extende af-
fectum charitatis, et pro aliis clama ad illum,
sanctificetur nomen tuum. Ab omnibus sanctifice-
tur, et ab omnibus glorificetur, ut *secundum no-
men tuum, sit et laus tua usque in fines terræ
(Psal. XLVII).* Sic ergo sanctificetur nomen tuum.
*Non nobis, inquit. Domine, non nobis ; sed nomini
tuo da gloriam (Psal. CXIII).* Hoc est, sanctificetur
nomen tuum, Sanctificatur enim cum glorificatur.
C Sanctificetur nomen tuum.

CAP. IX. *De secunda petitione contra invidiam.*

Adveniat regnum tuum. Hæc est secunda peti-
tio, quæ contra vitium invidiæ opponitur, in qua
desiderium fraternæ salutis commendatur. Quid
enim est regnum Dei, nisi salus hominum ? Non
enim regnum hic illud significatur, quo cunctis
Deus potestate præsidet, et nutu potentiæ suæ uni-
versa ad arbitrium suæ voluntatis intorquet. Hoc
enim regnum nec per profectum advenit, nec per
defectum recedit, quia divina potestas nec augeri
potest, quia plena est ; nec minui, quia, æterna
est. Illud vero regnum, quo piis mentibus per
amorem subjectis præsidet, tantum advenit, quan-
tum salus hominum crescit. In quibus videlicet
D mentibus dum id quod contra justitiam male nite-
batur, ad nutum divinæ voluntatis per gratiam
aspirantem componitur, tunc nimirum in eis Deo
advenienti regnum præparatur, ut in ipsis habitet.
Nunc omnem motum illarum ad justitiam diri-
gens, postea vero finito mutabilitatis hujus cursu,
omne desiderium carum sopita omni contradic-
tione ad pacem æternæ tranquillitatis componens.
Regnum ergo Dei est, quo interius per gratiam
præsidens, fluctuantes mentes hominum regit
et ad leges æternæ justitiæ sequendas non vi, sed
amore inflectit, ut sub ipso per devotionem et post
ipsum per imitationem dirigantur ad ipsum
per glorificationem. Sicut ergo in prima petitione
gloriam Dei postulamus, sic in secunda salutem

proximi flagitamus. Illud contra superbiam, hoc contra invidiam. Ibi nos per humilitatem superiori subiecimus hic per charitatem proximo sociamus. *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.*

CAP. X. *De tertia petitione contra iram.*

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Hæc est tertia petitio quæ contra vitium iræ opponitur. Qui enim voluntati divinæ annuit; non vult contendere, sed humiliter subiecit se dispositioni justæ, ut in eo etiam, quod contra voluntatem suam agitur adversus judicem suum nullo impatientiæ, sive murmurationis vitio moveatur. Quia enim agnoscit se perpetrasse mala prohibita, patienter sustinet mala illata. In quibus tolerandis etsi caro per impatientiam murmuris, perturbationem suscipit; ratio tamen per considerationem justitiæ tranquilla permanens, ad obedientiam se componit. Voluntas quippe spiritus divinæ voluntati per justitiam conformata, hoc quod in sua carne contra veritatem moveri sentit, improbat et ut ipsum quoque ad consensum veritatis tranquilletur, exoptat, dicens: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Hoc quippe cœlum, id est ratio per amorem justitiæ celestibus conformata; in nullo contra Dei voluntatem nititur, et quod in contrarium moveri; sentit, per vigorem ejusdem justitiæ ne effluat, moderatur, sicut scriptum est: *Non mea voluntas, sed tua fiat (Luc. xxii).* Sicut enim humanitas in homine Deo secundum proprietatem naturæ mortalis quam portabat, aliud inferius per carnis affectum naturaliter pœnam fugientis voluit, aliud superius per judicium rationis justitiam amantis, approbavit; sic nos, quod in nobis ex vitio contra justitiam Dei moveri cernimus, judicio rationis cohibere debemus, dicentes: Domine, non nostra voluntas fiat, sed tua. Nostra enim voluntas, est voluntas carnis nostræ, quæ sive ex infirmitate naturæ moveatur, nostra est, quia in nobis, sive ex vitio culpæ, nostra est, quia ex nobis; illa nostra est, quia portamus; hæc nostra, quia fecimus. Fecimus enim culpam, portamus naturam. Ideo quod movetur ex natura, etsi aliquando cohibetur, nunquam imputatur. In eo autem quod movetur ex culpa, et reprehensibile est quo oritur, et cohibendum est ne operetur. Idcirco autem quod secundum infirmitatem naturæ appetimus, etsi culpa non sit, aliquando tamen cohibere debemus, quia cum aliud justitia Dei exigit ad puniendam culpam, aliud infirmitas ad fovendam naturam; patienter sustinere debemus læsionem naturæ propter impletionem justitiæ. Quod autem ex vitio appetimus, et plangendum est quia oritur, et cohibendum ne perficiatur, ut fiat quod scriptum est: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (Rom. vi).* Propterea ut in terra quoque carnis nostræ, regnum peccati destruat et regnum Dei adveniat; orandum ut sicut in cœlo, sic et in terra voluntas ejus fiat, quia tunc etiam in terra regnum ejus advenit; si motus, qui ex justitia non est, subjectus rationi non dominatur, sed servit. Cum autem homo cœlum animæ

A suæ et terram carnis suæ regno Dei subjecerit tunc affectu charitatis in anteriora se extendens, orare debet, ut quod in se gratia operante agitur, eadem gratia largiente exterius compleatur. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Sicut angeli in cœlo obediunt sic obediant homines in terra. Etsi qui in terra homines per gratiam cœlum facti sunt et ad cœlum mente sublevati sunt, ut in eis voluntas tua fiat, imitentur illos, qui adhuc animo terræ inhærent, et terra sunt, et præcedunt corde, quo secuturi sunt corpore. Sic ergo, fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Ecce, Domine, concedimus, ut fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Non resistimus, non renitimur, non reluctamur; nos quidem hactenus aliud facere voluimus, aliud perficere cogitavimus; consideramus modo, quia omnipotens voluntas tua est; et idcirco si nitimur contra illam, aut potestate tua corrigemur, ne quod male volumus, perficiamus; aut patientia tua sinemur, ut pereamus. Idcirco, Domine, non contendimus tecum: Fiat voluntas tua. Scimus, Domine, quia sive volumus, sive nolumus, voluntas tua fiet. Ideo Fiat voluntas tua. Concedimus quod prohibere omnino non possumus, ne forte si aliud velimus, non detur effectus et damnetur affectus. Ideo adjungimus voluntatem, ut remuneres pietatem, quia laudamus et amamus tuam potestatem; ut facias oramus, quod te posse non dubitamus, ut tua bona voluntate pravas nostras voluntates comprimas, et quod male volumus nos, tu autem bene non vis, fieri non permittas. Quod et si fieret, voluntas tua minus potens non esset; nostra plus misera esset. Ideo, Domine, fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. In tantum enim jam de bonitate tua confidimus ut de nobis plus tibi quam nobis credamus, propterea fiat voluntas tua. Nos enim et malum nostrum velle possumus; tu non potes quem nec ignorantia decipit, nec malitia corrumpit. Idcirco, Domine, fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.

CAP. XI. *De quarta petitione contra acediam.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hæc est quarta petitio, quæ contra acediæ vitium opponitur. Hic enim petitur panis vitæ ab esurientibus justitiam. Panis refectionis est; da panem, da refectionem. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; panem nostrum, panem tuum; tuum, quia das; nostrum, quia accipimus; tuum, quia a te; nostrum, quia nobis, a te oritur; ideo tuum; nobis conceditur, ideo nostrum. Tu es enim terra illa viventium, de qua oritur panis vitæ, qui confirmat cor hominis (Psal. ciii). Idcirco, o terra, da panem, da refectionem, pasce habitatores. Si habitamus in te, pascamur ex te. Jam cœpimus manere, jam cœpimus quiescere, quia jam cœpimus acquiescere. Ecce non resiliimus per contradictionem aliquam; cantavimus, fiat voluntas tua. Ecce igitur manemus: *Ut sit hæc requies nostra in sæculum sæculi (Psal. cxxxii).* Manere autem non possumus, nisi comedamus. Da ergo nobis panem. Panem nostrum quotidianum da

nobis hodie. Ecce non solliciti sumus de crastino: hodiernam tantum stipem petimus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nolumus ut apud nos manna tuum putrescat. Colligimus quantum sufficit, et nos amplius non colligimus nisi quanto uti possumus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; secundum presentem illuminationem, praebe refectionem. Quantum illuminasti, tantum refice; quantum dedisti scire, tantum da diligere. Nolumus ut apud nos dilectio tua sine scientia excedat, quia quod secundum scientiam non agitur (Rom. x), reprehensibile est, etiam si ex zelo justitiae oriri videatur; propterea arguuntur, qui zelum habuerunt non secundum scientiam; qui ultra illuminationem protrahere voverunt refectionem. Nocte comederunt cibum, qui non nisi in die sumendus fuerat. Ideo erraverunt et ebrii facti sunt, ut non intelligerent quid facerent. Propter hoc panem nostrum quotidianum da nobis hodie; da panem, da refectionem; verbum tuum relectio animae est. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (Matth. iv). Ergo pascit verbum, sicut pascit panis, quoniam ipsum verbum est panis. Da ergo verbum tuum, ut reficias animas nostras. Quid est verbum tuum? veritas. Mitte veritatem tuam in cor nostrum, ut reficias nos. Mitte veritatem et cum veritate charitatem. Veniat Filius, veniat cum Filio Spiritus sanctus; ambo veniant, ut relectio sit plena, illuminet veritas, reficiat charitas. Nam ipsa dilectio, ipsa est relectio. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Videte quid dicat: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. In die presenti refectionem quaerit. Dies enim hodiernus praesens est, sicut hesternus praeteritus, crastinus futurus. Quære diem intus; si intus refectionem agnoscis, intus habes panem, intus diem. Nam de exteriori pane et de exteriori die (quamvis et illi a Deo sint et a Deo petendi sint) nunc siletur, propter intentionem melioris. Quære ergo intus diem, quære intus panem. Nam si ille qui reficitur intus est, intus est quo reficitur, intus est quando reficitur. Clamat hic esuriens et quaerit refectionem sui ne deficiat. Clamat anima, ipsa est esuriens, et utinam esuriat, et hoc esuriat, quod cum plene percepit, amplius non esuriat. Ergo anima esurit. Quid est esurire? desiderare. Esurit anima, desiderat anima. Quid desiderat? panem. Quem panem? veritatem. Iste est panis ejus; hunc panem alia creatura sumere non potest, nisi sola rationalis propterea ait: Panem nostrum. Ad hunc facti sumus, ad hunc creati sumus. Propterea inquit, da quia creasti nos, ut sine pane isto non vivamus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid est, hodie? In die presenti. Intendite, anima rationalis ita creata fuerat, ut a veritate illuminaretur et lumen ipsius veritatis in ea nunquam obscuraretur; si ergo stetisset in lumine veritatis, unus illi dies esset et ille dies aeternus esset, non habens hesternum vel crastinum. Nunc autem quia a veritate de-

A ficit, recedit ab ea lumen veritatis, et non stat cum ea semper. Propterea dies ejus transeunt et succedunt post lumen tenebrae, quando per culpam veritas relinquatur; et post tenebras rursum redit lux, quando anima in peccato jacens per gratiam visitatur. Quando ergo adest gratia, dies est, quia illuminatur quando visitatur; hic hodiernus quando relectio quaeritur, quia praeventa per gratiam anima ad desiderium excitatur. Et nota quod panis hic quotidianus dicitur, quia secundum numerum spiritualium illuminationum relectio internae dulcedinis multiplicatur. Considerandum vero, quomodo haec petitio pro vitio acediae sanando supplicare dicitur, in qua non fastidians, sed esuriens et desiderans orare memoratur. Sed sciendum est, quod nisi mens orantis prius per gratiam ad desiderium boni excitata esset, nunquam ad persequendum malum suum convalesceret. Et idcirco eo desiderio, quo per gratiam contra malum suum accenditur; eodem postmodum pro malo desiderio sanando orat; quia nisi aliquatenus quod perdidit sentiret, quod patitur non doleret. Itaque nec contra superbiam orare potest, nisi qui vel in desiderio humilitatem habet. Nec contra invidiam, nisi qui saltem in affectu benignitatem possidet. Sic mansuetudine contra iram, sic desiderio contra acediam supplicamus; contra avaritiam orantes, indulgendi desiderio accendimur; contra gulam supplicantes, continentiae appetitu inflammamur. Postremo nisi amor castitatis in desiderio esset, nemo contra turpes luxuriae delectationes orationem funderet; prius ergo excitamur, ut velimus; postea oramus, ut amplius possimus, sicut scriptum est: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore (Psal. cxviii)*. Sic ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie: da, nam de praeteritis gratias agimus, de presenti supplicamus. Quomodo futura eveniant, non nostrum est quaerere sed tuum est providere. Itaque non rogamus pro crastino; qui utrum nobis concedendus sit, ignoramus; speramus tamen, quoniam nec in illo nobis largitio tua deerit, si voluntas tua fuerit, ut ad illum perveniamus. Scriptum quippe est: *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula (Hebr. xiii)*. Igitur panem nostrum quotidianum da nobis hodie: qui creasti, pasce, qui dedisti initium, praesta nutrimentum. Nam si tu deseris, ad quem respiciemus? Itaque panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

CAP. XII. De quinta petitione contra avaritiam.

Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Haec est quinta petitio, quae contra vitium avaritiae opponitur. Conceperat enim spiritu desiderium indulgendi qui tam fideliter conditionem proponit, dimitte sicut dimittimus. Nos enim parati sumus dimittere; ideo secure conditionem suscipimus. Tu gratia tua jam corda nostra tetigisti, ut indulgentiam diligamus. Idcirco sentimus bonam misericordiam et cupimus adjuvari, ut implere possimus quod probamus. Animus namque de-

siderio virtutis pronus est ad parcendum, et propterea desiderat et affectat cupiens indulgere, ut indulgeatur et sibi. Propterea et pronum se offert ad conditionem, non præsumptione virtutis, sed desiderio bonitatis. Hic enim desiderium orationem movet, in quo virtus indulgentiæ concepta est; et ipso conatu pietatis flagitat, ut adjuvetur ad perfectionem; propterea clamat sicut dimittimus. Nos, inquit, Domine, tua gratia largiente, quod nostrum est offerimus, tu quod tuum est, adjunge; scimus enim quod nullum bonum sine tua cooperatione perficitur, ideo quod jam accepimus, libenter offerimus desiderium, ut tu quem nondum accepimus, sed desideramus, et desiderando oramus, virtutis præstes affectum. Idcirco cum dicimus tibi, nos dimittimus, non jactamus virtutis plenitudinem, sed gratulamur propter desiderii boni inchoationem. Propterea ecce dimittimus, parati sumus dimittere, parati sumus indulgere. Dimittimus ut non repetamus; dimittimus, ut non succenseamus. Tibi enim, Domine, cor loquitur; tibi animus confitetur. Ideo ex corde dimittimus, quia tu gratum non haberes quidquid extrinsecus fieret, si quod lingua dicit, si etiam conscientia non approbaret. Ideo dimittimus debitoribus nostris; dimittimus, ut non requiramus ad vindictam; dimittimus, ut non retineamus ad malitiam. Propterea tu dimitte, sicut dimittimus nos; dimitte, ut non retineas ad odium; dimitte, ut non exigas ad tormentum. Parum est enim nobis non puniri, nisi mereamur et diligere. Idcirco nos etiam inimicos diligimus, qui omnes inimici tui fuimus, quando dileximus iniquitatem, et tuam non custodivimus voluntatem. Propterea, Domine, quia timeamus justam iram tuam, confugimus ad benignam conditionem tuam. Tu enim dixisti: *Dimitte, et dimittetur vobis* (Marc. xi). Ideo, Domine, tenemus te conditione tua, qua te nobis congruente obligare voluisti; quia vitam nostram magis quam mortem dilexisti. Idcirco sponte promisisti (ad quod nullo debito exigebaris) dimissurum te debita nostra, si nos ad repetendos debitores nostros avari non essemus. Propterea, Domine, non viscera misericordiae tuæ affluentia considerantes; non audemus tantam negligere pietatem. Urges enim ex omni parte malitiam nostram, hinc gratuita bonitate, qua indulgentibus spondes veniam, hinc debita indignatione, qua non indulgentibus intonas iram. Propterea, Domine, ecce vincit nos pietas tua, qua dignaris tam benigne tuo juri cedere propter nos. Quid enim est omne quod homo contra hominem facere potest tuæ injuriæ comparatum? nam quid magnum est si malus malum offendit? Ubi vero pietas ipsa læditur, bonitas exacerbatur, hæc major est iniquitas. Propterea peccatum hominis adversus hominem, non omnino peccatum est, quia quod malus unus injuste agit, alter malus juste patitur. Quando autem peccamus in te, Domine, cumulatur iniquitas nostra, quia quod nos facimus ex malitia, tu pateris sine culpa. Idcirco debita nostra adversum te omnino modum

A excedunt, nec comparari potest id, in quo homo ab homine offenditur, culpæ nostræ in qua nostra superbia contra tuam pietatem damnabili præsumptione grassatur. Tamen, Domine, tu gratuita benignitate majora dimittis; ut nos provoces ad dimittendum minora, nec tamen sic immerito. Tu enim magnus es, nos parvi; et idcirco magna operaris, ut excellentem bonitatem quo possumus, æmulemur. Propterea dimittimus debitoribus nostris. Non sumus cupidi ad repetendum, nec avari ad retinendum. Dimittimus debitoribus nostris; dimittimus non solum tibi vindictam, sed illis malitiam. Tibi dimittimus vindictam, ut tamen eos puniamus; illis dimittimus malitiam, ut non odiamus. Propterea igitur dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. B Prius panem nostrum quotidianum da nobis hodie; postea dimitte nobis debita nostra. Prius da panem, postea dimitte debita. Prius refectionem, postea remissionem. Si enim expectas de refectione donec rogari non oporteat de remissione, et differatur cibus quousque desinat morbus, non convalescunt ægroti tui. Idcirco, Domine, quamvis bonum non sit panem filiorum canibus mittere (Matth. xv), tamen quia homines, et jumenta salvas, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus (Psal. xxxv), respice miseros, et refice languidos, ut nutrimento tuo prius convalescamus ad veniam, postea sanati et justificati tua refectione proficiamus ad gloriam. Idcirco iterum nunc panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et postea dimitte nobis debita nostra, ut gratia aspirante accendamus ad dilectionem et per dilectionem renovemur ad remissionem, sicut scriptum est: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. vii). Idcirco prius da panem, da refectionem; infunde dilectionem et indulge remissionem. Da panem quotidianum ut ægrotis, quem sempiternam præbiturus es sanis; modo da, ut sæpe repetatur, postea daturus ut nunquam intermittatur; modo da paulatim ad sustentationem, postea daturus jugiter ad repletionem; modo da ad medicinam, postea ad gloriam. Sic ergo prius panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et post dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

D CAP. XIII. De sexta petitione contra gulam.

Et ne nos inducas in tentationem. Hæc est sexta petitio quæ contra vitium gulæ opponitur. Orat enim, ut non inducatur in tentationem, neque seducatur ab illecebra blandiente, quæ sub velamento necessitatis familiariter accedens, et vicino pulsat mentis constantiam, et blande provocat; irritans in excessum superfluitatis. Nam et idcirco specialiter hæc pestis tentatio appellatur, quia cætera vitia longe a natura sunt humana; et ob hoc quanto minus rationis præferunt, tanto minus tentationis adducunt. Tentare etenim est callide experiri, et quasi blandis quibusdam conatibus præmissis, ante violentam impulsionem probare, quid existimari possit de illo quod dubium est. Ubi ergo indissimulata violen-

tia est; non tam tentatio quam oppressio est, si A
 prævalet, invasio nominatur. Appetitus itaque eden-
 di, quia per insitam necessitatem dominatur, tanto
 efficacius quidquid adducit, ingerit, quanto minus
 repelli potest, etiam tunc, cum propter id quod illi
 reprehensibile inest, probari non potest. Nam et
 quando superflua suadet, quamvis per rationem
 ab excessu cohibeatur, non tamen ab eo quod
 debitum est necessitati, compescitur. Itaque et
 tunc illi ad sustentationem naturæ ex necessitate
 servimus, quando illum per immoderatum deside-
 rii fervorem, metas necessitatis transire velle cog-
 novimus. Propterea quia per debitum necessitati
 obsequium suscipitur, e vicino pulsans cum eo
 quod dulce est infirmitati, blande suggerit etiam
 id quod concessum non est necessitati. Hæc est B
 tentatio, quam falsa ratio nititur comprobare, ut
 quia id quod necessitati debitum est, rationabiliter
 suscipitur, hoc quoque, quod merito superfluitati
 deputandum est non caveatur; itaque tentat vitium
 blande per necessitatem tangens, si forte per ipsam
 necessitatem emollire animum possit ad superflui-
 tatem. Hæc est tentatio secundum proprietatem.
 Cætera vitia dum impugnant, gravare possunt,
 sed quia a natura, faciendi rationem non habent,
 quasi tentare non possunt; propter hoc specialiter
 tentatio nominata est, quia callide persuadet
 quod licitum non est, ad quam quia per naturalem
 necessitatem inevitabiliter acceditur, non rogat,
 quod impossibile est ut ad illam non veniat, sed
 tantummodo, ut in illam non inducatur. Ne nos, C
 inquit, inducas in tentationem. Tu es enim ductor
 noster in via hac, qua currimus ad te, non enim
 pervenimus ad te nisi ducamur a te. Ergo dux
 noster es tu, duc bene, quia veritas es, duc ad
 bonum, quia vita es; si erramus te sequentes,
 reprehenderis tu, qui ducatum præbere debes;
 multa occurrunt in via vitæ hujus, quæ sedacere
 conantur, sed tuum est dirigere, ne seducamur,
 sicut tuum est defendere, ne opprimamur. Vide
 ergo, Domine, ut impleas, quod tuum est. Tu
 ducatum spondidisti currentibus ad te. Duc igitur
 et dirige nos, ne forte error tentationis nostræ hic
 tibi ascribatur, si nos per superfluitatem exce-
 dere permittis in illam, qui necessitate ducis ad
 illam. Idcirco, Domine, ne nos inducas in tenta- D
 tionem; tibi enim imputabimus, si fieri permi-
 seris. Habemus hic aliquid, quod opponamus
 adversum te; si derelinquimur a te. Idcirco hic
 adversus tuam majestatem amplius aliquid præ-
 sumimus, qui sic fecisti nos, ut sine ille vivere
 non possimus, cum quo securi esse non possumus;
 propterea si socias illi, custodi ab illo. Alio-
 quin, Domine, inducis nos tu, si decipimur ab eo
 quod nec repellere possumus propter te, nec ca-
 vere sine te. Si ergo, Domine, inducis nos tu, et
 decens non erit bonitati tuæ, si perditio nostra in
 tuam causationem convertatur, propterea ne nos
 inducas in tentationem, *sed libera nos a malo*.
 Utrumque enim petimus, ut et a futuris custodias,
 quæ cavere non possumus sine te, et a præteritis

liberes, quæ non fecimus per te. Itaque ne nos in-
 ducas in tentationem; sed libera nos a malo.

CAP. XIV. *De septima petitione contra
 luxuriam.*

Libera nos a malo. Hæc est septima petitio, quæ
 contra vitium luxuriæ opponitur, præcedens cra-
 pula, subsequentis libidinis fomes est. Itaque post
 gulam recte contra luxuriam ad orationem con-
 vertimur, libera nos a malo. Nos enim captivi
 tenemur, nec possumus exire a violenta manu vi-
 tiorum et a servitute peccati, nisi tu eripias, libera
 nos. Ecce ad quem finem venit superbia nostra.
 Tu fecisti nos, ut omni creaturæ tuæ dominare-
 mur; tibi soli Domino creaturarum omnium nos
 subjecisti. Venit autem superbia et persuasit nobis,
 ut cervicem erigeremus adversum te; sic recessi-
 mus a te Domine, et ecce soli sine te facti sumus
 servi vitiorum qui servire noluimus Domino om-
 nium; sic ergo, Domine stultitia nostra injuriam
 tuam ulciscitur, nostris miseriis de nobis vindica-
 ris libera ergo nos a malo. Ecce ad te clamamus
 captivi, qui te contempsimus liberi; ecce qualem
 Dominum contempsimus! ecce quali tyranno ser-
 vivimus! Turpitudine captivos nos tenet: ut confun-
 datur præsumptio nostra: libera ergo nos, Domine,
 a malo. Gloria tua est miseria nostra: tales
 facti sumus, qui te Dominum omnium reliquimus.
 Ecce clamamus ad te, quia malis nostris docti
 sumus nihil nos posse sine te. Ideo libera nos
 tu, Domine: qui solus potes, *libera nos a malo*:
 malum est hoc, Domine, et non est sicut cæ-
 tera mala; crudelius persequitur, profundius
 nocet, efficacius lædit: blanditur, ut fallat: le-
 nocinatur ut perimat: mentitur dulcedinem, ut
 amaritudinem infundat. Ideo, Domine, diffici-
 lius vincitur tardius extirpatur: quia nostris
 desideriis adversum nos pugnat, et ad mortem
 blandiente dulcedine ipsam etiam voluntatem
 penetrat, et ut post modum toti naturæ dominetur:
 ipsam (quæ totum regit) rationem violenta quadam
 pestiferæ dilectionis persuasionem inclinat. Propter-
 ea malum est: *libera nos a malo*, ipsum enim,
 bonum se esse mentitur dum delectat: nos autem
 malitiam ejus experti, malum agnoscimus. Idcir-
 co *libera nos a malo*. Si ira est, vexat; si invidia,
 tabefacit, et singula quæque vitia malitiam suam
 non abscondunt: facile enim cognoscuntur no-
 xia: dum sentiuntur amara. Propterea dum hoc,
 vel illud dicitur: intelligatur quod est ipsum ma-
 lum. In se quippe habet unum quodque: unde
 non possit abscondi. Hoc vero non intelligitur:
 nisi eo, quo est ipsum, amplius aliquid dicatur.
 Propterea dicimus, quod malum est: quoniam
 forte non sentiretur, nisi diceretur. Sensus quippe
 in eo fallax experimentum habet, et decipitur in
 se, nisi doceatur extra se: propterea discat ma-
 lum audiendo; qui æstimare forte poterat bonum
 esse sentiendo, libera nos a malo. Scimus jam
 malum esse; idcirco liberari flagitamus; quia ma-
 lum est libera nos. Scientia quippe illuminata est
 ut agnoscat; sed fortitudo nondum roborata, ut

vincat. Quantum ergo dominabatur quando adhuc ignorabatur, quod jam non potest celari, nec potest tamen superari. Audi igitur confitentes, et adjuva impotentiam, *libera nos a malo* (52).

CAP. XV. *De viro prudente, et audiente verbum Dei.*

Omnis, qui audit verba mea, facit ea, assimilabitur viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram (Matth. vii). Vir sapiens, Christus; qui est Dei virtus, et Dei sapientia, qui ædificavit domum suam super petram: quia super semetipsum ædificavit Ecclesiam suam. Sic qui verba Dei audit, et facit ea, ædificat domum suam super petram: quia ædificat super firmitatem fidei, virtutum et honorum operum structuram. Descendit pluvia, id est aeris tempestatis impugnatione: veniunt flumina, id est humana potentia, et persecutio: et flant venti, id est dæmonum et malorum hominum suggestio perversa: et irruunt in domum illam per importunam tentationem, sed illa minime cadit per alicujus pravi consensus deliberationem. Stultus super arenam ædificat quia contemptis cœlestibus, terrenis inhiare non cessat. Veniunt suprascripta mala, et quatitur fabrica ejus per inopinatam tentationem, et cadit per cujuslibet culpæ perpetrationem, et fit ruina ejus magna: quia concussa per tentationem præcipitatur de tentatione in delectationem, de delectatione in deliberationem, de deliberatione in operationem, de operatione in consuetudinem, de consuetudine in desperationem, de desperatione in æternam damnationem. Sunt autem tria genera hominum ædificantium. Sunt, qui amant solum Deum: hi ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos. In amore virtutis, aurum; in cognitione veritatis, argentum; in cooperatione boni operis, lapides pretiosos. Sunt alii, qui amant aliquid præter Deum: tamen nil contra Deum, nec aliquid plusquam Deum. In his fundamentum quidem manet; quia amor Dei non destruitur: sed tamen ex affectu eorum quæ pariter amantur, quia quædam corruptio contrahitur lignum, et fenum, et stipula superædificantur. In ligno, peccatum illiciti operis; in feno, sine opere peccatum pravæ delectationis; in stipula, peccatum illicitæ cogitationis. Sunt alii, qui amant quædam contra Deum: et in his fundamentum omnino destruitur, quia amor Dei esse non potest, ubi non est vel solus, vel summus. Igitur ad primos pertinet salvari et laudari; ad secundos, corripiri et liberari; ad tertios, argui, et damnari.

CAP. XVI. *De leproso mundato.*

Cum descendisset Jesus de monte, secuta sunt eum turbæ, et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. (Matth. viii.) Mons in hoc loco significat sublimitatem divi-

næ majestatis; campestria vero, humilitatem incarnationis. Unigenitus namque Dei ante incarnationem fuit in monte: nostram autem carnem assumens, ad ima descendit: in monte manens in forma Dei, in campestribus apparens in forma servi.

Leprosus, quem Dominus sanavit in planitie campi, genus designat humanum, dispersum per planitiem mundi. Quod vere fuit leprosum: quia non solum originali culpa, verum etiam multis actualibus extitit contaminatum. Erat enim diversis pollutum cultibus idololatriæ: erat fœdatum multis flagitiorum criminibus; Dominus autem leprosum tetigit quando divinitatem suam humanæ fragilitati sociavit; et leprosum mundavit, quando in cruce culpam generis humani moriens expiavit. Leporam tetigit et mundus permansit: quia veram humanitatis formam sumpsit et culpam non contraxit. Leprosus iste est genus humanum, quod, quandiu fuit leprosum, a Deo fuit et a civitate Dei, id est Hierusalem (quæ sursum est mater nostra) separatum et longe remotum. Sed Dominus (sicut supra dictum est) leprosum curavit et civem suæ civitatis fecit. Hoc idem Dominus quoque miraculum per suam gratiam, quotidie facere non dedignatur. Sunt etenim multi intra ambitum sanctæ Ecclesiæ vitiorum lepra fœdi et peccatorum contagio, quasi lepra polluti. Omnes enim immundi fornicarii, concubinari, incestuosi, adulteri, avari, feneratores, falsi testes, perjuri, qui etiam dicunt fratri, fatue, et qui vident mulierem ad concupiscendum eam, et quicumque etsi non opere, tamen mali sunt voluntate: omnes, inquam, tales qui per culpam sunt a Deo separati, a sacerdotibus, legem Dei scientibus et custodientibus, judicantur esse leprosi, et a cœtu fidelium etsi non corporaliter, tamen spiritualiter segregati. Quotiescunque igitur Dominus aliquem hujusmodi impium justificat, recte leprosum mundat. Quandiu autem homo est impius, tandiu est leprosus: quando vero justificatur, tunc mundatur. Quicumque modo est a cœtu sanctorum segregatus per culpam: nisi interim mundetur per gratiam, longius in futuro removebitur per pœnam. Sicut autem per lepram peccata damnabilia, sic per scabiem peccata venialia designantur: sicut est inutilis cogitatio, otiosus aliquando sermo, risus, et hujusmodi. Et notandum, quod nemo propter scabiem de civitate pellitur, nemo a civibus segregandus judicatur: quia et si quando pro nostra fragilitate venialia committimus, nequaquam pro hujusmodi a consortio fidelium separamur: debemus tamen istam scabiem curare: debemus etiam venialia peccata (quamvis nonnullis videantur esse tam levia, ut non censeantur curanda) debemus, inquam, in quantum valemus, et Dominus adjuverit, ea de nobis propulsare. Quodlibet enim peccatum licet hominibus videatur esse minimum: si non displiceat, potest apud justum fieri magnum. Dicit nam-

(52) Hic interserebatur opusculum de septem septenariis, quod inter genuina reposuimus. EDIT.

que sunt ad hanc mundum B. V. T. 1799. Nullum peccatum committit dum loquitur de hunc veniale dum placet. Nostemus autem non solum magna, sed et minima hanc peccata: ne si minima contemnimus peccatum in mortalia lesuamus.

CAP. XVII. De tractatu discipulorum per viam.

Factum est autem, dum per viam iret Jesus per sata: discipuli eius ciperunt perire, et sic per spicas Matth. xii. Insidiosi per sata tractant: dum prelati vobis pia valent alere, erunt, et qualiter quomque ad terram suam pertrahant, sedulo perpendunt: et cum eis ad beatitudinem trahere conuolunt, quasi sicut eorum esuriunt: spicas vellunt, cum mentes audientium, per perorationem in amore tempore hunc diuolunt, spicas faciat cum eis pueri hunc veteris exspoliant: grana manent, cum eis superfluitate, et asperitate purgatis veritati sancte Ecclesie sociant, et eidem incorporant. Et hoc Sabbato faciunt: quia a terrenis verbis presentibus, et Deo vacantes, requiem necessariam et operando querunt, et predicando promittunt: Adhuc per sata ambulant, quia sacra eorum investigant. Esuriunt, dum in eis sententias meliores discere concupiscunt. Spicas vellunt, dum ea in Scripturis, quae sibi utiliora valentur, colligunt. Collectas fricant: dum sub paleis littere repurant grana spiritualis intelligentiae. Grana vero manent: dum per spiritualem intelligentiam, virtutes, et opera roborant. Et hoc Sabbato faciunt: quia vacant, ut videant: quoniam Dominus ipse est Deus. Hoc Dominus sabbati probat, sed stulti defensores Sabbati reprobant: quia solum superficiem littere diligunt: mentis refectionem nesciunt, papam animarum non nocent.

CAP. XVIII. De immundo spiritu exiunte ab homine.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, querens requiem, et non inuenit Matth. xii. Spiritus immundus, diabolus est. Spiritus, per naturam: immundus, per culpam; spiritus, per exultationem: immundus, per iniquitatem. Exit spiritus immundus ab homine: cum per gratiam ab ipso fugatur in baptisate. Exiens ab homine, loca arida requiem querens perambulatur: dum ab aliquo per exorcismum, aut baptismum fugatur, corda quorumlibet fidelium a malitia et humore fluxae cogitationis purgata, ad inhabitandum explorat: sed in locis aridis requiem nisi minime inuenit; quia cor cuiuslibet fidelis animae a homo cogitando, loquendo, operando nunquam quiescit. Tunc dixit: Revertar in domum meam ut videam exivi: et venit, et inuenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Vacantem, id est a homo opere cessantem; scopis mundatam, id est in exorcismo, et aqua baptismi a vitis purgatam; ornatam, id est simulatis virtutibus palliatam. Tunc vadit, et assumit alios septem spiritus, et ingressi habitant ibi. Septem spiri-

bus, demonem significant universitatem: qui per septem vicia principalia iniquos inhabitant, et eos trahunt ad damnationem. Immundus autem spiritus cum septem nequioribus se spiritibus, domum suam vacantem scopis mundatam, et ornatam revertens inhabitat: dum diabolus cum universitate vitorum, animam baptisatam quondam suam a malo opere otiosam, simulatis virtutibus palliatam, per culpam iterum intrat. Qui ingreditur bene cum spiritibus nequioribus se: dum animam per baptismum sibi aliam, et per culpam recuperatam, deperdit quam ante baptismum retentare, et in vitiis seuerius sedare conatur. Et sunt necessarii animae hunc perire prioribus: quia per contemptum gratiae, quam de se male vivendo perdidit, deterora supplicia meretur.

CAP. XIX. De forti et vasis ejus.

Nemo potest vasis fortis ingressus domum ejus de pere, nisi prius fortem alliget Matth. xii. Fortis, est diabolus: fortior superveniens, Christus: domus fortis, mundas vasa, homines; fortis alligatio, diabolus refrenatio, ne tentet nos ultra vires nostras. Duregio vasorum, conversio hominum ad fidem venientium. Fortior fortem, domum ejus intrans, alligavit, et vasa illius diripuit: cum Christus per carnem in mundum veniens, et diabolum a sententia tentationum cohibens, homines a diabolo possessos ad fidem suam converterit.

CAP. XX. De seminatore et semine.

Exiit qui seminavit seminare semen suum Matth. xiii. Semen est verbum Dei; sator, Christus: ager, mundus: via, est cor frequenti malarum cogitationum transitu attritum, et arefactum, ne verbi semen possit excipere vel germinare. Volucres, a qui us semen rapiunt demones sunt, per quos verbum, ne fructificet, auferitur. Qui ideo volucres erit dicitur, quia celestis et spiritualis sunt naturae, vel quia per aera discurrent. Petra est indomitum cor, et durum, nullo vomere verae fidei penetratum: in quo non est verus amor, aut perseverantia virtutis. Spinæ, sunt divitiæ, quae per multas curas cor lacerant, et semen verbi suffocant. Terra bona, cor mite et docile; quod vere fructum facit: cum in ipso perfecta bonorum operum plenitudo crescit. Fructus seminis, justificatio est hominis.

CAP. XXI. De inimico, qui superseminavit zizania.

Simile est regnum caelorum homini, qui semen bonum seminavit in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania Matth. xiii. In his verbis Dominicis, quae caeteris facilia sunt et magis manifesta, non multum morandum esse, sed succincte esse transeundum, decernimus. Homo iste, qui bonum semen seminavit, Christus est; ager, mundus; semen, verbum Dei. Inimicus, diabolus; zizania, haereticorum dogmata, sive quaelibet peccata. Cum autem dormiren

homines, venit inimicus et superseminavit zizania. Dormitio hominum, mortem significat apostolorum, sive torporem praelatorum. Post mortem nimirum apostolorum, emergerunt hæretici; qui diabolo cooperante dogma pravum sparserunt per agrum mundi. Dormientibus quoque per torporem praelatis, surgunt dæmones, surgunt et perversi homines, et super honorum corda jaciunt semina malorum cogitationum vel suggestionum. Super alios seminant luxuriam; super alios avaritiam, et diversa peccatorum semina diversis injiciunt, Et ex malis seminibus, id est ex malis suggestionibus: crescunt malæ segetes, id est mali homines. *Vis, inquiunt servi, eamus et colligamus ea? Et ait: Non ne forte colligentes zizania, eradicetis et triticum;* spirituales viri videntes hæreticos, sive perversos quoque in agro Dominico germinasse et crevisse; si scirent apud Deum esse beneplacitum, vellent eos auferre de medio justorum, eo quod justis in quibusdam obesse videantur. Sed consulta divina justitia, an hoc facere debeant, et an Deus hoc velit, et an hoc sit officium hominum malos auferre de terra; animadvertunt non esse hominem in hac vita quales futuri sint, qui modo mali sunt, et quid error eorum bonis conferat; et ideo non esse tollendos ne boni interficiantur, quod forte futuri illi sunt, vel ne boni ablatio eorum obsit, quibus prosunt. Tunc vero animadvertunt opportune malos auferri, cum jam non est tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi aliis, et ita per angelos, non per homines eos auferendos esse. In tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania et alligate ea per fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Tempus messis est dies resurrectionis, quando messorum angeli ligabunt fasciculos de malis ad comburendum, ligantes immundos, cum immundis, avaros cum avaris; et sic impios cum suis similibus, ut qui socii fuerunt in culpa, simul torqueantur in pœna. Triticum autem colligent in horreum, quia distribuent bonis beatas mansionum cœlestium sedes.

CAP. XXII. *De grano sinapis.*

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo (Matth. xiii). Homo iste significat Deum; ager, mundum; granum sinapis, fidem quæ modica videtur propter scandalum crucis; sed fervida est propter calorem dilectionis. Istud granum, id est fides catholica fit arbor magna, et habet stipitem per spem et ramos exaltatos per dilectionem Dei, et dilatatos per charitatem proximi; habitant in ramis ejus volucres cœli, scilicet sancti, qui pennis virtutum volant ad præmia cœlestium bonorum. Sic et electus quisque granum sinapis seminat in agro, dum prædicationem divinam propter scandalum crucis reprobis minimam recondit in corde suo. Quæ crescit in arborem magnam, dum robur accipit per exercitationem virtutis, et ramos per multiplicationem boni operis in cujus ramis volucres cœli

A habitationem, recte constituunt, dum sensus spirituales in ipsa per bonæ conscientie sublimitatem requirunt.

CAP. XXIII. *De fermento abscondito in tribus satis farinæ.*

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ tribus satis, donec totum esset fermentatum (Matth. xiii). Superius de fide, hic agit de charitate. Mulier, significat sapientiam divinam; fermentum, charitatem; farina, corda; tria sata, tria genera hominum; homines naturalis legis, legis scriptæ homines, et homines gratiæ. Mulier ergo fermentum in tribus satis farinæ abscondit, donec fermentetur totum, quia sapientia divina intra corda trium generum hominum charitatem recondit; totum autem fermentabitur, dum numerus electorum in fine sæculi complebitur. Aliquando fermentum significat bonum, aliquando malum. Bonum, ut in hoc loco: simile est regnum cœlorum fermento; malum, ut *expurgate vetus fermentum (I Cor. v).* Possumus per muliorem istam, accipere animam; per tria sata tres virtutes animæ, rationem, iram, concupiscentiam; per farinam, cogitationem; per fermentum sicut supra, charitatem. Mulier itaque fermentum in tribus satis farinæ, donec totum fermentetur, abscondit, dum quælibet fidelis anima fervorem charitatis in cogitatione trium naturalium virtutum reponit. Totum ergo fermentatur, dum virtutum trium triplex cogitatio in saporem, et fervorem charitatis convertitur; et possidemus per rationem, discretionem bonorum et malorum; per iram, odium vitiorum; per concupiscentiam, amorem virtutum.

CAP. XXIV. *De thesauro abscondito in agro.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo adscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum (Matth. xiii). Ager est Scriptura; thesaurus, cognitio divina; inventio thesauri, revelatio boni; absconditio thesauri, occultatio boni a notitia diaboli et ab appetitu favoris humani. Omnia autem vendit et agrum emit, quisquis sacræ Scripturæ causa, et veræ cognitionis, et dilectionis divinæ, quæ in ea continetur, cætera omnia, quæ illi sunt contraria et aliena, derelinquit.

CAP. XXV. *De homine negotiatore quærente bonas margaritas.*

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam (Matth. xiii). Bonæ margaritæ, lex et prophetæ; una pretiosa, Salvatoris scientia: omnia vero vendit et istam emit, qui, sicut Paulus, veteribus observationibus renuntiat, ut Christum lucrifaciat. Item omnia vendit et pretiosam margaritam emit, qui pro amore cœlestium terrena contemnit.

CAP. XXVI. *De sagena missa in mare.*

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes

elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt (Matth. XIII). Sagena ista, prædicatio est evangelica, quæ in mare, id est in fluctuationem et amaritudinem præsentis sæculi demissa congregat multitudinem piscium, id est ex omni genere hominum, trahit ad littus maris, id est ad finem præsentis sæculi. Impletio sagenæ consummatio prædicationis evangelicæ. Congregat ex omni genere hominum, quia ex Judæis, quibus prædicavit Christus; et ex Romanis, quibus prædicaverunt Petrus et Paulus; et ex Indis, quibus Thomas; et ex Persis, quibus prædicaverunt Simon et Judas; et ex hominibus minoris Indiæ, quibus Bartholomæus; ex Syriis quibus Philippus; ex Asianis, quibus prædicavit Joannes; ex Achaicis, quibus Andreas; ex Æthiopicis, quibus Matthæus; et ex Alexandrinis, quibus Marcus, et sic ex aliis nationibus, ad quos sive per apostolos, sive per apostolorum discipulos et successores pervenit sonus prædicationis. *In omnem enim terram exivit sonus eorum* (Psal. XVIII). In eo namque quod prædicatio Evangelica ex omnibus nationibus assumit: ex omni genere piscium trahit.

Aliter. Congregat ex omni genere piscium, quia congregat ex omni genere peccatorum. Congregat immundos peccatores, fornicatores, adulteros, incestuosos, feneratoros, et ex omnibus aliis qui minoribus vel majoribus peccatis sunt a Deo divisi et per multas iniquitates dispersi. Et ex omnibus congregat et congregatos justificat; et neminem expellit, qui, ipsa audita, eam intrare voluerit. Continet autem sagena ista pisces multos ut diversos bonos et malos; sed interim dum sagena ad littus trahitur, isti in illos frequenter commutantur. Boni etenim nonnunquam mali fiunt per culpam, et mali aliquando boni fiunt per gratiam, et nondum potest judicari, qui in vasa sint eligendi, qui foras projiciendi, cum ad littus, id est ad finem sæculi ventum fuerit; tunc judicium verum discernendorum bonorum et malorum patebit, quia angeli eligent bonos in vasa, id est in æterna tabernacula, et malos foras mittent in æterna tormenta. Omnes autem, qui fidem Christianam recepturi non sunt, extra sagenam istam sunt, sicut Judæi et pagani. Et tales jam judicati sunt, non solum judicio secundum præscientiam, et judicio secundum causam, sed etiam judicio secundum operationem, deinceps judicandi judicio secundum retributionem. Est autem judicium secundum præscientiam, quo judicati sumus antequam essemus. Judicium secundum causam, quod judicamur ex quo boni et mali sumus. Judicium secundum operationem, quod judicamur per manifestam actionem esse boni et mali qui prius secundum causam eramus occulti. Judicium secundum retributionem est, quod recipimus in premio secundum quod fuimus et fecimus in merito. Ex his quatuor, judiciis, duo sunt occulta, duo manifesta. Occulta, judicium secundum præscientiam et judicium secundum causam. Manifesta, judicium secundum retributionem et judicium secundum operationem,

A Duo quoque pertinent ad Deum: judicium videlicet secundum præscientiam et judicium secundum retributionem. Duo ad hominem: judicium secundum causam et judicium secundum operationem. Sed qui fidem Christianam prorsus respuunt, jam tribus præcedentibus judiciis, videlicet judicio secundum præscientiam, judicio secundum causam et judicio secundum operationem sunt judicati; judicio autem secundum retributionem judicandi.

CAP. XXVII. *De Chananæa, et filia ejus sanata.*

Secessit Jesus in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamabat dicens: Miserere mei, Domine, fili David (Matth. XV). Mulier gentilis, sed fide ad Dominum veniens, gentium designat Ecclesiam; quæ rogat pro filia dæmoniaca, id est pro gente sua nondum salvata, ut diaboli fraudibus absoluta, veræ divinitati serviat liberata. Fines Tyri, et Sidonis, in quibus mulier Dominum rogat, duorum populorum Judæorum et gentium ad Christum conversorum, fidem unanimem designant. Sed mulier ista secundum Matthæum bene de finibus Tyri egressa, secundum Marcum domum ingressa, ad Deum atque ad pedes ejus procidisse dicitur ut ex utroque colligatur; quod soli fideliter et recte pro errantibus orant, qui priscas perfidiæ suæ mansiones relinquunt, et in domum Domini, id est in Ecclesiam humili ac pia sese devotione transferunt. *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Mensa, est Scriptura: panis, scientia; filii, Judæi; canes, gentiles: quasi diceret: Non est bonum, ut beneficium miraculorum quod convenit populo Judæorum, qui habent cognitionem Dei impendatur filiæ tuæ gentili, quæ non habet notitiam Dei, sed mulier gentilis: per responsum humilitatis meruit filiæ suæ beneficium sanitatis.

CAP. XXVIII. *De lunatico a dæmone liberato.*

Accessit ad Jesum homo, genibus provolutus ante eum dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur (Matth. XVII). Lunaticus est, qui per horarum momenta de vitiis ad vitia mutatur, nec perstat in cœpto, sed decrescit a bono, et crescit in malo, et nunc in ignem libidinis vel iræ fertur; nunc in aquam fluctuantis cupiditatis præcipitatur. Marcus de isto sic ait: *Et cum vidisset illum statim spiritus turbavit eum et elisus in terram volutabatur spumans* (Marc. IX). Dum puer ad Dominum accedit eliditur; quia conversi, ad Dominum plerumque a dæmonio gravius pulsantur, ut vel ad vitia reducantur, vel de sua expulsionem se vindicet diabolus. Sicut in principio nascentis Ecclesiæ, multa et gravia opposuit certamina illis quos suo regno subtrahi videbat.

CAP. XXIX. *De rege, qui posuit rationem cum servis suis.*

Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis (Matth. XVIII). Homo iste est Deus, qui habet servos, id est homines, qui ad imaginem et similitudinem illius conditi, ei debent famulari, Positio rationis; distributio est divini exa-

minis ; debitum, peccatum ; debitores, peccatores. Quanto quisque plus peccavit tanto amplius debet, Et qui minus peccavit minus debet. Servus, qui debebat decem millia talenta, est ille qui transgressus est decem legalia præcepta, qui non habet unde reddat, quia non habet a semetipso unde justus fiat, et præcepta legis impleat. Dominus autem eum, et uxorem ejus, et filios vœnundari præcepit, cum omnibus quæ habet, cum eum pro iniqua voluntate sua et nefandis operibus, cum omnibus adinventionibus suis pœnas solvere jubet. Quod præcavens aliquando debitor, id est peccator, procedit per humiliationem et rogat per supplicem orationem, ut habeatur erga se patientia per divinam miserationem, et spondet, quod omnia reddet per pœnitentiæ satisfactionem. In quo facto Dominus dimittit ei debitum, quia dimittit ei peccatum. Sed iste, cui Dominus mittit tantum debitum conservum pro centum denariis in carcerem retrudit ; dum alium, qui verbo vel facto ipsum leviter offendit, penitus ab omni miseratione repellit. Unde juste iratus Dominus tradit eum tortoribus, donec reddat universum debitum ; quia pœnas æternas, quas prius pro transgressione legis meruerat, eum subire compellit. *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quidam dimittere nolunt omnino, quia et malitiam servant in corde, et vindictam dum possunt exercent in opere. Alii, etsi remittunt quantum ad vindictam, reservant tamen conceptum odium quantum ad malitiam. Sed quisquis sibi a Domino dimitti desiderat, oportet ut utroque modo fratri remittat, ut nec opere exercent vindictam, nec corde reservet malitiam.

CAP. XXX. *De operariis in vinea.*

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam (Matth. xx). Homo patrifamilias, est Deus ; vinea, Ecclesia ; operarii, prælati ; horæ diei, ætas sæculi. Conductio operariorum, constitutio prælatorum vel emissio prædicatorum ; serum diei, finis sæculi ; merces denarii, retributio regni cœlestis. Item patrifamilias, est Deus : vinea, anima ; operarii, nostri sensus ; instantia operis, exercitium virtutis ; horæ diei ætates hominis ; vesper, finis vitæ. Retributio, æterna beatitudo. De hujus vineæ cultoribus et retributione quidam versificator ait. Vineam culta fuit, cultores præmia quæserunt. Non labor æqualis, æqualia dona fuerunt. Qui venit extremus dispensatore vocante, tantumdem recipit, quantum qui venerat ante. Sic Deus ostendit, si quandoque velimus, aggrediamur opus, certi de munere simus.

CAP. XXXI. *De filio, qui vineam intrare recusavit.*

Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit : Fili, vade hodie operare in vineam meam. Ille autem respondens ait, Nolo : postea autem pœnitentia ductus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine ; et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? (Matth. xxi). Filius qui vineam patris sui intrare

A recusavit, gentilis populus est, qui primum servire Deo contempsit ; filius autem, qui intrare se spondit, est populus Judaicus, qui Deo primum servitium suum vovit. Sed qui prius renuit, postea intravit ; quia populus gentilis pœnitentia ductus, prædicantibus apostolis, servitio Dei colla submitit. Et prior filius, quod spondit non implevit, quia populus Judaicus in servitio Dei non permansit.

CAP. XXXII. *De rege, qui fecit nuptias filio suo.*

Simile factum est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias et nolabant venire (Matth. xxii). Regnum cœlorum est præsens Ecclesia, quæ est justorum congregatio. Rex, est Deus Pater qui omnia regit. Nuptiæ filii, incarnatio Verbi. Invitati, Judæi. Servi propter invitatos missi, prophetæ et apostoli. *Tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata : venite ad nuptias.* Tauri, sunt patres et bellatores Veteris Testamenti, qui cornibus concessæ sibi potestatis, hostes fugabant de finibus suis. Altilia, sunt Novi Testamenti præcones, spiritualis gratiæ plenitudine pingues, pennis contemplationis superna gaudia petentes. Occisa, vel ab eo quod fuerant vel per mortem carnis in requie posita. Tauri et altilia ; quia et prius prophetæ, et post apostoli ab infidelibus passi sunt, qui nobis modo sunt in exemplum quid nobis credendum. *Illi autem negligentes abierunt ; alius in villam suam ; alius in negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt servos ejus et contumeliis affectos occiderunt.* Illi qui ad nuptias venire noluerunt, significant eos qui ex Judæis in Christum credere noluerunt, vel contempserunt. Quorum alii in villam abierunt, dum intendunt operationi terrenæ ; alii in negotiationem suam, dum student avaritiæ. Illi vero, qui servos regis occiderunt ; illos ex Judæis figurant, qui prophetas et apostolos et alios prædicatores sunt persecuti. *Rex autem cum vidisset occisionem servorum suorum, iratus est, et missis exercitibus suis Romanis scilicet Tito et Vespasiano, perdidit homicidas illos, id est Judæos, et civitatem eorum scilicet Hierusalem succendit. Ite ad exitus viarum.* Exitus viarum sunt errores gentium ; qui sunt extra fidem, spem, charitatem, quæ sunt viæ ad patriam ducentes. *Et quoscunque inveneritis, id est cujuscunque conditionis, vocate per prædicationem, ad nuptias, id est ad Dominicæ incarnationis fidem. Et egressi servi, id est apostoli de Judæa in vias, id est gentium sectas, congregaverunt in unitatem credulitatis malos, id est falsos Christianos, et bonos, id est electos ; et impletæ sunt nuptiæ discumbentium, id est intraverunt catholicæ fidei professionem, quotquot erant vocati per prædicationem. Intravit autem rex, ut videret discumbentes.* Rex nuptias intrat, ut discumbentes videat ; quando Deus in præsentem conscientias eorum, qui Christiano nomine censentur illustrat, et quid unusquisque faciat, subtiliter pensat et dijudicat : *Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Vestis nuptialis, opus charitatis. Quam vestem qui non habet, *ligatis manibus et pedibus, id est ablata*

penitus potestate bene operandi, projicitur *in tenebras exteriores*, quæ sunt infernales obscuritates. Et quid ibi sustinebit, qui hic bene vivere contempsit, addit dicens: *Ibi erit fletus*, scilicet oculorum in vanitate mundi modo vagantium, *et stridor dentium*, in edacitate modo gaudentium. *Multi sunt vocati* per prædicationem; *sed pauci electi* ad regnum per bonæ vitæ sanctitatem

CAP. XXXIII. *De die judicii.*

Sicut factum est in diebus Noe, ita erit in die Filii hominis: Edebant, et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes (Matth. xxiv; Luc. xvii). Noe arcam ædificat, cum Dominus fideles in Ecclesiam congregat, quam consummatam ingrediatur cum hanc in die judicii præsentia sua illustrabit. Sed dum ædificatur arca, iniqui luxuriantur; et dum intratur, æterna damnatione plectuntur. *Similiter factum est in diebus Lot: Edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant. Qua die autem exiit Lot e Sodomis, pluit Deus ignem, et sulphur de cælo, et perdidit omnes. Lot, qui interpretatur declinans, est populus electorum, qui dum in Sodomis, id est inter reprobos, ut advena, moratur, quantum valet scelera eorum declinat. Exeunte Lot Sodoma periit, quia in consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis* (Matth. xiii).

CAP. XXXIV. *De decem virginibus.*

Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ (Matth. xxv). Decem virginibus, sunt universi credentes, bona opera exhibentes; lampades opera; oleum, gratia sive bona conscientia. Quinque fatuæ virginibus, significant illos, qui in bonis quæ faciunt, non bonam conscientiam, sed laudem humanam quærent. Sapientes virginibus, sunt qui in bonis quæ faciunt non quærent laudem humanam, sed conscientiam bonam. Mora sponsi, dilatio judicii, dormitio virginibus, mors hominibus, medium noctis, insperatus eventus resurrectionis; clamor advenientis sponsi, tuba evangelica in die judicii; præparatio lampadum, recordatio et numeratio operum. Sed lampades fatuarum extinguuntur, quia in adventu judicii intus obscurantur, et non habent mercedem, quia receperunt laudem. *Date nobis de oleo vestro*, id est testimonium dicite de operibus nostris. *Ite potius ad vendentes: non dant consilium, sed ex obliquo commemorant crimen earum: ite ad vendentes, id est modo videbitis quid vos adjuvent, qui vobis laudes vendere consueverunt. Venditores, sunt adulatores qui dant laudem, ut accipiant aliquam mercedem. Sed virginibus fatuis, tarde bonam conscientiam quærentibus, intrant sapientes cum sponso ad nuptias; quia, reprobis ejectis ad damnationem, electi cum Christo intrabunt ad beatitudinem. *Et clausa est janua*, id est aditus regni cælorum. *Domine, Domine, aperi nobis*. Post seram pœnitentiam, post*

A infructuosas lacrymas, frustra pulsant foris relictæ. *Amen dico vobis, nescio vos*. Quasi dicat: Ideo vos desero, quia per vitæ meritum non agnosco. Ecce quanta severitas post judicium ejus, cujus est ante ineffabilis misericordia. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*. Ecce quo tendit parabola. Ad hoc namque tendit, ut ad futura oculos cordis aperiamus; mala evadamus deserendo culpam, bona promereamus sectando justitiam.

CAP. XXXV. *De homine, qui tradidit servis suis bona sua.*

Homo quidam perægre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua (Matth. xxv). Homo iste, Christus; servi, Christiani; profectio, ascensio; bona, sunt dona; quinque talenta, exterior scientia, quinque sensibus acquisita; duo talenta, intellectus et bona operatio, unum talentum, intellectus tantum; multiplicatio talentorum, exercitatio virtutum et exhibitio bonorum operum ad justificationem propriam et ad utilitatem alienam. Servus, qui pecuniam Domini sui in terram abscondit, falsos significat Christianos, qui acceperunt ingenium: et in rebus terrenis et transitoriis expendunt, altioris vitæ vias arripere metuunt, acceptam divinitus sapientiam, vel scientiam prædicando multiplicare parvipendunt, erubescunt vel contemnunt. *Meto quod non seminavi, et congrego ubi non sparsi*. Quasi diceret: Non solum ab illis, quibus gratiam operandi et prædicandi tribui, fructum operationis et prædicationis requiro; sed et illos, quibus nil gratiæ tribui, pro infructuositate et sterilitate condemno. *Serve male et piger; serve, quia mihi servire debuisses operando, et prædicando; male, malum faciendo; piger, a bono cessando. Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et ego veniens, quod meum est, recepissem cum usura*. Nummularii, sunt qui, audita prædicatione, facto et verbo quæ audierunt multiplicare satagunt; ac si diceret. Accepta gratia mea, bonæ operationi et prædicationi intendere debuisses. Quod si fecisses, non solum te, sed et alios multos, exemplo tuo, et verbo mihi lucrificasses. Sed quia per pigritiam tuam qua a bono cessasti, et per malitiam tuam qua malum fecisti, damnum mihi non solum justificationis tuæ, sed et alienæ intulisti; ideo de malitia et pigritia tua te juste arguo et condemno. *Tollite ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit, etc.* Habenti meritum, dabitur præmium. Dabitur, quantum ad remunerationem; abundabit, quantum ad beatitudinem. *Ei autem, qui non habet, etiam id, quod habere videtur, auferetur ab eo*. Quia falsus quisque Christianus in damnatione nec nomen Christianitatis permittetur habere. Et, sicut nunc nudus est a sacramentorum interiori veritate, sic tunc foris nudabitur exteriori obumbratione. Provideat itaque sibi humana conscientia nunc in tempore, ut postmodum de præmio gaudeat in æternitate. Sic talentum doni cælestis expendat, ut non damnationem, sed salvationem in

fine recipiat. Nemo dicat: Sufficit mihi ipsi attendere, mihi soli providere, de me redditurus sum rationem, nolo salutem alterius quærens, periclitari; non sum eruditus in Scripturis, nec expeditus in verbis; modicum scio, nunquam pro tantillo si non prædicetur Deus quemquam accusabit, vel damnabit. Quot etenim hominibus quisque, quantum ad se pertinet, prodesse potest verbo, de tot Deo damnatum fecit ex silentio et de tot non iniuste redditurus est rationem in iudicio. Qui igitur multa novit, multa dicat; et qui pauca novit, pauca dicat; et quantum quisque novit, tantum dicat: qui scit vel unum Evangelium, vel unum virtutis exemplum, quidquid acceperit per cognitionem, aliis tribuat per prædicationem. Non consideret sexum, ætatem, personam, tempus, locum; sed prædicet omnibus, semper, ubique, masculis, feminis, senibus, juvenibus, divitibus, pauperibus, in prosperitate, in adversitate, die, nocte, mane, meridie, vespere, in Ecclesia, in platea, in via, in agro, in terra, in mari, in omnibus semper ubique bonum, quod novit dicat, si adsit, qui audire possit. Sunt namque multi, qui his in omnibus spectabiliora considerant semper, et his oppositis prædicare recusant, quasi Dominus Deus altiora prospiceret, et inferiora non curaret, cum nonnunquam quæ hominibus videntur infima, apud Deum habeantur summa. Sunt etiam qui numerosiori populo prædicant, paucis vero loqui non curant, et

qui majori culpa apud Deum se obligant, quia verbum Dei, sive præ pudore, sive præ superbia, et pompa divitiarum penitus referre recusant. Qui igitur talentum cogniti boni prædicando expendit, largitori talenti lucrum facit, et si non in alio, tamen in semetipso; quia, quamvis ille qui audit malum non derelinquat, bonumque non faciat, ille tamen in eo quod loquitur animam suam liberat, et audientem ignorantia non excusat, et ideo illum divina sententia, justius damnat. Nemo autem est, qui se possit ab hac talenti erogatione excusare quia nemo est qui non valeat ad meliora aliquem verbo suo provocare. Quod autem multi, qui ad ministerium prædicationis signati sunt, et ejusdem ministerii sumptus sumunt, et de eis delicate vivunt et luxuriose, quod, inquam, divinas Scripturas nesciunt, de torpore et ignavia sive contemptu arguendi sunt; quia, cum Ecclesiæ, bibliothecis, homiliariis, expositionibus, tractatibus repletæ sint, ipsi lectioni vel meditationi Scripturarum studium nullum impendunt. Erubescant ergo quarundam Ecclesiarum ministri inutiles, inscii et ignari torporem excutiant, libros legant, talentum expendant, redimant tempus quoniam dies mali sunt. Omnibus denique modis quibus possumus nos ipsos emendare, vel alios adjuvare, debemus talentum Dominicum erogare et erogando multiplicare, utpote de quo in stricto iudicio reddituri sumus rationem.

LIBER TERTIUS.

IN MARCUM.

CAP. I. De homine habente manum aridam.

Intravit Jesus in Synagogam; et erat ibi homo manum habens aridam, cui ait: *Extende manum tuam* (Marc. iii). Homo iste designat genus humanum per culpam originalem ab omni actione bona impeditum. Cujus manum Dominus sanavit, dum ei gratiam bene operandi tribuit. Quasi enim manum aridam extendit, dum amissum boni operis munus accepit. Aliter. Homo iste significat avaros qui, nolentes dare, volunt accipere. Quibus dicitur, ut extendant manum, ut *qui furatur, jam non furetur* (Ephes. iv); magis autem laboret operando, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

CAP. II. De dæmoniaco possesso a legione.

Exeunte Jesu de navi occurrit de monumentis homo in spiritu immundo: qui domicilium habebat in monumentis (Marc v). Dæmoniaco iste, quem legio possidebat, populum gentium ab universitate dæmonum diu possessum designat. Populus namque gentilis ab omnibus possessus dæmonibus tandiu tenebatur, quandiu per multiplicem idololatriæ cultum, omnibus famulabatur. Gentiles etenim, sicut

C ait Apostolus, *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium, quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula, Amen* (Rom. i). Catenæ vel compedes, quibus ligabatur, quasque frangebatur, naturalis legis præcepta sive gentilium legum decreta, quibus a malo refrinari debuerant, significant. Sed catenas, et compedes dæmoniaco ligatus frangebatur; quia gentilis populus, quanto amplius his aut illis præceptis ligabatur per malorum prohibitionem, tanto furiosius ea rumpebat per transgressionem. Et habitabat in monumentis, quia conversabatur in mortuis et fetidis operibus. De hac ruptione catenarum, et compedium hoc modo Paulus intulit, dicens: *Femine eorum mutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu femine exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem (quam oportuit) erroris sui, in semetipsis recipientes. Et, sicut non*

This is also in 177, ch. 954 AP

probaverunt Deum habere in notitia, sic tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurriones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione absque fœdere, sine misericordia (Rom. 1). Ecce quomodo legio possidebat hominem, quomodo catenas et compedes rumpebat, quomodo in monumentis habitabat. Qui bene nocte et die in monumentis et montibus clamasse, et lapidibus se conscidisse dicitur; quia et in adversis et prosperis, populus gentium in fœda actione impudenter se esse propalabat, et lapideorum deorum cultura semetipsum lacerabat. Grex porcorum, qui juxta montem pascebatur, et quem legio ab homine pulsa intravit, et in mare præcipitavit, multitudinem infidelium et quorumlibet immundorum exprimit hominum, qui recte juxta montem pascuntur, dum per superbiam elati, similitudine porcorum ad ima curvi superna nesciunt, et solis transitoriis bestialiter se immergunt; et dum se inquinamento carnis aut spiritus polluant, more porcorum in luto pastum quærunt. Heu quam multiplex est grex iste porcorum, hominum scilicet turpiter et bestialiter viventium, et porcos qui in infimis totum bonum suum quærunt, imitantium! Ut enim de Judæis et paganis taceamus, quis numerare posset multitudinem falsorum Christianorum qui, quamvis baptismum perceperint, spiritui gratiæ tamen contumeliam facientes male vivendo eum de semetipsis expulerunt, et se horrendis sceleribus polluerunt? Qui tamen duo millia figuraliter esse dici possunt: duo, quia diversi a bono; millia, quia perfecti sunt in malo. Legio ergo ab homine pulsa, porcos ingreditur, quia dæmones ab illis, qui ad vitam æternam prædestinati sunt, per gratiam Redemptoris fugati, malis male viventibus et terrenis intendentibus dominantur. Quod tamen non faciunt, nisi Jesus concedat; quia nec malos tentare præsumunt, nisi potentia divina permittat. Grex vero porcorum a legione in mare præcipitatur, dum per dæmones malorum universitatis ad infernalem amaritudinem perducitur. *Viderunt homines civitatis illius à legione liberatum, sedere ad pedes Jesu, vestitum et sanæ mentis, et timuerunt.* Sessio ad pedes Domini significat humilitatem et honorum operum imitationem. Vestitus, bonam actionem; sanitas mentis, justificationem. *Et rogaverunt Jesum, ut discederet a finibus eorum.* Sicut Petrus fragilitatis suæ memor ait: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (Luc. v).* Et sic adhuc isti infirmi timuerunt eum, et ut a finibus suis discederet, rogaverunt. *Ait Jesus liberato: Vade in domum tuam ad tuos, et nuntia illis quanta Dominus tibi fecerit, et misertus sit tui.* Hoc exemplo docetur quisque suis primo salutem sibi factam prædicare, et eos ad eandem salutem percipiendam provocare, quia et ipse eis propter carnis

A cognationem debitor magis tenetur, et illi forsitan citius quam alieno credent. Sed quam multi intra ambitum Ecclesiæ continentur, qui hoc exemplum minime sequuntur, quia multi sunt, qui de suis parentibus inquirunt, an corpore sint sani, an habeant victum sive vestitum, domos, agros, equos, greges, armenta, aurum, argentum, pacem temporalem an gratiam potentum, et divitum possideant, et sic de his quæ ad corpora pertinent circa amicos suos solliciti sunt; de his vero, quæ ad salutem animarum pertinent, sollicitudinem nullam gerunt! Timendum est autem, ne tales ad antiqua vitia relapsi sint, et quod ipsi salute jam careant, quam nec suis prædicare curant. Qui namque spirituales sunt, ea quæ sunt spiritus, quærunt: de suis diligenter inquirunt, an sint a vitis puri, a peccatis liberi, virtutibus ditati, bonis operibus pleni, an pacem Dei habeant cum omnibus (*Galat. vi*); an bonum ad omnes operantur, maxime ad domesticos fidei. Isti enim, liberatum istum imitantur, qui ad vocem Domini salutem in se factam aliis studuit nuntiare et per Decapolim prædicare: Decapolis, quæ est regio decem civitatum, sanctam Ecclesiam significat, quæ Decalogum legis servat. Et in Decapoli salutem sibi factam prædicat, qui sanctæ Ecclesiæ fidelibus, a diabolo se liberatum esse verbis et operibus bonis demonstrat. Studeamus et nos si nondum liberati sumus, a diabolo liberari. Et si jam nos liberatos esse cognoscimus, salutem aliis prædicemus, quam obtinuisse nos gaudemus, memores quod scriptum: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum dispergit (Luc. xi).* Et iterum: *Qui audit, dicat: Veni (Apoc. xii).*

CAP. III. De discipulis requiescentibus in deserto.

Dixit Jesus discipulis suis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum (Marc. vi). Duæ sunt vitæ: activa et contemplativa. Activa, est in labore; contemplativa, in requie. Activa in publico, contemplativa in deserto. Activa in necessitate proximi, contemplativa in visione Dei. Monemur itaque in his Dominicis verbis, ut aliquando ab actione quiescamus, et ad secretum contemplationis transeamus. Quæ contemplatio recte desertum dicitur, quia a multis deseritur et a paucis inhabitatur. In qua requiescimus pusillum, cum pro nostra fragilitate divinæ visioni diu non valeamus inhærere, nec pro necessitate proximi, curam illius diu prætermittere. Erant enim qui veniebant et redibant multi, nec spatium manducandi habebant. Sic nostris diebus multi veniunt, multi redeunt. Multi veniunt per credulitatem, sed multi redeunt per iniquitatem. Venit latro, recessit Judas. Et spatium non habemus manducandi; dum vel bonis vel malis per prædicationem, vel per quodlibet ministerium intenti spatium non habemus Scripturas legendi, et meditandi. Aliquando ergo cum apostolis navem ascendentes in desertum abeamus, ut a verbo et ministracione cessantes, per fidem, quam habe-

mus in Deum fluctuationes mundiales transfretantes, tantum lectioni et meditationi, orationi et divinæ contemplationi saltem ad modicum intendamus. Nemo namque (sicut in libris beati Gregorii legimus) debet propter contemplationem Dei, omnino postponere necessitatem proximi, nec propter necessitatem proximi, contemnere contemplationem Dei.

CAP. IV. *De navi in mari.*

Cum sero esset, erat navis in medio maris, et Jesus solus in terra (Marc. vi). Sero significat vitæ præsentis ignorantiam; navis sanctam Ecclesiam; mare, hujus sæculi inconstantiam; terra, soliditatem supernam; quarta vigilia, quatuor Evangeliorum scientiam; labor discipulorum in remigando, laborem justorum in bene operando; ventus, est diabolus; contrarietas venti, tentationes diaboli. Jesus autem supra mare ambulat, cum sæculi præsentis tumorem calcat, deprimit et humiliat. Et labores discipulorum respicit, cum multiplices tribulationes justorum in medio misericorditer attendit. Et volebat præterire eos, ut scilicet ad horam turbati, sed continuo post liberati, plus liberationis suæ miraculum stuperent, et liberatori suo majorem gratiam referrent, sicut sæpe videtur divina pietas fideles in tribulatione et tentatione deserere. Unde scriptum est: *Quare me repulisti? quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? (Psal. XLII.)* Sed continuo adest Dominus, et dicit: *Confidite: ego sum, nolite timere.* De hac consolatione dictum est: *Cum transieris per aquam, tecum ero, et flumina non operient te (Isa. XLIII).* In navim ad illos ascendit, quando sanctam Ecclesiam per gratiam intrans, fideles contra quælibet adversa munit.

CAP. V. *De surdo et muto sanato.*

Exiens Jesus de finibus Tyri, venit ad Sidonem per medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponeret ei manum (Marc. vii). Genus humanum tanquam unus homo varia peste in protoplasto depravatum amisit lumen; dum perdidit divinæ contemplationis claritatem; amisit auditum, dum perdidit obedientiæ virtutem; amisit olfactum, dum perdidit discretionis virtutem; amisit gustum, dum perdidit internæ dulcedinis saporem; amisit tactum, dum perdidit lenitatem internæ suavitatis; amisit loquelam, dum perdidit confessionem divinitatis; amisit manum, dum perdidit exhibitionem boni operis; et quasi singulorum sensuum et membrorum officia amisit, dum omnium virtutum exercitationem, et bonorum operum exhibitionem, per peccatum originale perdidit. Incurvatur, dum summis demis derelictis ad ima flectitur. Infunditur hydropisi, dum exteriorum bonorum cupiditate distenditur; repletur dæmonio, dum se palam tradit dæmonum obsequio. Diversæ autem operationes miraculorum, diversarum virtutum et actuum in humano genere designant restaurations. Exiens Jesus de finibus Tyri. Tyrus interpretatur *angustia* et significat Judæam, cui

A Dominus per prophetam ait, innuens quod eam esset derelictus *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat (Isa. xxviii)*. Sidon interpretatur *venatio* et significat gentium ferocitatem et gentium nationum. Regio Decapoleos, propter numerum denarium, decem divinæ legis præcepta figurat. Mare Galilææ quæ interpretatur *transmigratio facta*, fluctuosam volubilitatem nationum quæ de malo ad bonum per idololatriæ desertionem perfecte transmigraverant, designat. Jesus ergo de finibus Tyri et Sidonis exiens per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, surdum et mutum sanavit, quando angustias infidelis Judææ deserens, ferocitatem gentium comprimens et fluctuositatem sedans in prædicatione Decalogi, noxiam taciturnitatem et surditatem curavit generis humani. Manumque illi imposuit quando illi donavit facultatem suis obediendi præceptis, et fidem catholicam confitendi; adductores sunt apostoli et prædicatores, qui pro sanando infirmo toties rogant, quoties pro salvandis infidelibus suppliciter orant. Sanandum vero infirmum Dominus de turba ducit seorsum, quando quemlibet impium justificans, de societate et communitate infidelium, et male viventium dividit. Digitosque in auriculas sanandi mittit et exspuens linguam tangit, quando ei per Spiritum sanctum præceptis suis obediendi gratiam, et confitendi, et prædicandi sapientiam tribuit. Quod autem ingemuit, nobis tantum modo exemplum gemendi pro aliis dedit. Aures denique infirmi ad audiendum aperiuntur et lingua ad loquendum solvitur, dum homo per gratiam justificatus, præcepta divina auribus cordis auscultat, et cognita confitetur et prædicat. Hoc igitur exemplo docemur, ut quoslibet peccatores quotidie per prædicationem nostram ad Dominum adducere studeamus, et illum pro illis jugiter oremus.

CAP. VI. *De septem panibus et paucis pisciculis, et quatuor millibus hominum satiatis.*

Legimus in Evangelio (*Marc. viii et Matth. xv*), quod Dominus quatuor millia hominum de septem panibus et paucis pisciculis satiavit. In quo loco per septem panes septem dona Spiritus sancti figurantur; per pisciculos vero, exempla Patrum antiquorum, qui sub naturali lege vel scripta fuerunt, designantur. Comedentes quatuor millia fuisse describuntur, propter quatuor Evangeliorum perfectionem; vel propter quatuor cardinalium virtutum exercitationem. Dominus ergo satiat quatuor millia hominum ex septem panibus, et paucis pisciculis quando per septiformis spiritus dona, et per præcedentium patrum exempla, qui de fluctibus hujus sæculi erepti, et divina benedictione consecrati; refectionem nobis, ne in hujus sæculi cursu deficiamus, præbent. Quatuor, inquam, millia hominum satiat, quando electos credulitate quatuor Evangeliorum comprehensos, quatuor principalibus virtutibus exercitatos, donis spiritualibus et exemplis patrum perficit, docet et justificat. Et notandum quod dicuntur pisciculi pauci, quia valde rari fuerunt justi antiqui. Triduo autem

Dominum sustinent, quia in fide sanctæ Trinitatis constituti, spiritualem a Deo desiderant partem accipere. Quidam ex eis de longe venerunt. Qui enim nihil carnalis expertus corruptionis ad servitium Domini festinat, de longinquo non venit. Qui etiam nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus est, non venit de longinquo. Qui vero multis et magnis flagitiis semetipsos polluunt, et post hoc ad Deum redeunt, de longinquo veniunt. Et si dimiserit eos jejunos deficient in via. Conversi namque peccatores in præsentis vitæ via deficient; si in sua conscientia sine pabulo doctrinæ dimittantur. Septem sportæ de fragmentis impletæ, spirituales viri sunt, qui sublimiora, quæ capacitate minorum superant, et colligunt et custodiunt. *Et dimisit eos.* Dominus refectos dimittit, cum spirituali doctrina eruditos, ut cognita perficiant; in proprio et libero arbitrio derelinquit, nec aliquem eorum ad serviendum sibi cogit.

CAP. VII. *De fermento Phariseorum et Herodis.*

Cavete a fermento Phariseorum et a fermento Herodis (Marc. VIII). Fermentum Phariseorum est simulatio religionis, tenacitas avaritiæ, intemperantia cupiditatis. Fermentum Herodis est homicidium, adulterium temeritas jurandi. A fermento autem Phariseorum et Herodis minime cavet: quicumque pravitate illorum suis operibus miscet.

CAP. VIII. *De manu, et pede scandalizante hominem.*

Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te (Marc. IX; Matth. XVIII), etc. Debemus accipere actionem per manum; per pedem, corporis motionem; per oculum, cordis intentionem. Multi sunt, quos manu sua male scandalizat. Qui enim lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov. IX*), quia delectantur in vitiis et operibus malis: istos manus sua miserabiliter scandalizat, et ab introitu regni cælestis tardat. Sunt etiam, qui in motu corporis, et vagatione delectantur: civitates, castella, oppida: vicus peragrant, et terram circumeunt, et perambulantes, nunquam in uno loco sunt vel consistunt, nunquam pedes ab excursu et discursu comprimere valentes. Unde de tali cursore quidam versificator ait.

*Dum fuit in mundo, per mundum vixit eundo:
Hic postrema dies, hic quoque prima quies.*

Quid igitur tales, qui non gratia orationis, aut temporalis necessitatis, sed solius causa curiositatis regiones pervolant, quid nisi per hunc pedem, id est, per hanc vegetationem, quæ multum placet, quid, inquam, nisi scandalum patiuntur, et ab ingressu vitæ impediuntur? Illos quoque oculus scandalizat: qui in iis quæ faciunt, non Deo pla-

Acere, non animabus intendunt prodesse: sed vel semetipsos, vel amicos carnales suos secundum vanitatem præsentis sæculi exaltare: et sibi, aut suis aliquid transitorium emolumentum student quærere. Sed talis oculus, id est, intentio ista, quæ vanam jucunditatem præstat: non nisi impedimentum ad aditum regni cælestis parat. Hanc ergo manum id est actionem et pedem, id est motionem et oculum, id est intentionem, abscindamus, eruamus et projiciamus a nobis. Melius enim est, ut cum sola bona actione, motione, intentione, intremus ad vitam, quam bona malis commiscentes, quasi duas manus, duos pedes et duos oculos habentes, intremus in gehennam.

B CAP. IX. *De paralytico demisso per tegulas ante Jesum.*

Venerunt ad Jesum inferentes paralyticum, qui a quatuor ferebatur. (Luc. II; Matth. II.) Paralyticus iste, significat animam a vitiis resolutam, et in mollitie carnis torpentem. Quatuor ferentes, sunt doctores: qui talem animam sursum elevant et portant: dum illi doctrinam quatuor evangeliorum, vel prædicationem quatuor principalium virtutum administrant. Domus, in qua Jesus hospitabatur, tutelam et sublimitatem sacræ Scripturæ designat. Turba, quæ paralyticum introduci non sinebat, multitudinem inutilium cogitationum figurat, quæ animæ peccatrici aspectum Dei negat.

C Sed tectum nudatur: dum sublimis et mysticus sensus in Scriptura aperitur. Et paralyticus coram Jesu introducit. Ibi denique ubi culpa ei remittitur, filius appellatur, tollere grabatum et abire jubetur: quia postquam homo ad cognitionem Dei vere redit, Deus illum sanat per gratiam ab omni, quod deliquit, et vocat per adoptionem filium, et jubet tollere grabatum per carnis subjectionem et ire per bonam operationem. *Surge, inquit, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Quasi diceret: Erigere a carnalibus desideriis per penitentiam, dominare carni tuæ per continentiam: *et vade per bonam operationem in domum tuam:* conversationem scilicet honestam. Quinque de causis affliguntur homines molestiis carnis: aut propter merita augenda, ut Job: aut ad humilitatem conservandam, ut Paulus ab angelo Satanæ: aut ob peccata corrigenda, vel intelligenda, ut Maria soror Moysi, et hic paralyticus, qui nisi dimissis peccatis potuit curari: aut ad gloriam Dei manifestandam, sicut cæcus de quo dicitur: *neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo (Joan. IX).* Et Lazarus, cujus infirmitas non fuit ad mortem: sed pro gloria Dei (*ibid.*) aut initium æternæ damnationis, ut Herodes (53).

(53) Explanationem in Canticum beatæ Mariæ, quam hic exhibet editio Rothomagensis, habes infra inter opera exegetica genuina. EDIT.

LIBER QUARTUS.

IN LUCAM.

CAP. I-II. *De viro et muliere curatis.*

Legimus in Evangelio quod Dominus spiritum immundum expulit de viro : et continuo feminam a febribus, socrum scilicet Petri, curavit (*Luc. iv*). Moraliter virum a dæmonio liberatum ab immunda cogitatione purgatum intelligimus : feminam vero a febribus consequenter curatam, carnem a concupiscentiæ fervore per continentiae præcepta frenatam. Et mulier sanata Domino ministrat, cum membra carnis, quæ prius servierant immunditiæ, justitiæ famulantur.

CAP. III. *De commissura, et vestimento novo, et de utribus et vino.*

Nemo commissuram a vestimento novo immittit in vestimentum vetus, alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo (Luc. v). Novum vestimentum, opus bonum est, vetus vestimentum peccatum. Quicumque autem quodlibet opus bonum et peccatum, in quo manet, conjungit; hoc quod facit amittit, et major scissura fit quia melius erat ei non cognovisse viam justitiæ, quam post agnitam retrorsum converti ab eo quod traditum illi erat sancto mandato (*II Petr. ii*). *Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpit vinum novum in utres, et ipsum effunditur, et utres peribunt. Sed vinum novum in utres novos mittendum est: et utraque conservantur.* Utres veteres sunt homines peccatores, veterem hominem cum actibus suis imitantes. Utres novi sunt homines per gratiam innovati, novi hominis imitatores, qui secundum Deum creatus est, id est Christi. Vetus vinum, culpa; novum vinum, gratia. Quandoque ergo vinum novum in utres veteres ponitur, et utres rumpuntur, et vinum effunditur: quia qui gratiam Dei accipiunt, et post acceptam gratiam sicut prius peccato deservire volunt et ipsi pro contemptu gratiæ deteriores, quam prius erant, efficiuntur: et gratia eis aufertur. Aliter: *Nemo mittit novum vinum in utres veteres, id est Deus gratiam non tribuit peccatoribus nisi prius a vetustate renoventur. Alioquin vinum rumpit utres, et ipsum effunditur, id est, si ipsi peccatores sacramenta, in quibus gratia continetur et confertur, accipere præsumpserint: et ipsi de præsumptione deteriores efficiuntur, et gratia eis minime adesse permittitur: Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et sic utraque conservantur: quia dum bono homini gratia tribuitur et ipsam acceptam gratiam conservat et gratia conservata eum justificat. Et nemo bibens vetus stulti vult novum; dicit enim: Vetus melius est.* Nemini enim quandiu delectatur in culpa, placet

PATROL. CLXXV.

A gratia. Sed postquam vinum novum, id est jucunditatem gratiæ, bene gustaverit, veteri novum, id est culpæ gratiam anteponit, quam largitur immutabiliter et summe bonus Deus.

CAP. IV. *De electione duodecim apostolorum.*

Elegit Dominus duodecim apostolos (*Luc. vi*), qui sacræ mysteria fidei cæteris manifestando prædicarent. Duodecim constant ex quater tribus, et ter quatuor. Ad hoc ergo elegit Dominus apostolos duodecim, ut per quatuor mundi partes fidem sanctæ Trinitatis prædicarent, et credentes ad supernæ beatitudinis gloriam convocarent.

CAP. V. *De arbore et ejus fructu.*

Non est arbor bona, quæ facit fructus malos; neque arbor mala faciens bonos fructus (Luc. vi). Arbor, est anima; arbor bona, anima justa; arbor mala, anima prava; fructus, opus; fructus justus, justitia: fructus impii, culpa; cognitio arboris ex fructu, cognitio hominis ex actu; succisio malæ arboris, damnatio peccatoris: securis, Christus; manubrium, humanitas; ferrum, divinitas; acumen securis, judicium divinæ potestatis.

CAP. VI. *De servo centurionis.*

Intravit Jesus in Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus: qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans ut veniret, et sanaret servum ejus (Luc. vii). Centurio, significat gentilitatem; servus centurionis, populum gentilem; missi seniores Judæorum, cœtum apostolorum vel aliorum fidelium ex Judæis ad fidem conversorum pro justificatione gentium intercedentium; accessus et humiliatio centurionis, est conversio et humilitas gentilitatis; effectus sanitatis, gratia justificationis. Et bene ait Dominus de centurione: *Non inveni tantam fidem in Israel, quia pauci ex Israel crediderunt in eum, et multi ex gentibus fidem illius susceperunt.*

CAP. VII. *De muliere et Simone leproso.*

Rogabat Jesum quidam Phariseus, ut manducaret cum illo (Luc. vii). Phariseus de sua justitia superbus, populus est judaicus; Maria Magdalena, quæ erat mulier peccatrix, Ecclesia gentilis dedita idolis; effusio lacrymarum, confessio criminum; extersio, satisfactio: unguentum, boni operis opinio; dispersio odoris, dilatatio bonæ opinionis.

CAP. VIII. *De duobus debitoribus.*

Duo debitores erant cuidam feneratori. Unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta, Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque

26

(*Luc.* vii). Duo debitorum, duo populi sunt, qui Deo creatori debent nummum, id est animam suam regis imagine insignitam, ad servandum sibi commissam. Utriusque populi debitum per quinarium multiplicatur, quia quinque sunt sensus corporis, quibus in hac vita utimur, quibus imaginem Conditoris quam accepimus excolere debemus. Sed minus debet Judæus, cui Decalogus legis per servum datur; plus debet Christianus, cui per Filium gratia vitæ committitur. Ideo Judæi per denarium, Christiani per centenarium numerum fenus accumulatur. Sed quia neuter suis viribus, sed Dei gratia per fidem salvatur, recte dicitur, non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Plus ergo diligit Ecclesia de gentibus quam Judæus, quia secundum præsentem statum major ei gratia confertur, sed et secundum præteritum de majori fœditate extrahitur. Plus debet, qui plus accipit.

CAP. IX. *De Jairo archisynagogo, et hæmoroissa.*

Erat quidam de archisynagogis nomine Jairus: et videns Jesum procidit ad pedes ejus et deprecabatur eum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, ut sana sit et vivat (*Luc.* viii). Jairus interpretatur illuminatus et significat Judaicum populum in antiquis patribus, prophetis, Moyse, Samuele, David et aliis illuminatum. Archisynagogi filia est Synagoga legali institutione disposita, quasi unica Moysi nata. Hæc duodecimo anno, id est tempore pubertatis appropinquante, quando spiritualem, prolem Deo generare debuit, moriebatur, subito languore consternata. Sed, pergente Domino ad filiam archisynagogi, morbosa mulier patiens fluxum sanguinis præripit salutem, quia sic dispensata est salus humani generis, ut primo aliqui ex Israel, deinde plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* xi). Mulier ergo sanguinaria a Deo curata Ecclesia est de gentibus ingenti carnalium delectationem fluxu polluta, et a cœtu fidelium segregata: hæc cum Christus Judæam salvare decerneret, ad jam paratam aliis salutem spe certa prævenit, et multa expenderat in medicis, id est in theologis, prophetis, legum sæcularium doctoribus, qui se utilia vivendi præcepta dare promittebant. Dæmones quoque, quasi hominibus consulendo, se ut deos colendos dicebant. Quibus audiendis quanto magis naturalis industriæ vires expendebant, tanto minus sanari poterant. Sed cum audissent Judaicum populum ægrotare, et verum medicum de cœlo venisse, cœperunt languoris sui et sperare et inquirere remedium.

Et notandum quod puella duodenis fuit, et mulier annis duodecim sanguinis fluxum passa est, id est quando hæc nata fuit, illa infirmari cœpit: una enim, eademque sæculi ætate et Synagoga in patriarchis nasci, et gentes fœdari idololatria cœperunt. Unde retro in turba accessit, et tetigit vestimenta ejus, et confestim cessavit fluxus sanguinis

A ejus. Gentium Ecclesia venit retro, quia Deum in carne non vidit præsentem; sed post ad fidei et ad agnitionis gratiam pervenit, et tactu vestimentorum, id est participatione sacramentorum ejus, meruit sanari a peccatis. Fluxus quippe sanguinis (*Matth.* ix), originem peccati, et primordium immundæ cogitationis significat, ex quo omne peccatum nascitur. Sed Dominus non solum opera, sed et verba mala, et cogitationes pravas, sacramentis evangelicis quasi suis vestimentis a fonte obscenitatis emundat. Quod turba dicitur quidem opprimere et una sanata est, significat quod multi sunt vocati, pauci electi (*Matth.* xxii). Muliere sanata nuntiatur puella mortua, quia Ecclesia gentium labe vitiorum exuta, continuo Synagoga est perfidiæ invidiæque letho resoluta: perfidiæ quidem, quia in Christum credere noluit; invidiæ vero, quia Ecclesiam credere doluit. Resuscitabitur puella, cum postquam plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet. Dominus, dum suscitaret puellam paucis retentis, alios ejecit, quia infidelibus non sunt revelanda mysteria divina, nec irrisoribus miracula divina. Secundum moralem sensum, Dominus quotidie mulierem sanat, cum animam diversis vitiis corruptam per gratiam curat. Turba quoque ejicitur, ut puella suscitetur; quia, nisi sæcularium curarum multitudo ejiciatur a corde, anima intus jacens mortua non suscitatur. Dum enim sese per multas cogitationes spargit, ad considerationem salutis nullatenus se colligit.

CAP. X. *De tribus mortuis quos suscitavit Dominus.*

Legimus in verbis Evangelii, quod Dominus tres mortuos suscitavit, puellam in domo (*Luc.* viii), juvenem in agro (*Luc.* vii), Lazarum in monumento (*Joan.* xi). Tres mortui, tria genera designant peccatorum. Mortui namque sunt in domo, qui sine demonstratione operis conceptam nequitiam adhuc in corde servant. In agro mortui sunt, qui culpam per consensum conceptam in sensum propatulo per operationem demonstrant. In monumento mortui sunt qui, diu prava consuetudine fœdati, per infamiam suam etiam alios depravant. Resuscitatio mortuorum, justificatio est peccatorum. Et tanto levius resuscitatur quisque per gratiam, quanto minus mortificatus est per culpam. Tantoque minori purgatur pœnitentiæ satisfactione, quanto minori depravatus existit iniquitate. Unde Dominus, paucis arbitris adhibitis, solo verbo puellam in domo jacentem recenter mortuam suscitasse legitur. Resuscitando vero Lazarum in monumento quadriduanum, fremuisse, turbatus fuisse, lacrymasse, et voce magna clamasse, perhibetur: non quod Domino tam facilis non fuerit resuscitatio Lazari quam puellæ, sed quod Domini facta aliarum rerum sunt exempla.

CAP. XI. *De septuaginta duobus discipulis.*

Designavit Dominus et alios septuaginta duos (*Luc.* x). Sicut in apostolis forma est pontificum, ita in septuaginta duobus discipulis forma est presbytero-

rum secundi ordinis. Septuaginta duo mittuntur, qui linguarum totidem gentibus Evangelium prædicarent, ut sicut primo duodecim apostoli propter duodecim tribus Israel, ita et hi propter cæteras gentes destinarentur imbuendas. Per hoc quod binos mittit, innuitur quod nemo prædicationis officium debet suscipere, qui erga alium charitatem non habet. Ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus mittit, quia, ubi verba prædicationis præcurrunt, venit Dominus ad mentis habitaculum. Et dicebat illis: *Messis quidem multa, operarii vero pauci*. Messis est turba credentium; operarii, apostoli et sequaces eorum. Et licet hæc messis verbo Dei sit sata, tamen culturæ laborem sollicitum munus operarii requirit, ne aves cæli sparsa semina dissipent. Sed quia pauci sunt operarii, id est prædicatores, rogandum est jugiter ut Dominus det gratiam prædicandi fidelibus, et mittat eos in procurationem messis suæ. Unde subjungitur: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* (Rom. x). Item: *Ecce ergo mitto vos sicut oves, inter lupos* (Matth. x). Sicut insidiantur lupi ovibus, sic hæretici fidelibus. Et sicut lupo nocte ovile circuit non audens intrare, canis somnum, pastoris absentiam, ut desidiam explorans, sic hæreticus nocte suæ tentationis fideles decipere conatur, Ecclesiam incaute non intrans, et pastores vel desides necare, vel in exsilium mittere intendit. Lupus vero corporis rigidi se facile non flectere potest, sic hæreticus duri intentione cordis non solet ab errore revocari. Unde Apostolus: *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devota* (Tim. iii). Lupus suo impetu fertur, et ideo sæpe luditur; sic hæreticus impetum facit, et sæpe remanet inanis, cum nocere non possit. Lupus si prior aliquem viderit, vocem illi quadam vi naturæ eripit, si homo illum prior viderit, exagitat; sic quem versuta disputatione hæreticus prævenit, mutum reddit, ne confiteatur verbum Dei. Sed si quis commenta fraudis ejus cognoverit, patitur jacturam voeis. Sicut lupo, sic hæreticus: primum, quia invadit guttur, uterque vitalibus vulnus infligit. Possumus etiam per lupos persecutores quosque designare, qui more luporum fideles lacerare conantur.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. Tota fiducia prædicatoris in Deo debet esse, ut præsentis vitæ sumptus, etsi non provideat sibi, tamen non desituros certissime sciat, ne, dum occupatur mens ejus ad temporalia, minus prædicet æterna. Et ideo sacculum non portet. Secundum autem mysticum sensum, pecunia in sacco clausa, sapientia est occulta, quæ pro Christo non erogatur. Per peram, onera sæculi; per calceamenta, mortuorum operum exempla figurantur. Et prædicator onus sæcularium negotiorum non portet, nec stultorum operum exempla conspiciat, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat munire. *Et neminem*

A in via salutaveritis. Qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu, salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutatur, quia ex occasione non intentione salutem audientibus exoptat. Omnis enim qui in via salutatur, ex occasione itineris salutatur, non ex intentione habendæ salutis.

CAP. XII. *De homine qui incidit in latrones*.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho (Luc. x). Homo iste, qui de Jerusalem in Jericho descendit et in latrones incidit, sicut in hominibus legimus, genus designat humanum. Quod in primis parentibus supernam civitatem deserens, in hujus sæculi et exilii miseriam per culpam corruens, per antiqui hostis fraudulentiam veste immortalitatis et innocentie est spoliatus, et originalis culpæ vitiis graviter vulneratus. *Fece- rat Deus*, sicut alio loco diximus, *hominem ad imaginem et similitudinem suam* (Gen. i). Ad imaginem, secundum rationem; ad similitudinem secundum dilectionem, ut per utrumque Deo inhæreret, et inhærendo beatus esset. Sed diabolus, humanæ beatitudini invidens, contra duo bona prædicta duo principalia mala intulit homini in originali culpa. In eo namque quod factus erat ad imaginem Dei secundum rationem, vulneravit eum per ignorantiam boni. In eo vero quod factus est ad similitudinem Dei, vulneravit eum per concupiscentiam mali. Homo autem spoliatus est, vulneratus est, semivivus est relictus, quia in humana natura, etsi possit divina similitudo, quæ est in dilectione, penitus corrumpi, divina tamen imago, quæ est in ratione, non potest penitus deleri. Quamvis enim tanta malitia possit affici ut nihil boni, non tamen ignorantia tanta excæcari potest ut nihil cognoscat veri. Recte ergo semivivus est relictus; quia, etsi propter primordialia peccata, magna ex parte fuerit corruptus, non tamen est penitus cæcatus. In eos namque etiam post vulnera vixit, quo ipsi quævis scintillula sensus remansit. Hostilis ergo gladius hominem penitus non exstinxit, dum in eo naturalis boni dignitatem omnino delere non potuit, et de hujus ratione sententiæ. Psalmista taliter intulit, dicens: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psal. l). Per cor enim mundum, in se divinam designat similitudinem; per spiritum rectum, divinam imaginem. Dum cor mundum in se creari, spiritum vero rectum innovari convenienter insinuavit, et divinam similitudinem in toto posse corrumpi, et divinam imaginem nequaquam prorsus posse deleri. Ibi namque ubi nil boni remansit, bonum, si tamen restauratur, creatur; at ubi aliquid boni superest, renovatur. Est autem cordis munditia, in perfecta Dei dilectione; rectitudo vero spiritus, in sana ratione. Quod autem secundum præcedentes distinctiones divina in nobis imago et divina similitudo possunt accipi, doctores in alterius cujusdam versiculi expositione declarant, ubi scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;*

dedisti lætitiā in corde meo (Psal. iv). Per lumen enim, quod super nos sive in nobis signatum est, distinguunt in nobis divinam imaginem, quam assignant in discretionē rationis; et per lætitiā, divinam similitudinē, quam determinant in jucunditate dilectionis. Sacerdos et levita qui, viso spoliato et vulnerato transierunt, patres antiquos expriment, qui vitæ præsentis statum tunc sancte vivendo transierunt; sed humanum genus per culpam vulneratum minime sanaverunt. Samaritanus pertransit, dum Christus per humanitatem vitæ hujus momenta cucurrit, qui homini vulnerato vinum et oleum infudit, dum per prædicationem suam illi et blandam consolationem et austeram increpationem exhibuit. Alligans vulnera ejus in jumentum suum levavit, dum, per carnem assumptam in cruce suspensus, morte sua culpam illius expiavit. In stabulum duxit, dum intra sanctam Ecclesiam collocavit. Stabulum autem Ecclesiam significat; quia, sicut jumenta in stabulo suas immunditias dimittunt, sic peccatores, qui bestialiter antea vixerunt, per confessionem et satisfactionem in sancta Ecclesia peccata sua deponunt. *Altera die protulit duos denarios stabulario, et ut curam ejus ageret, dedit,* quando, peracto mysterio redemptionis, omnibus qui Ecclesiam gubernare debent, utriusque Testamenti scientiam, et prædicandi gratiam distribuit. *Et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Debent prælati in cura ægroti aliquid supererogare, ut non solum ea quæ in duobus Testamentis continentur studeant prædicare, sed et alia multa secundum ea quæ scripta sunt laborent excogitare, et aliis prædicatione manifestare. In die autem judicii cum Dominus redierit, secundum meritum reddet præmium. Sed, cum Dominus in cura ista exigat etiam nostrā, quid dicturi, quid facturi sumus, qui raro vel nunquam expendimus ea quæ sunt illius? si namque illis, quibus doctrinam debemus, nunquam litteram simplicem narramus, quid de nobis erit, qui etiam innumerabiles sententias, adjuvante gratia, per nostrum studium et laborem excogitatas, vel saltem ab aliis auditas, et diligentissime in corde nostro dispositas [depositas] incessanter eis prædicare deberemus? Possumus itaque dicere, quod in hac figura, Jerusalem est contemplatio superna; homo quidam, humana natura; Jericho, miseria mundana; latrones, dæmones; descensus, culpa; vestes, immortalitas et innocentia; vulnera, vitia; levita et sacerdos, patres antiqui, sive ministri veteris sacerdotii; Samaritanus, Christus, jumentum caro; oleum, blanda consolatio; vinum, austera increpatio; elevatio, redemptio; stabulum, Ecclesia; stabularii, prælati; duo denarii, scientia utriusque Testamenti.

CAP. XIII. *De Martha, et Maria sororibus Lazari.*

Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum

A suam (Luc. x). Per istas duas sorores, duæ significantur vitæ spirituales. Per Martham, operis actiosa devotio, qua proximo in charitate sociamur; per Mariam, religiosa mentis intentio, amore juncta Dei Verbo, qua in Dei amore suspiramus. Activa, vel panem corporalem esurienti, vel doctrinam ignorantibus tribuit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, et quæ singulis expediant dispensat. Contemplativa, charitatem Dei et proximi retinet, ab exteriori actione quiescit, soli Conditoris desiderio inhæret, et calcatis omnibus curis ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat misceri supernis civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudentibus. *Et huic erat soror nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius.* Maria sedet, quia contemplativa, pacatis vitiorum tumultibus, interna jam in Christo quiete mentis perfruitur. Martha stat, quia activa laborioso desudat certamine. Secus pedes illius: quanto enim humiliter sedet, tanto amplius capit, sicut confluit aqua ad convallem de tumoribus collis. *Audiebat verba illius.* Intenta erat Maria quomodo pasceretur a Domino, et Martha intenta erat quomodo pasceret Dominum. Hæc convivium parat, illa in convivio Domini jam delectatur. *Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Ex illorum persona loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari solum, quod discernunt fraternæ dilectionis opus, Deo beneplacitum, ducunt: Ideoque cunctos, qui Christo devoti esse velint, huic mancipari profectuosum esse autumant. *Martha, Martha.* Repetitio nominis indicium est dilectionis, vel forte movendæ intentionis, ut audiret attentius. Non reprehenditur pars Marthæ, quia et ipsa bona, sed pars Mariæ laudatur. Quæ quare sit optima, subinfertur: *Quæ non auferetur ab ea.* Quia contemplativa hic incipit, et in cœlesti patria perficitur; quia amoris ignis, qui ardere hic inchoat, eum ipsuum quem amat viderit, in amorem amplius ignescet. Non ergo contemplativa auferetur: quæ subtracta præsentis sæculi luce perficitur. Activa cum corpore deficit; quia in æterna patria panem non porriget esurienti, quia nemo esuriet; neque cætera misericordiæ ager opera, quia non erunt necessaria. Cum præsentem ergo sæculo auferetur activa; merito ergo contemplationi, omnium justificationum merita, universa virtutum postponuntur studia.

CAP. XIV. *De lumborum præcinctione.*

Sint lumbivestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (Luc. xii). Præcinctio lumborum est continentia carnis, ardor lucernarum, exhibitio boni operis. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis. Ad nuptias dominus ivit, cum post resurrectionem novus homo angelorum sibi multitudinem copulavit. A quibus revertitur, cum nobis per judicium manifestatur. Quem revertentem bene expectamus, dum in ejus adventum in omnibus nosmetipsos

præparamus ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Non vult aperire pulsanti iudici, qui timens videre iratum quem contempsit, de corpore exire metuit. Aperit, qui iudicem lætus et securus sustinet, et de propinqua morte gaudet. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenit vigilantes.* Vigilat qui oculos apertos in vero lumine tenet, ut tenebras negligentiae vitet; qui etiam, quod credit operatur. *Amen dico vobis, quod præcinget se, præparans se ad retributionem, et faciet illos discumbere, in æterna beatitudine refoveri: et transiens de iudicio ad regnum, ministrabit illis, quia divinitatis suæ contemplatione eos satiabit. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Vigiliis vocat ad similitudinem excubantium in nocte, quia in nocte hujus mundi, semper debemus contra hostes esse solliciti, et exspectare lucem venturam, id est adventum iudicis. Prima ergo vigilia, est custodia pueritiæ, secunda juventutis, tertia senectutis. Si quis vero in pueritia vigilare neglexit, non tamen desperet, sed in juventute, vel saltem in senectute respiscat, quia plus inde moras nostras patienter exspectat. Qui etiam ad excutiendam mentis desidiam, exteriorum damnorum similitudinem inducit, ut per hæc animus ad custodiam sui suscitetur. Unde subditur: *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Nesciente paterfamilias fur domum perfodit; quia, dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors carnis habitaculum irrum-
pit, et ad supplicia trahit. Furi autem resisteret, si vigilaret, quia adventum iudicis venientem occulte præcavens, pœnitendo occurreret. *Et vos estote parati.* Post similitudinem ponit exhortationem, ut omnes sine macula et ruga parati simus, quia qua hora veniat, nescimus.

CAP. XV. *De eunte in via cum adversario.*

Cum vadis cum adversario tuo ad principem in via: da operam liberari ab ipso, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem (Luc. xii). Adversarius noster in via Dei sermo est, contrarius carnalibus desideriis in præsentis vita, a quo liberatur qui præceptis ejus humiliter subditur. Alioquin ex sermone contemptu reus in examine iudicis tenebitur peccator. Quem iudex exactori, id est, diabolo tradet, quia permittet ut Diabolus animam ejus ad pœnam trahat et ipse exactor eam retrudet in gehennam. *Dico tibi, non exies inde, id est nunquam: donec etiam novissimum quadrantem reddas (Matth. v; Luc. xii), id est pro minimis peccatis puniaris, et reddas semper pœnas pro peccatis patiando nunquam veniam consequendo.*

CAP. XVI. *De ficu plantata in vinea.*

Arborem ficu habebat quidam plantatam in vinea sua: et venit fructum querere in illa, et non invenit (Luc. xiii). Vineam istam plebs fuit Israelitica, in qua erat Synagoga quasi ficulnea plantata. Cultor vi-

neæ, Moyses et prophetæ. Tres anni, tria tempora, tempus naturalis legis, tempus scriptæ legis, tempus gratiæ. Fossio est prædicatio; missio stercoreum, recordatio peccatorum. Excisio ficulneæ, dejectio Synagogæ. Secundum moralem sensum, arbor ista unaquæque anima infructuosa, per simulationem, virtutum, et exhibitionem bonorum operum foliis circumdata, sed a fructu veræ justitiæ aliena. Tres anni, cognitionem sanctæ Trinitatis significant; circumfossio arboris, extractionem significat terrenæ cupiditatis fossorio prædicationis. Stercora exprimunt carnis peccata, quæ mittuntur ad radicem arboris, quando conscientia tangitur pravitate cognitiæ memoria: quæ, dum inde pœnitet, quasi per tactum stercoreum, redit ad fecunditatem operis. Excisio infructuosæ arboris, iudicium est damnationis; cultor istius arboris, prædicator, qui semper pro tali anima debet intercedere, ut illi Deus concedat spatium pœnitentiæ et faciendi fructum justitiæ, sicut prophetæ et apostoli, quia quosdam ex Synagoga salvandos intellexerunt, pro ipsa sæpius oraverunt.

CAP. XVII. *De muliere spiritum infirmitatis habente decem et octo annis.*

Ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo (Luc. xiii). Mulier ista, humana est natura; spiritus infirmitatis, amor terrenæ cupiditatis; decem et octo anni languoris, transgressionem exprimunt legis quæ denario consummatur, et desperationem resurrectionis, quæ octonario significatur. Quæ inclinata erat per culpam, nec omnino poterat sursum respicere per justitiam. Qui enim terrena diligit et cogitat, non respicit sursum ad cœlestia. Quam cum vidisset Jesus per prædestinationem, vocavit eam per prædicationem, et ait: *Mulier dimissa es ab infirmitate tua, id est absoluta es a culpa tua.* Et imposuit illi manum per gratiam spiritualem, et erecta est per justificationem, et glorificabat Deum per gratiarum actionem. Archisynagogus indignans, populus est Judæorum litteram legis zelans, non intelligens Sabbatum observandum ab effectu operis servilis, non a curatione infirmitatis, non a cessatione divinæ laudis. Hypocrite, unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adquare? *Bos, qui cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (Isai. i).* Judaicum et gentilem significant populum, qui uterque peccati vinculis absolutus, sitim æstumque hujus mundi haustu Dominici fontis deposuit. In his ergo duobus animalibus vocationem duorum populorum, adversantibus Judæis pronuntiat Dominus.

CAP. XVIII. *De hydropico sanato.*

Factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Phariseorum Sabbato manducare panem: et ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum (Luc. xiv) ὕδωρ, hydor, aqua; inde hydropisis, morbus aquosus, subcutaneus, de vitio vesicæ natus cum inflatione turgente, et anhelitu fetido. Et est proprium hydropici,

ut quanto plus bibit, quanto plus sitiatur. Vitium autem, quod iste habet in corpore, Pharisei gestant in mente. Ideo coram ipsis curatur corporaliter : ut hoc exemplo ipsi discant curari spiritualiter. Comparatur autem dives avarus, et cupidus hydropicus : quia, sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit, sic miser avarus, et cupidus quanto amplius transitoria accumulatur, tanto magis ad ampliora aggreganda per cupiditatem succensus anhelat. Qui recte fetidum anhelitum emittit, dum suæ pravitatis infamiam ubique dispergit. Assimilatur etiam quilibet carnis voluptatibus deditus hydropico ; quia, quanto magis carnalis quisque fetidam suavitatem concupiscentiæ degustat, tanto magis ea concupiscentia fœdari desiderat. Toties ergo hydropicus ab infirmitate sua sanatur, quoties vel carnalis quisque a luxuria, vel avarus a cupiditate curatur.

CAP. XIX. *Invitatus ad nuptias non recumbat in primo loco.*

Cum invitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco (Luc. xiv). Nuptiæ significant conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Honoratiori post invitato locum dat, qui de longe conversationis suæ confidentia securior factus, vita illorum, qui se in Christo secuti sunt, agilitate præitur. Et cum rubore novissimum locum tenet, cum de aliis meliora eognoscens, quidquid de sua operatione altum senserat, humiliat. *Recumbe ergo in novissimo loco*, id est *quanto major es, tantum te humilia in omnibus* (Eccli. iii). Ut dicat tibi qui te invitavit : Amice, ascende superius, quia *Deus dat humilibus gratiam* (Jac. iv), quam aufert superbis. *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, id est in eadem fide, vel eadem beatitudine quiescentibus.

CAP. XX. *De homine qui, fecit cœnam magnam et vocavit multos.*

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos (Luc. xiv). Homo iste, est Deus ; cœna, beatitudo superna ; servi, sancti prædicatores ; hora cœnæ, tempus gratiæ ; vocatio, prædicatio ; invitati ad cœnam venire nolentes, reprobi terrenis inhærentes. Ille qui villam emit, significat cupidos ; ille, qui quinque juga boum emit, quinque sensus corporis rebus exterioribus intentos ; ille, qui uxorem duxit, carnis voluptatibus deditus. Sed juga boum quinque esse dicuntur ; quia sensus corporis, cum sint in utroque sexu, germinantur. *Exi cito in plateas, et vicos civitatis*. Plateæ, sunt late patentis iniquitatis viæ ; vici civitatis, contubernia inhonestæ conversationis ; Pauperes, debiles, cæci, et claudi qui introducuntur, sunt illi qui mundi amatoribus habentur viles, et judicantur inutiles. Sed per prædicationem vocati, per gratiam justificati, apud Deum cognoscuntur esse gloriosi et sublimes. *Domine, factum est ut imperasti : et adhuc locus est. Et ait Dominus servo : Exi in vias, et sepes, et quoscunque inveneris, compelle intrare*. Isti qui intrare compelluntur, sunt illi qui adversitatibus fracti a pravitatibus corriguntur, et ad amorem Dei redu-

untur. Possumus autem per primos ad cœnam venientes, electos ex Judæis accipere ; per secundos vero, electos de gentibus designare : et per illos qui venire noluerunt, illos qui ex utrisque populis pereunt, accipere.

CAP. XXI. *De ove, et drachma perditis.*

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam ? etc. (Luc. xv.) Homo iste est Deus ; oves, creaturæ rationales : nonaginta novem oves, novem angelorum ordines ; ovis centesima, humana natura ; ovis centesimæ requisitio, divina incarnatio ; ovis relatio, humana redemptio ; amici et vicini, angeli ; amicorum et vicinorum de inventione ovis congratulatio, angelorum de humana salute exultatio. *Quæ mulier habens drachmas decem, etc.* Mulier, divina sapientia ; decem drachmæ, novem ordines angelorum, cum adjunctione humanæ naturæ. Mulier enim decem drachmas habuit, cum Deus homines et angelos ad imaginem suam creavit. Sed unam perdidit, cum homo a similitudine Creatoris recessit. Sed sapientia lucernam ad querendum accendit, cum in carne apparuit, quia lucerna lux est in testa, id est Verbum in carne : quæ ubi inter homines claruit, domum evertit, quia conscientias hominum consideratione reatus sui perturbavit. Et sic drachma reperitur dum in homine similitudo Conditoris reparatur.

CAP. XXII. *De filio prodigo.*

Homo quidam habuit duos filios ; et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit (Luc. xv). Homo iste, Deus Pater, habuit duos filios, quia creator est et auctor duarum stirpium generis humani, id est Judæorum et gentium. Major filius, qui in cultu unius Dei permansit ; minor, qui hucusque ad colenda idola Deum deseruit. Substantia, est omne quo vivimus, sapimus, cogitamus, loquimur : hæc Deus æque dedit omnibus. Unde scriptum est : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i). Hujus ergo substantiæ proportionem sibi minor petit dari, cum homo rationali suo sensu delectatus, et per liberum arbitrium se regere, et a dominio Creatoris quærit exire. Homo iste itaque, Deus ; duo filii, duo populi ; major filius, populus Judaicus ; minor, gentilis ; substantia, naturalia bona ; recessio minoris filii, error gentilis populi ; regio longinqua, idololatria ; meretrices, carnis delectationes ; dissipatio substantiæ, corruptio naturæ ; unus civium, aliquis dæmonum ; fames filii, penuria verum Deum cognoscendi ; siliquæ porcorum, sordida figmenta poetarum, et diversis erroribus polluta dogmata philosophorum, quæ sunt cibus immundorum spirituum ; reversio filii, conversio gentilis populi ; occursum patris, effectus divinæ miserationis ; annulus, fides ; stola prima, innocentia ; calceamenta, prædicatio ; vitulus saginatus, Christus ; occisio vituli, passio Christi ; epulæ, participatio gratiæ ;

symphonia et chorus de reditu filii, gratiarum actio de conversione gentilis populi. Filius major in agro moratur, dum populus Judaicus in libris Veteris Testamenti perfectione justitiæ et scientiæ scrutatur. Quod pater majorem filium ad intrandum invitavit, significat quod *cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet* (Rom. xi). Quotidie quoque Deus filium recipit revertentem, dum quemlibet peccatorem suscipit pœnitentem. Et omnia suprascripta facit, dum gratiam, quam in baptismo acceperat et per culpam perdidit, iterum illi reddit.

CAP. XXIII. *De divite et ejus villico.*

Homo quidam erat dives, et habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ejus (Luc. xvi). Homo dives, dicitur Deus Pater; villa, humana natura; villicus, spiritus coloni, intellectus, affectus, sensus, appetitus humani; bona divitis, dona Domini, et ea quæ habemus per naturam, et ea quæ habemus per gratiam. Multa bona quæ posuit Deus in instauratione istius villæ, sunt in ea ædificia, per multimodam bonæ conversationis honestatem; vituli, per boni inchoationem; hoves, per consummationem; tauri, per virtutis procreationem; vaccæ, per bonæ voluntatis fecunditatem; juvencæ, per spiritualis integritatis incorruptionem; oves, per innocentiam mansuetudinem; agni, per munditiæ candorem; capræ, per contemplationis arduitatem; apes, per gustum internæ dulcedinis. Sed et porci, quamvis Deus illorum esum prohibebat, ibi nonnunquam, inveniuntur per subreptionem immundæ cogitationis. Qui et ipsi eo quod valent humilitatem mentis, multum adjuvant ad cumulum justificationis. Invenitur etiam in hac villa, id est in humana natura hordeum, per scientiam Veteris Testamenti; triticum per scientiam Novi. Ibi sunt agri multi per latitudinem sensuum et affectionum, et aratra diversa per multa virtutum et actionum exercitia. O quam bona, quam locuples villa ista, in qua Deus posuit tot et tanta bona! Caveat villicus, ne dissipet bona ejus. Dissipatio bonorum, amissio est donorum; corruptio virtutum, ablatio bonorum operum. Notandum quod dictum est: *Quasi dissipasset bona ejus*. Non enim vere possumus dissipare bona Domini; quia, etsi humana natura tanta possit affici malitia ut nihil diligat boni, non tamen potest tanta cæcori ignorantia, ut nihil cognoscat veri. Villicatio est conversatio; amissio villicationis, est in morte hominis; ratio de villicatione est justa examinatio de transacta conversatione; locutio divitis cum villico, sermo Domini cum spiritu humano. *Quid faciam, inquit villicus, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* Angustia villici timor spiritus humani. *Sede cito, et scribe*. Debitorum servi, sunt intellectus, affectus, sensus, appetitus humani per culpam depravati. Et quanto magis intellectus, sive sensus, sive affectus, sive appetitus a bono discedit, tanto amplius debet Deo. Sessis debitoris, est humiliatio peccatoris; scriptio debiti, consi-

deratio peccati; debiti relaxatio, dimissi peccati. Timeat ergo et provideat sibi villicus iste, id est spiritus humanus, ut debitores istos a debito peccati per pœnitentiam interim prudenter allevet, ut cum Dominus in fine sine fine de tali prudentia laudet. Amissa namque villicatione, fodere non valebit, et mendicare erubescet, quia, post hanc vitam, nemini datur vel facultas operandi, vel fiducia Deum deprecandi. Debitorum quoque a debito relaxati, villicum post villicationem in domo accipiunt, quando sensus et affectus a peccato per pœnitentiam et remissionem allevati et cœlestibus præmiis ditati, hominem in cœlesti mansione jucundum reddunt.

CAP. XXIV. *De divite epulone, et Lazaro mendico.*

Homo quidam erat dives, et induebatur purpura, et bysso: et epulabatur quotidie splendide (Luc. xvi). Dives iste Judaicum populum designat, qui cultum vitæ exterius habuit, et acceptæ legis deliciis usus est ad nitorem, non ad utilitatem. Lazarus ulceribus plenus gentilem populum significat, qui ad Deum conversus peccata confitetur. Virus namque, quod intus latebat, quasi rupta cute foras emittitur, dum occulta mala per confessionem prodit. *Et cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat*, quia gentilem quemquam ad cognitionem legis admittere, superbus Judaicus populus despiciebat. Quia non ad charitatem, sed ad elationem, doctrinam legis habuit, quasi de acceptis opibus intumuit; et quia ei verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa. Sed contra, vulnera pauperis canes lingunt, quia prædicatores, dum loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad sanitatem reducunt, sicut carnis vulnera curat dum lingit. Unde Lazarus interpretatur *bene adjutus*, quia ipsi hunc ad ereptionem juvant, qui ejus vulnera per linguæ correptionem curant. *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ*. Sinus Abrahamæ, est requies bonorum pauperum, quorum est regnum cœlorum (Matth. v), quo post hanc vitam recipiuntur. *Mortuus est et dives, et sepultus est in inferno*. Sepultura inferni, pœnarum profunditas est, quæ post hanc vitam superbos, et immisericordes vorat. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus*. A longe vident infideles, dum in imo positi ante diem judicii fideles, super se requiescere attendunt, quorum post gaudia contemplari non possunt. Longe est, quod concupiscunt; quia illuc per merita non attingunt. *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quæ in opere servare contempsit. Ibi ergo amplius ardebat, ubi se ostendit scire, quod facere noluit. Ab extremo digiti se tangi desiderat, qui æternis suppliciis datus optat opera justorum, vel ultima sibi participari. *Fili, recordare, quia re-*

cepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.

Nota quod dives iste aliquid boni fecit, ex quo bonum transitorium in hac vita recepit : et Lazarus aliquid mali fecit, sed mala Lazari purgavit ignis inopiæ. Fili, recepisti bona in vita tua, quia omne gaudium tuum felicitatem transitoriam putasti. Habent justi etiam bona in mundo ; sed quia in recompensationem non recipiunt, sed ad æterna sanctis desideriis æstuant, quæ adsunt, minime bona videntur. *Memento, fili.* Ecce divitem filium vocant, quem tamen a tormento non liberat ; quia præcedentes patres hujus populi multos a sua fide deviasse considerant, nec ulla compassione a tormentis eripiunt, quos tamen filios per carnem recognoscunt. *Habeo enim quinque fratres.* Judaicus populus ex magna parte jam damnatus sequaces suos quos super terram reliquit, quinque libris Moysi carnaliter intellectis, vel quinque sensibus corporis deditos novit. Quinario ergo numero fratres, quos reliquerat, exprimit, quia eos ad spirituales intelligentiam non assurgere novit. *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ex mortuis Dominus resurrexit, sed quia Judaicus populus Moysi credere noluit, ei qui resurrexit credere contempsit. Et cum verba Moysi spiritualiter intelligere noluit, ad eum quem Moyses prædixerat non pervenit. Unde Veritas : *Si crederetis Moysi, crederetis forsititan et mihi (Joan. v).*

CAP. XXV. *De decem leprosis mundatis.*

Factum est dum iret Jesus in Hierusalem, transibat per mediam Galilæam et Samariam, et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi (Luc. xvii). Decem leprosi significant eos, qui contra præcepta Decalogi vivunt, et diversis, et damnabilibus peccatis male agendo semetipsos polluunt. Tales veniunt ad Jesum per fidem, ex quo ipse ingressus est castellum hujus mundi per incarnationem, et stant a longe per humilitatem, et exclamant per cordis pœnitentiam : *Jesus præceptor, miserere nostri.* Qui dum vadunt, ut ostendant se sacerdotibus per vocis confessionem, sanantur a lepra transactæ iniquitatis, sicut scriptum est : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei (Psal. xxxi).* Novem qui ad agendas gratias accepta sanitate regredi neglexerunt, illos exprimunt qui, post acceptam remissionem criminum, Decalogum complendo, grates pro gratia reddere contemnunt. Unus qui reliquit et gratias egit, universalis Ecclesiæ unitatem designat, quæ pro beneficio gratiæ grates referre non cessat.

CAP. XXVI. *De duobus in agro, quorum unus assumetur, et alter relinquetur.*

Erunt duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur : duæ molentes in mola, una assumetur, et altera relinquetur : duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur (Luc. xvii). Possumus per illos qui in agro sunt, homines laicos accipere in sæculo libere viventes. Sicut enim ille qui in cam-

po est habet potestatem quolibet divertendi, sic laici rebus suis libere utentes, potestatem habent quod volunt faciendi : comedunt quando volunt, bibunt quando volunt, et sic de cæteris. Pro tanta ergo libertate sibi concessa, non inconvenienter in agro esse dici possunt. Per illas autem, quæ in mola molentes erunt, possumus accipere eos qui rerum ecclesiasticarum curam gerunt : qui recte feminino genere designantur, eo quod infirmitate et fragilitate sua arduitate vitæ contéplativæ ascendere non valent, et exteriora tantum tractare negotia permittuntur ; qui dum omnium sibi commissorum curam gerunt, quasi per circuitum laboris sui molam ducunt. Per eos vero qui in lecto erunt, possumus eos accipere, qui ab actionibus exterioribus quiescentes solis factis cœlestibus vacare, et divinæ debent contéplationi intendere. Lectus namque quietem significat. Primi sunt in agro, propter libertatem ; secundi in molendino, propter laborem ; tertii in lecto, propter quietem. Sed ex his omnibus unus assumetur, alter relinquetur. Assumetur granum, relinquetur palea ; assumetur frumentum, relinquetur lolium ; assumetur agnus, relinquetur hædus ; assumetur piscis, relinquetur anguis ; assumetur bonus in præsentem per gratiam, relinquetur malus per culpam ; assumetur bonus in futuro ad gloriam, malus relinquetur ad pœnam ; bonus assumetur ad beatitudinem, malus relinquetur ad damnationem. Interim tamen, dum præsens agitur vita, in omni modo vivendi semper boni sunt malis conjuncti, et sunt in agro, in mola, in lecto bini, boni et mali. Videat igitur modo quisque quomodo sit, et talem se faciat, ut debeat assumi, non relinqui.

CAP. XXVII. *De Pharisæo et publicano orantibus.*

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, et alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum (Luc. xviii). Quatuor sunt tumoris species : cum quis vel bonum quod habet a se habere existimat ; aut si datum a Deo credit, pro meritis sibi datum putat ; aut cum se jactat habere quod non habet ; aut cum despectis cæteris, appetit singulariter videri habere, quod habet. Hac Pharisæus peste laborabat ; qui ideo non justificatus descendit, quia merita bonorum operum sibi singulariter tribuens, publicano se prætulit, dicens : *Deus, gratias ago tibi.* Ecce Pharisæus ad abstinentiam exhibendam, ad impendendam misericordiam, ad referendum Deo gratias oculum habet apertum, ad humilitatis custodiam non habet. Et quid prodest, si tota civitas custodiatur, et unum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur. Pharisæus, Judaicum populum significat, qui ex justificationis legibus extollit merita sua, et superbiendo recedit. Humiliatus publicanus, gentilem significat, qui longe a Deo positus peccata confitetur, et lamentando propinquat Deo, et exaltatur.

CAP. XXVIII. *De cæco juxta viam illuminato.*

Factum est autem cum propinquaret Jesus Je-

richo, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogavit quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazareus transiret (Luc. xviii). Cæcus iste significat genus humanum, quod a superna claritate exclusum, damnationis suæ patitur tenebras; sed, Domino propinquante Jericho, curatur. Jericho, *luna* interpretatur, per quam defectus nostræ mortalitatis intelligitur. Dum ergo verbum Dei infirmitatem nostræ carnis suscepit, homo ad cognoscendum divina redit. Cæcus sedet juxta viam, dum incipit in ipsum credere, qui dicit: *Ego sum via, veritas, et vita (Joan. xii).* Medicat, dum rogat. Unde sequitur: *Et clamabat.* Jesus transiens cæcum audit, stans illuminat; quia per humanitatem suam, nostræ cæcitatibus vocibus compatitur, sed per potentiam divinitatis lumen nobis gratiæ infundit. *Et qui præibant increpabant eum, ut taceret.* Quid Jesum præeunt, significant tumultus carnalium vitiorum quæ dissipant hominis cogitationes et perturbant vocis orationes, ne Jesus ad illuminandum venire possit cor hominis. Sed jam credens sentiens se gravari phantasmate vitiorum priorum, et vocem suæ orationis impediri, ne pro se orare possit, ardentius clamat: *Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum.* Videt et sequitur, qui bonum quod intelligit operatur, et Jesum prætereuntem imitatur. Et hic talis non solum in Deo proficit, sed etiam alios ad laudem Dei accendit. Unde sequitur: *Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.*

CAP. XXIX. *De Zachæo.*

Ecce vir nomine Zachæus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse dives. Et quærebat Jesum videre quis esset: et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat (Luc. xix). Zachæus, qui interpretatur *justus*, significat credentes ex gentibus, qui per occupationem temporalium depressi erant et minimi, sed a Deo sanctificati. Qui intrantem Jericho Salvatorem videre volunt, dum fidei quam mundo contulit participare volunt. Sed turba, id est vitiorum consuetudo, quæ cæcum clamantem increpabat, etiam Jesum suscipientem tardat. Sed, sicut cæcus amplius clamando turbam vicit, ita pusillus terrena relinquendo, arborem crucis ascendendo, turbam obstantem transcendit, clamans cum Apostolo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (Galat. vi).* Sycomorus est arbor similis moro foliis, sed altitudine præstans, et interpretatur *ficus fatua*, id est crux, quæ credentes ut ficus pascit ab infidelibus irridetur ut fatua: Quam pusillus ascendit, dum quilibet humilis et propriæ infirmitatis conscius in virtute crucis gloriatur. Et per hanc laudabilem fatuitatem prope Dominum cernit transeuntem; quia, si nondum ita solide ut est, jam tamen raptim, et quasi in transitu, luci sapientiæ cælestis intendit; Dominus autem in domo manens reficitur, cum populum gentilem ad fidem conversum, vel quemlibet fidelem per spiritum

A inhabitans bonis ejus operibus satiatur. Zachæus quoque dimidium bonorum suorum dat pauperibus, cum ipse, quia ad Deum convertitur, ea tantum quæ necessaria sunt corpori reservat sibi, cætera vero pauperibus erogat. Quadruplum denique pro defraudatione reddit, cum pro qualibet culpa, quatuor Evangeliorum præcepta complet, aut quatuor cardinales virtutes exercet.

CAP. XXX. *De Domino flente super Jerusalem.*

Appropinquavit Jesus Jerusalem, et videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu (Luc. xix). Quod Dominus secundum historiam semel fecit, hoc quotidie per electos suos Ecclesia agit. Plus plangit reprobos, qui nesciunt cur plangantur, quia *exsultant in rebus pessimis (Prov. xx).* Qui si damnationem sui præviderent, seipsos cum electorum lacrymis plangerent. Qui in perversitate sua diem suam hic habent, in qua et pacem habent ex abundantia temporalium, et supplicia nunc absconduntur ab oculis eorum, quia refugiunt ventura prævidere, quæ temporalem lætitiã perturbant. Sed veniens dies quando animas exeuntes a corporibus dæmones inimici circumdabunt vallo, trabentes eas ad societatem suæ damnationis. Et undique circumdabunt et coangustabunt, quando non solum operis, sed etiam locutionis et cogitationis iniquitates ante oculos eorum replicabunt. Et ad terram prostermentur, cum caro in pulverem redigetur. Filii etiam cadent, cum *illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. cxlv).* Quæ cogitationes etiam per lapides signantur, cum subditur: *Non relinquetur in te lapis super lapidem.* Perversa enim anima, cum perversæ cogitationi perversiorem addit, quasi lapidem super lapidem struit. Sed cum anima ad ultionem rapitur, talis cogitationum constructio dissipatur. Et hoc ideo, quia non cognovit tempus visitationis suæ. Perversam enim animam Deus aliquando visitat præcepto, aliquando flagello, aliquando miraculo. Sed quia superbiens contemnit, nec de malis suis erubescit, in extremo inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis societate colligatur.

CAP. XXXI. *De vinea et agricolis.*

Homo quidam plantavit vineam et locavit eam agricolis, et ipse peregre fuit multis temporibus, et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi (Luc. xx). Vineam Domini sabaoth, domus Israel est; coloni, operarii qui ad excolendam vineam; hora prima, tertia, sexta, nona, sunt conducti. Peregre fuit qui ubique præsens est, cum vinitoribus liberum arbitrium dereliquit. Primus servus qui mittitur. Moyses legislator intelligitur qui per quadraginta annos fructum legis, quam dederat a cultoribus inquirebat. Sed cæsum dimitunt inanem, quia *irrataverunt Moysem in castris, et Aaron sanctum Domini, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus (Psal. cv).* De quibus ipse ait: *Uva eorum, uva fellicis, et botri eorum amarissimi. Fel draconum vinum*

eorum (Deut. xxiii). Alter servus, David propheta est qui post Moysem vineæ colonos psalmodiæ modulatione et citharæ dulcedine ad exercitium boni operis invitabat. Sed et hunc contumeliis affectum: dimittunt inanem, dicentes: *Quæ nobis pars in David: aut quæ hæreditas in filio Isai?* (III Reg. xii). Qui tamen pro hac vinea, ne penitus exstirpetur, sic orat: *Domine Deus virtutum, convertere; respice de cælo, et vide, et visita vineam istam* (Psal. lxxix). Tertius servus, fuit chorus prophetarum, qui populum corripiebant, et mala quæ cultoribus vineæ imminabant prædicebant. Sed et illos persecuti sunt, et occiderunt. Cujus vineæ sterilitatem Jeremias deplorat, dicens: *Ego plantavi te vineam electam, quomodo conversa es in pravum vinea aliena? Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus eum, ut nostra sit hæreditas* (Jor. ii). Sic Judæi Ecclesiæ hæreditatem Christo præripere volunt, dum fidem, quæ per eum est, extinguere conantur: *Justitiæ Dei non subjecti, sed suam constituere volentes* (Rom. x). Et eji-

cientes eum extra vineam, occiderunt. Marcus mutat hunc ordinem, dicens: *Occiderunt, et ejecerunt eum extra vineam* (Marc. xii): in quo pertinacia eorum notatur, qui post resurrectionem prædicantibus apostolis credere noluerunt, sed quasi vile cadaver projicientes gentibus suscipiendum dederunt. Sed Dominus malos colonos male perdidit, dum incredulos Judæos in sua incredulitate dereliquit, et per principes Romanos longe lateque dispersit. Secundum moralem sensum vinea locatur, cum mysterium baptismi fidelibus ad exercendum opere committitur. Mittuntur tres servi, ut de fructu accipiant, cum lex, psalmodia, prophetia ad bene agendum hortatur: sed contumeliis affecti, vel cæsi ejiciuntur, cum sermo auditus vel contemnitur, vel blasphematur. Missum insuper hæredem occidit, qui Filium Dei contemnit, et Spiritui quo sanctificatus est contumeliam facit. Vineam alteri datur, cum gratia, quam superbus abjicit, humilis datur. Scribæ manum mittere in illum quærunt, sed timore retinentur, cum falsus quilibet unitatem Ecclesiæ propter honorum multitudinem, vel erubescit, vel timet impugnare.

LIBER QUINTUS.

IN JOANNEM.

(Non est Hugonis, imo nec excerptorum compilatoris.)

CAPITULUM I SEU PROLOGUS.

Inter omnes scripturas, sacra Scriptura excellit, cujus excellentia ex ipso nomine manifestatur. Sacra enim dicitur, quia ad sanctitatem nos instruit. Hæc autem in duo divisa est, in Vetus Testamentum et Novum. Sed, sicut sacra Scriptura excellit alias scripturas, sic et Novum Testamentum Vetus excedit. Vetus enim appetitum temporalium ingerit, Novum vero desiderium æternorum. Unde et illud Vetus dicitur, vel quia ad appetitum temporalium trahit, dicendo: Hoc et hoc facietis, et bona terræ comedetis: per quem appetitum nos veteri homini, scilicet Adæ, conformes efficimur; vel ideo Vetus, quia non permansurum, sed aliud ei successurum erat. Unde dicitur: *Supervenientibus novis vetera projicietis* (Levit. xxvi). Novum vero Testamentum ideo Novum, quia facit desiderium æternorum, quæ semper jucunda et delectabilia sunt; et ideo nova, quæ nunquam veterascunt; vel ideo, quia perduraturum est, nec aliud ei succedere debet.

Sicut autem sacra Scriptura alias excedit, et inter ipsas sacras Novum Testamentum Vetere dignius est, sic inter Scripturas Novi Testamenti Evangelium excellentius est. Unde et hoc nomen habet. Nam propter excellentiam suam hoc nomen com-

mune cæteris, proprium possidet quod Evangelium dicitur. Est enim Evangelium bona annuntiatio. Hæc autem annuntiatio bona in evangelica doctrina dignius est quam in aliis, tum propter rei completionem et præsentiam, tum propter fidei manifestationem, tum propter vitæ futuræ jucunditatem. Propter rei completionem; quia, cum in Veteri Testamento dictum sit: *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (Isa. vii), in Novo hoc completum esse annuntiatur, ubi dicitur: *Peperit filium suum primogenitum* (Luc. ii). Propter fidei manifestationem; quia, ibi fides Christi obscure prædicta est, hic vero aperte. Ibi enim velata facie videbantur in ænigmate, hic vero revelata et manifeste. Unde dicitur: *Multi reges, et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non potuerunt* (Luc. x). Propter vitæ æternæ jucunditatem, quia Novum Testamentum æterna promittit, quæ jucunda et delectabilia sunt. Ex fide enim, quam docet Evangelium pervenitur ad dilectionem, quæ dat vitam æternam. Hæc autem evangelica doctrina, nec paucitate constringitur, nec superflua multitudine dilatatur: quod esset, si vel unus tantum scripsisset, vel infiniti. Nam si unus tantum, minus crederetur. Unde dicitur in lege: *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum* (Deut. xvii). Si vero

infiniti, vilior haberetur, quod sic vulgo diffunderetur. Quare certo numero et congruo continetur. Quatuor enim tantum sunt Evangelia. Qui numerus tamen in multis aliis, sed præcipue in Ezechiele per quatuor animalia præfiguratus est (*Ezech. 1*). Sed inter hæc quatuor præcellit Evangelium Joannis: quod et in illis propheticis animalibus ostensum est. Nam Joannes aquilæ, quæ cæteris avibus altius volat, et intuitum in solem figit luminibus irreverberatis, comparatur, cum Domino ad cælum volat, ejus divinitatem altius cæteris intuendo. Unde dicit Augustinus eum adeo alte cœpisse, quod si altius intonisset, nec totus mundus eum capere potuisset, dicens: *In principio erat Verbum, etc.* Cæteri vero cum Domino in terra gradiuntur, qui de humanitate ejus egerunt. Ex ipso etiam ordine patet quod dignius est Evangelium ipsius quam aliorum. Est enim Joannes novissimus ordine scribendi, et perfectione doctrinæ. Scribendi ordine, quia diu sine adminiculo Scripturæ fidem Christi prædicavit. Sed in Pathmos insulam exilio relegatus a Domitiano, crebra revelatione consolatus Apocalypsim scripsit. Deinde mortuo Domitiano, permittente Nerva et toto senatu, rediit Ephesum. Sed eo absente multæ hæreses in Ecclesia ejus pullulaverant: unde rogatus ab episcopis Asiæ, ut contra hæreses illas scriberet, Evangelium scripsit in dicto triduo jejunio. In quo non solum hæreses pullulantes manifeste resecat, sed etiam quæ ab aliis prætermissa fuerant supplet. Legerat enim Evangelia aliorum, et veritatem historiæ approbaverat: sed quædam deesse videbat, et maxime gesta Domini ante incarcerationem Joannis, quæ ipse supplet. Multæ autem hæreses in Ecclesia illa pullulaverant. Fuerunt enim quidam qui dicebant Christum non fuisse ante Mariam: quem errorem destruit dicens: *In principio erat Verbum.* Dicebant alii quod idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus erat, quos cassat, dicens: *Et verbum erat apud Deum:* sicut alius apud alium. Alii quoque dicebant quod Christus ab æterno erat, sed Deus non erat; quos iterum confudit Joannes, dicens: *Et Deus erat Verbum.* Fuerunt item alii qui dicebant Christum non verum, sed plantasticum corpus habere: quos item dejecit, dicens: *Et Verbum caro factum est.* Est etiam novissimus perfectione doctrinæ, quia agit de æternitate Verbi, id est de divinitate, quod perfectissimum est. Unde ipse dicit: *Hæc est vita æterna cognoscere te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan. xvii*). Humanitas enim Christi lac parvulorum est; divinitas vero cibus grandium. Unde per humanitatem ad divinitatem gradu doctrinæ est ascendendum. Habet itaque Joannes communem materiam, Christum; intentionem, fidem Christi docere. Specialem vero materiam, divinitatem ipsius; intentionem vero hæreses pullulantes resecaere; et ea addere, quæ ab aliis dimissa erant, miracula Christi, et præcipue illa, quæ fecit Dominus ante incarcerationem Joannis et

A identitatem essentia divinae, et diversitatem personarum demonstrare.

Modus agendi talis: primum de æternitate Verbi agit, et de identitate essentia divinae, et de personarum diversitate; deinde narrat miracula gesta ante incarcerationem Joannis; postea communia etiam commemorat, donec ad sermonem Domini, quem habuit in cœna ad discipulos, veniat quem diligentissime et subtilissime describit. In eo enim Dominus de divinitate sua manifestissime docuit, ut de identitate essentia suæ cum Patre, et de diversitate personæ: quem sermonem nullus aliorum ausus est attingere. Quod vero dicitur tunc supra pectus Domini dormivisse, et in extasi raptus intellectu ea, quæ Dominus dicebat comprehendisse, non nego nec affirmo; sed hoc per illud, quod supra pectus Domini reclinasse et obdormisse dicitur, significatur quod altius de divinitate Christi cæteris hausit. Deinde de passione ejus et resurrectione ejus agit; et sic terminat Evangelium suum:

CAPITULUM II.

In principio erat Verbum (*Joan. 1*). Joannes scripturus Evangelium de divinitate Verbi incepit, ut hæreses et errores, qui habebantur vel haberi possent de divina Christi natura, et tolleret, et omnino resecaere. Sunt enim in Christo duæ naturæ, humana scilicet et divina. Errores vero, qui de humana natura ipsius haberi poterunt, cæteri tres satis abstulerant, quia de humanitate Christi sufficienter tractaverant. Quod idem ut de ipsius divinitate fiat, dicit Joannes. *In principio, etc.* *In principio, hoc est in Patre.* Pater enim est principium non de principio; Filius principium de principio, etsi sine principio.

Quæritur autem an possit dici de Spiritu sancto, quod sit principium de principio, et quod sit in principio? Ad quod dicimus, quod sit per hoc quod dicitur: *Filius est principium de principio, hoc intelligatur tantum, quod ipse est ex substantia Patris: illud idem veraciter dici potest de Spiritu sancto, quia et ipse est ex substantia Patris: et secundum hoc idem in Patre est, quia ex ipso est.* Usus tamen hujusmodi locutionum, ut dicamus: *Spiritus sanctus est principium de principio, vel est in principio, vel in Patre, non habemus: et deest dictum, etsi non causa dicti, et ideo non recipimus.* Vel si personam notant hujusmodi verba, *principium de principio; esse in principio, vel in Patre, ut hoc designetur quod Filius sit genitus a Patre; tunc nullo modo hoc Spiritui sancto convenire potest.* Item cum dicitur, quod Pater gignit Filium, quæritur an sic dici possit, persona gignit personam? Licet autem verus sensus in his esse possit tamen hoc est attendendum quod hæc nomina, Pater, Filius, ad illam generationem notandam sunt translata; persona vero nomen discretionis est: ad personalem enim discretionem faciendam est assumptum. Unde per hoc improprie illa generatio demonstratur. Et est notandum quod in sequentibus Filius in Patrem essentialiter

dicitur, ubi dicitur, *quia Pater in me est, et ego in Patre* (Joan. xiv), quod est, ego et Pater ejusdem prorsus sumus essentiae.

Item quaeritur quare Verbum Filius hic dicatur. Verbum autem duo significat, sicut et *logos* Graecum, cui aequipollet, scilicet mentis conceptum, et oris prolationem. Mens enim prius intus concipitur, quod postea oris prolatione manifestat. Sic et Pater Filium de substantia sua gignit per quem omnia disponendo ipse innotuit, et eum in tempore incarnando visibilem mundo exhibuit, et sic maxime mundo innotuit. Quoniam igitur per ipsum ab aeterno omnia disposuit, et per ipsum in carne venientem mundo innotuit, congrue in hoc loco eum evangelista Verbum nominavit. Hoc verbum erat substantivum; essentiam Verbi sine motu temporis, id est sine temporis consignificatione vel determinatione notat. Aliquando enim tempus consignificat, ut cum dicitur, homo est; aliquando non consignificat, ut cum de essentia divina agitur sicut hic: In principio erat Verbum, etc. Dicitur autem substantivum, quia substantiam rei tantum, et simpliciter demonstrat, nulla accidentis participatione. Caetera vero verba adjectiva sunt quia per ea accidens subjecto demonstratur inesse; hoc vero verbum substantiam [subjectum] esse simpliciter notat. Unde etiam si qua res omnibus accidentibus spolia tantummodo esset, hoc verbum ei conveniret. Quare proprie Deo competit, cujus esse simplex et verum est. Erat quoque, praeteritum imperfectum melius ponitur hic quam est vel fuit, ad generationem verbi designandam, ut per hoc quod praeteritum imperfectum inchoationem rei significat et nondum perfectionem, demonstratur generatio illa ab aeterno fuisse et nondum completa, id est terminata esse. Non tamen hoc dico, quin illa generatio perfecta sit (ibi enim nihil imperfectum esse potest), sed quod terminata non est. Semper enim Pater plene gignit Filium, et Filius perfecte semper gignitur a Patre. Unde et Pater ab aeterno Pater est, et Filius ab aeterno Filius est: neuter enim sine altero esse potest. Unde melius dicitur secundum Ambrosium, Pater gignit Filium quam genuit, ne generatio illa finita esse videatur. Quam et ab aeterno fuisse, et semper perfectam esse ostendit Augustinus referens illud: *Ego hodie genui te* (Psal. ii), ad aeternam filii generationem. Dicit enim satis congrue ibi poni adverbium praesentis temporis et verbum praeteriti, ut per hodie aeternitas generationis illius significetur, et ejusdem perfectio et completio per verbum praeteritum demonstratur. Ex eo itaque quod dicitur, Verbum fuisse in principio, ostenditur ipsum ab aeterno fuisse; et ipsum principium omnium esse; et etiam aliam personam a Patre esse: quae tamen evidentius in sequentibus apparent. Ipsius autem Verbi Pater principium est, qui et omnium principium est. Hujusmodi autem locutio apud auctores invenitur: quare in sequentibus dicetur an eodem modo Pater principium

A Filii dici possit, quo et aliorum principium dicitur.

Apud Deum, tanquam alius apud alium. Neque enim Filius est idem qui et Pater, nec Pater idem qui et Filius: quod est contra illos, qui dicebant, eundem cum vult esse Patrem, cum vult Filium, cum vult Spiritum sanctum. Deus hoc nomen hic personale est. Naturae autem cum caetera nomina personalia praemittuntur huic, vel consequuntur, hoc nomen Deus indignatione Patris solet accipi. Sed cum supponitur: *Et Deum erat Verbum*, idem est ac si dicatur: Verbum erat Deus, et ponitur hoc nomen Deus in praedicatione in designatione naturae divinae, quae communis est toti Trinitati. Quod bene licet fieri hoc modo, licet in praecedenti personale sit. Et contra haereticos illos qui dicebant Filium ab aeterno esse, et Deo coaeternum esse, non tamen Deum esse. Per hoc autem quod dicitur, quod in principio hoc erat apud Deum, confutantur haeretici illi qui dicebant Christum non esse ante Mariam, sicut et in praecedenti, et illi qui putabant Filium creaturas tantum dignitate praecedere, non etiam existentia. Praecedit autem creaturam Filius et dignitate et existentia. *Omnia per ipsum, facta sunt*, etc. Postquam Verbi aeternitatem ostendit, dicit omnia per ipsum facta esse. Sunt autem tria genera operum, quae omnia per ipsum fiunt. Sunt enim quaedam quae de nihilo creavit Deus, ut elementa quatuor, non ex materia praesenti et forma, ut fingunt Platonici, juxta quae proprie Creator dicitur. Creari enim proprie illa dicuntur, quae de nihilo fiunt. Sunt autem alia, quae ipse per se, item ex materia et forma composuit, ut in principio homines et caetera quae de terra formata sunt animalia. Unde dictum est in Genesi: *Producunt aquae pisces et volatilia, et terrae arbores et hujusmodi* (Gen. i). Neque enim tunc aliqua natura fuit, ex qua hujusmodi formari possent; sed tunc Deus naturam inseruit ut similia ex similibus nascerentur. Juxta haec opera Deus proprie formator dicitur. Unde formavit Adam de limbo terrae. Tertia vero opera naturae sunt: ut quod homo ex homine, canis ex cane, arbor ex arbore: quae tamen Deus facit, mediante natura. Sunt etiam opera miraculorum, de quibus alias dicetur. D Sunt item opera artificis imitantis naturam: quae omnia fiunt per Filium Dei. Facultatem enim hujusmodi faciendi contulit Deus. Unde et ipse omnium auctor est.

Sed quaeritur de mala voluntate et de mala actione, an per ipsum fiant. Quod si dicatur, sic et malum et peccatum per ipsum fieri dici posse videtur, cum et mala voluntas, et mala actio peccatum sit. Non sunt hujusmodi verba recipienda, quod malae voluntatis, vel malae actionis Deus auctor sit, quia Ecclesia hujusmodi verba damnat. Nam sensum hunc faciunt secundum usum Ecclesiae quod ex Deo malitiam contrahant, quod falsum est. Veritas tamen dici exigit, quod omnis essentiae voluntatis, et actionis Deus auctor et causa est. In actu

enim homicidii quid est, cujus Deus causa non sit? Neque enim quod levo manum ad percutiendum aliunde est quam ex facultate, quam Deus mihi dedit; sed neque ipsum percutere aliunde est. Si autem actus iste, quod manum erigo ad percutiendum pauperem in eo quod actus est, attendatur, nihil in ipso reperitur quare a Deo non sit magis quam in isto quod erigo manum ad sustentandum pauperem. Neque tamen peccatum aliquid est, cujus Deus auctor sit: ipsum enim nihil est. Unde a quibusdam sic determinatur per negationem, quæ tollit, et nihil ponit. Est enim peccatum, non facere quod quis credit pro Deo faciendum esse, vel non dimittere quod credit dimittendum esse propter Deum. Alii dicunt quod privatio bona est, vel privatio debili finis, vel perversitas voluntatis. Privatio autem actio, vel voluntas debito fine cum ad aliud dirigitur, quam ad quod dirigi debet. Debet enim dirigi ad honorem Dei, quod cum non fit, pervertitur, et fit peccatum. Sed cum voluntas malo fine informata mala sit; et tamen in se, id est in eo quod aliquid est, bona videtur: quod eadem voluntas secundum aliud et aliud bona et mala sit, et ita quod contraria sint in eodem; quod dicit Augustinus dicens: Regulam dialecticorum hic falli, cum omne malum sit bonum corruptum. Sed dici potest, quod non in qualibet acceptione bonum et malum sint contraria: cum enim dicitur, quod hæc voluntas bona est ex eo quod a Deo esse habet, hic dicitur, quod prodest, vel quod similitudinem habet cum suo Creatore. Unde dicitur quodlibet de singulis a Deo creatum bonum esse et de omnibus simul, *quod erant valde bona* (Gen. 1). Si enim in quolibet factorum aliquid divini decoris erat, multo magis in omnibus convenientissime ordinatis pulchritudo Creatoris apparebat. Unde cum dicitur quod voluntas hoc modo bona est, et item quod hoc modo mala est, id est ad malum fidem directa, non sunt contraria bonum et malum. Quare nec hanc locutionem recipimus, quod eadem voluntas sit bona et mala, quia ex forma ipsius in contraria significatione acciperetur bonum et malum, scilicet quod eadem dirigeretur ad bonum et malum: quod esse non potest. Patet itaque Deum auctorem omnium esse tanquam supremam causam et originem, a quo omnia emanant, sive per ipsum fiant nullo mediante, sive aliquo mediante, vel natura, vel facultate ab ipso collata. Unde quidam hoc, quod dicit evangelista: Omnia per ipsum facta sunt, referunt ad opera quæ ipse facit per se, vel natura mediante. Quod vero sequitur: *Et sine ipso factum est nihil*, ad ea referunt quæ fiunt a nobis. Ambrosius quoque scribens ad Gratianum episcopum, et Joannes Chrysostomus sic distinguunt: Sine ipso factum est nihil *quod factum est*, propter hæreticos quosdam, qui occasione horum verborum dicebant Spiritum sanctum factum esse, eo quod evangelista mentione facta de Patre, et Filio statim subjuxerit:

A Omnia alia facta esse. Usus tamen Ecclesiæ aliam habet distinctionem. De idolo quoque dicit Apostolus, quod nihil est (*I Col. viii*). Dicitur autem secundum originem simulacrum representatio rei existentis, vel cujus similitudo inter res invenitur. Idolum vero representatio rei non existentis, ut hircocervi, chimææ, et hujusmodi. Unde quia illud representat, quod nihil est, et ipsum nihil esse dicitur, a causa effectum translatum. Vel idolum dicitur illa fictio mentis, qua fingimus lignum Deum esse, vel illi præsidere: quod nisi falsitas non est, et ideo idolum nihil est. Juxta quod dicitur: *Destruere idolum cordis tui*. Vel ibi dicitur: *Idolum nihil esse, id est nullius efficaciæ, ut inde cibi sanctificentur et inquinentur*.

B *Quod factum est, in ipso vita erat*. Ne quis secundum creatam Deum inspiceret, ut quemadmodum mutabilitas in ipsis est, sic sit et in create, ostendit ipsum immutabiliter omnia mutabilia creasse. Nam ad ipsum dicitur... *Immotusque manens das cuncta moveri*. Sicut enim dum artifex mente concipit, similitudo manet, nec mutatur re mota, sic, Creator omnium, Deus ab æterno sapientia sua omnia comprehendit quæcunque facturus erat, sed immutabiliter. Unde non est omnimoda similitudo inter mentem artificis, et mentem divinam, quia in conceptu artificis motus est, quia prius et posterius: et sic variatio. In comprehensione vero divina nullus est motus, nulla variatio, cum ipse Deus sit ipsa comprehensio. Unde dicitur, quod ipse *disponit omnia suaviter* (*Sap. viii*), sine motu scilicet et labore. Propter hanc suavitatem, dicitur ibi, *vita esse, quod factum est*. Habet enim Pater vitam in semetipso, et dedit Filio habere in semetipso. Unde vita quæ in ipso est, differt a vita hominis, quæ anima est, et a vita animæ, cum tamen vita animæ ipsa sit: motum enim vivendi in se habet, non ab alia creatura contrahit. Sed tamen ipsa anima a vita, quæ Deus est, in tribus inferior est, et quod mutabilis est, et quod initium habet, et quod finem habere potest. Vita vero Dei et invariabilis est, nec initium, nec finem habet. Unde hæc sola vera vita est. Unde dicit evangelista: *Quod factum est, in ipso vita erat, id est Deus a quo omnia, quod ab æterno providit, immutabiliter tempore complevit*. Deus enim per sapientiam, quæ ipse est, omnia ab æterno disposuit, et disposita tempore complevit. Unde et a sapientia Dei omnia et vitam et esse habent. Unde et bene ibi *vita esse dicuntur*, quia inde vitam contrahunt. Vel ibi *vita fuit*, quia juxta sapientiam Dei, quæ vita omnium est factum est, omne quod factum est. Hoc enim exemplar Dei fuit, ad cujus exemplaris similitudinem totus mundus factus est, et est hic ille archetypus mundus, ad cujus similitudinem mundus iste sensibilis factus est. Neque enim dicendum est quasdam rationes in mente divina esse infra Creatorem, et supra creaturas consistentes. Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit. Neque varietas pro-

prietatum ibi potest esse, ubi nihil nisi esse est. Est enim Deo idem esse, et vivere. Unde et simplex essentia est carens partibus et proprietatibus.

Quæritur an hæc locutiones recipiendæ sint: lapis in Deo vita fuit, homo in Deo vita fuit? Quædam enim auctoritates hoc videntur velle. Sed non oportet hujusmodi figuras loquendi extendere, licet in vero sensu dici posset, lapis in Deo vita fuit, id est Deus ab æterno lapidem futurum esse prævidit. *Et lux in tenebris lucet*, etc. Lux ista sapientia Dei, quæ lucet intus per cognitionem, exterius per creaturarum repræsentationem; unde homo sive ingreditur, sive egreditur, pascua invenit. Hæc lux in tenebris lucet, id est in peccatoribus, qui tenebrosi sunt, velut dicit Paulus: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (Rom. 1). Tenebræ vero eam non comprehenderunt.*

Quomodo dicitur, quod eam non comprehenderunt, cum hoc dicat Apostolus, quod jam posuimus? Et iterum: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis (ibid.)*. Quia philosophi trinitatem personarum et unitatem essentiæ divinæ comprehenderunt. Et tamen benedicuntur quod lucem illam non comprehenderunt, quia intus per amorem non incluserunt. Comprehenderunt eam igitur per cognitionem, sed non comprehenderunt per dilectionem. Comprehensio enim ejus lucis duplex est, aut cognitionis, aut dilectionis; non autem dilexerunt, *sed cum cognovissent, non gratias egerunt, aut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis (ibid.)*. Vel ita dici potest: *Lux in tenebris lucet*, id est apparet in malis, ut in Nerone et in aliis, quanta pœna paretur aliis eorum sequacibus. Unde dicit Apostolus: *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, etc. (ibid.)*. Et tamen alii eam non comprehendunt, ut eorum exemplo ab illa ira fugiant, et sibi caveant. *Fuit homo missus a Deo, etc.* Refectis erroribus, qui habebantur de divinitate Christi, vult etiam evangelista prorsus omnes hæreses resecare, quæ de humanitate ipsius haberi possent. Dicebant enim quidam humanam naturam in Adam sic perditam ut reparari non posset. Unde ut hanc et alias hujusmodi hæreses tollat evangelista, ab alto volatu contemplationis divinæ naturæ descendit ad humilitatem veritatis naturæ humanæ: ad quorum manifestationem dicit Joannem Baptistam missum esse. Unde sic jungitur hoc cum superiori. Tenebræ lucem non comprehenderunt; sed ut comprehenderetur, *fuit homo missus a Deo, etc.* Quidam veniunt, quidam mittuntur. Qui veniunt, aut a se veniunt quærentes quæ sua sunt, non quæ Dei; aut a diabolo mittuntur, quando instinctu diaboli veniunt, vel ad pacem Ecclesiæ Dei turbendam, vel ad errorem inducendum, vel ad aliquid hujusmodi. Eorum qui mittuntur, alii mittuntur ab homine, alii a Deo. A Deo ut apostolus Paulus, qui a Deo electus, non ab aliis apostolis. Ab homine, ut illi qui ab apostolis ad prædicandum sunt missi, sed quod ab homine non tollit

A quin a Deo, imo a Deo eliguntur per homines, sicut et alii convertuntur a Deo per prædicatores. Hic autem Joannes a Deo missus est non per hominem, sed per divinam inspirationem. *Erat Joannes*. Quæ divina dispositione fiunt, potius dicuntur esse, quam fieri. Neque enim hoc nomen secundum voluntatem hominum est impositum, sed secundum Dei dispositionem. *Hic venit*, etc. Cum præmissum sit: Fuit homo missus, in quo gratiæ divinæ electionis notatur, subjungit: Venit, in quo liberum denotatur arbitrium, quod gratia præveniente, motum et excitatum ipsi consentire debet et cooperari: aliter enim meritum non consistit. Ut igitur evangelista hæc duo notaret, scilicet conjunctionem istorum, et gratiæ præventum, secundum ordinem præmisit missus, et supposuit venit. Lumen dicitur Filius Dei, quia in amore Dei nos accendit. Sicut Verbum propter cognitionem, quam nobis de Patre confert, sic et vita propter creationem. *Lux vera*. Est enim lux illuminata, est et lux illuminans. Lux illuminata, velut apostoli, de quibus dicitur: *Vos estis lux mundi (Matth. v)*. Lux illuminans, quæ ex se lucens, quæ et vera est, id est Christus.

Sed cum Christus dicatur lux illuminans, quæritur secundum quam naturam lux dicatur. Sicut enim in homine duæ sunt naturæ, scilicet corpus et anima, secundum quarum utramque aliquid de ipso homine dicitur: ut quod est albus secundum corpus, rationalis secundum animam, sic et in Christo duæ sunt naturæ, secundum quas sermo solet de ipso fieri. Si vero dicatur quod lux sit illuminans secundum quod Deus, hoc verum est; sed tunc non in hoc, quod hic dicitur, homo assumptus aliis præfertur hominibus, secundum quod homo est. Sed tunc si dicatur lux illuminans secundum quod homo, tunc secundum quod homo, est Deus; et sic secundum quod homo, Patri æqualis. Quod quidem falsum est, quia secundum quod homo Patre minor est. Est autem dicendum, quod secundum quod homo lux illuminans est, quia secundum quod homo plenitudinem donorum habet, de qua plenitudine nos accipimus omnes, et sic ab ipso illuminati sumus. Ipse enim secundum quod homo de plenitudine sua nobis confert, non tamen secundum quod homo Deus: neque enim secundum illam Deus, sed homo est. *Illuminat omnem hominem*: non quod omnes illuminentur, sed quicumque illuminatur, per ipsum illuminatur. Vel hominem superiorem naturam vocat in homine, scilicet rationem; vel omnem hominem, quia de omni genere aliquem. *In mundum venit*, id est in carne apparuit. *Et mundus eum non cognovit*. Non habuit cognitionem dilectionis, licet haberet cognitionem discretionis, ut superius dictum est. *In propria venit*, id est in nostra communi natura: carnem enim accepit passibilem mortalem, immunem autem a peccato. Vel in propria, scilicet regni filiorum Israel, ad quem se missum dixit; sed sui eum non receperunt, nisi pauci. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Idem videtur esse eum recipere per fidem, et potestatem hanc habere scilicet posse effici filios Dei.

Unde quæritur quare præmiserit, receperunt, et postea subjunctum: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: tanquam ipsi per se ex libero arbitrio fidem recipere possent, et potestatem illam non haberent nisi ex gratia. Ad quod dicimus quod idem est recipere vel habere et potestatem filios Dei fieri habere. Et tamen convenienter præmittitur, receperunt, ut liberum arbitrium valere ad promerendum ostendatur. Sed ne absque gratia præveniente ad bonum flecti posse putetur, convenienter supponitur, et dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ex gratia enim fides et dilectio nobis datur, per quam filii Dei efficimur et imitatione, et beatitudinis participatione. *Credere in nomine ejus*, est notitiam fidei ad laudem et honorem ipsius habere. *Qui non ex sanguinibus*, etc. Determinat quomodo filii Dei fieri possint: non scilicet per carnalem generationem, ex qua omnes corrumpuntur, sed per spiritualem regenerationem, quæ fit per fidem; per fidem enim Christi innovamur, et a vetustate eximus. *Et vidimus gloriam ejus*, etc., gloriam id est, ipsum gloriosum apparentem in carne in transfiguratione, vel resurrectionem ipsius gloriosam, vel cognitionem plenam quæ in ipso fuit. Unde et perfectam beatitudinem habuit: *Hæc est enim vita æterna, cognoscere te Patrem Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii). *Gloriam quasi*, etc. Hic quasi, non est similitudinis, sed confirmationis. Est enim revera unigenitus Dei Filius. *Plenum gratiæ et veritatis*, id est plenitudinem gratiæ vere habentem. Erat enim in ipso plenitudo omnium donorum. Joannes testimonium perhibet de ipso. Interserit evangelista testimonia, quibus utraque Christi natura probetur; maxime tamen pertinet ad divinitatem Christi probandam. Agit autem satis artificiose nunc interponendo testimonia, nunc ad narrationem revertendo. Clamabat, id est aperte prædicabat. In lege enim quædam erat cognitio, sed obscura et sub figuris velata. Joannes vero aperte dicebat: *Hic est Christus in lege promissus. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

De hac plenitudine quæritur cujus sit; sed dubium non est quin Christi sit, sed secundum quam naturam? secundum divinam, eam ab æterno naturaliter habuit, sed in tempore eam secundum humanam accepit. Fuit itaque hæc plenitudo Christi secundum humanam naturam. Unde quæritur, quomodo in eo fuerit secundum humanitatem. Utrum tantam plenitudinem habuit secundum humanam naturam, quantam secundum divinam. Volunt autem quidam ex hac auctoritate et ex aliis quibusdam quod anima Christi tantam scientiam habuerit, quantam et Deus. Dicitur enim, quod quidquid habuit Filius Dei per naturam, habuit filius virginis per gratiam. Unde dicunt, quod tantam habet anima illa scientiam per gratiam, quantam et Filius Dei per naturam; non tamen æqualis est et in scientia vel in

A aliquo alio. Cum aliter habeat anima, aliter Deus. Deus enim habet illam per naturam, anima vero per gratiam. Æqualitas tamen solet considerari secundum quantitatem et non secundum qualitatem ut si hic tantas divitias habeat ex acquisitione, quantas ille ex patrimonio, æque illi dives dici potest. Gratiam per gratiam, quia ex gratia, quam dedit ad promerendum, dabit tandem vitam æternam; et sic totum ex gratia est, et quod meremur et quod meriti fructum consequimur. Nec tamen excludo liberum arbitrium, quod gratiam oblatam non repellit, sed ei consentit. Potest quidem ex se consentire, sed non consentit absque auxilio gratiæ. Vel pro gratia electionis dat gratiam dilectionis et operationis. *Lex per Moysen data est; veritas per Jesum Christum facta est.* Quia quod Moyses docuit, ipse adimplere nequaquam potuit; unde dedit quod ipse facere non potuit; sed Jesus Christus quod docuit, hoc ipsum etiam opere adimplevit, unde dicitur: *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (Act. i). In Moyse quidem figuræ præcesserunt; in Christo vero figuram adimpletio, unde et veritas per ipsum facta est. *Deum vidit unquam.* Nemo enim in carne Deum, ut est, videre potuit. Unde per creaturas, vel signa aliqua patriarchis et prophetis apparuit. Moysi quoque quærenti ut ipsum sibi ostenderet, respondit: *Sta in caverna petræ, et videbis posteriora mea* (Exod. xxxiii). In caverna petræ hoc est, in cruce Christi et videbis posteriora, id est carnem assumptam, quæ inferior natura Christi est. Paulus quoque cum raptus ad tertium cœlum secreta illa videret, quæ non vidit homo, supra hominem fuit. Unde et ipse dicit: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (II Cor. xi). Illa vero visio, qua videbitur Deus facie ad faciem, in futuro erit. Unde quod dicitur modo apparere in creatura aliqua; nihil aliud est, nisi per subjectam aliquam creaturam, voluntatem manifestare. Ipse enarravit. Prophetæ narraverunt, sed nullus eorum enarravit; sed ipse in carne veniens enarravit. Multa enim dixit de se, quæ alii non dixerant; et evidentius dixit quam alii. Quod quidem ipse bene potuit cum sit in sinu, id est in secreto Patris, id est genitus de essentia Patris. Unde ipse illam generationem plene enarrare potuit, cum æqualis Patri per illam generationem sit. *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Quia unio illa habitus in ipso fuit. Ex quo enim semel assumpsit nunquam deposuit. Et hic est habitus inventus ut homo. Christus hominem assumptum nunquam deposuit. Semper enim ex quo assumpsit eum sibi in unam personam unitum habuit; quia et in morte hominem unitum sibi habuit, id est animam et carnem. Tunc etiam homo fuit sub eodem sensu, quia humanam naturam sibi unitam habuit. Unde non est quærendum an homo mortuus tunc esset, an vivus: *Ego vox clamantis in*, etc. Præco Domini vocem Christi se confitetur, quod nullus præcedentium dicere potuit. Est enim vox animi interpres, quæ sine fructu est, nisi cum

verbum sequatur. Sic et Joannes vox est, id est præco animi, id est Christi, qui est sapientia Patris, et mens quæ vox omnino inutilis esset, nisi Verbum eam sequeretur. Vel vox dicitur Joannes, quod nullus aliorum dici potuit, quia quemadmodum inter vocem et verbum nihil est, sic inter Joannem et Verbum Dei nihil medium fuit. *Et qui missi fuerant*, etc. Erant tres sectæ Judæorum, Essæi, Sadducæi, Pharisei. Essæi nihil proprium retinebant; solem autem orientem adorabant. Sadducæi, id est *justi*, qui resurrectionem negabant, asserentes animas simul interire cum corporibus. Pharisæi vero periti in lege, diversi a plebe excellentia suæ scientiæ dicebantur; hi suam justitiam ostentabant; hi vero in multis Joannem audiebant, quia resurrectionem corporum prædicabat, quam et ipsi futurum credebant, licet carnalem. *Medius vestrum stat [stet]*, etc. Medium dicitur, quod distat æque ab utroque extremorum, sic Christus distabat ab illis, quia sine peccato, et idcirco eum non noverunt. Vel medium commune et vile dicitur. Unde quia Dominus in communi et vili natura apparebat, non potuerunt eum scire, unde medius fuit Christus quia mediator Dei et hominum; quod non possit esse, si solum Deus, vel solum homo esset; et quoniam erat Deus et homo, idcirco eum non cognoverunt. *Cujus non sum dignus*, etc. Non est dignus, quia ejus officii non est prædicare sed baptizare, vel nomen sponsi usurpare. Tangitur legis consuetudo. Mos enim in lege fuit, quod si quis habens uxorem moreretur non relicto semine, proximus cognatione eam duceret, et suscitaret semen fratri suo; quod si nollet, alter eam duceret et ipsum in porta discalciaret et in faciem ejus spueret, et postea dicebatur domus discalciati in opprobrium illius. *Altera die*, etc. Potest enim hoc relativum, altera, vel ad diem præcedentem, in quo venerunt Pharisei ad Joannem referri, vel ad illud, altera, quod subsequitur: *Venit vir*, id est viriditatem habens; unde spes fructus esse potest, ubi enim nulla viriditas est, ibi nec spes fructus esse potest. In Christo vero viriditas fuit; ex qua nos omnes fructificavimus. Baptizatus a servo, ne dedignentur superiores ab inferioribus baptizari. Non autem solus voluit ab ipso baptizari, ne ipse ex Joannis baptismate aliquid accepisse videretur. Neque enim baptismus Joannis aliquid alicui contulit, sed morem tantum, et consuetudinem induxit.

Vidit Spiritum descendentem sicut columbam, etc. De hac columba quæritur quid fuerit? Sed patet quod creata tunc fuit, sed paracto officio suo in materiam illam statim redacta. est de qua formata est, sicut stella, quæ in nativitate Domini magis apparuit. Et fuit revera columba sicut et illa vera stella. Spiritum vero sanctum descendisse nihil aliud est, quam columbam descendisse significantem Spiritum sanctum. Est enim columba simplex animal et sine felle, per quam benignitas Spiritus

sancti designatur. Nec est credendum Deum aliter fuisse in illa columba quam in aliis creaturis.

Et ego nesciebam eum, etc. Quæritur quid intellexit Joannes, quod prius non intelligeret. Et dicit Augustinus; quod non intellexerat prius, quod potestatem baptizandi sibi esset reservaturus et nulli ministrorum suorum eam collaturus, cum alicui ministrorum dare posset si vellet, sed noluit, ne tot baptismi putarentur quot ministri, si diceretur baptismus Petri, Pauli, et aliorum, et ne efficacia illius potius homini ascriberetur quam Deo.

Sed quæ sit ista potestas, quam servis dare posset si vellet, quæritur. Nunquid posse intingere est illa, quam dare noluit? sed ministri intingunt; quare hoc posse non est illa potestas. Si vero dicatur, quod illa sit potestas remittendi peccata, hanc nec servis dedit, nec dare potuit. Est autem illa potestas quam dare posset si vellet, ut invocatione nominis Petri vel alterius servi efficacia daretur Sacramento remittendi peccata, sicut invocatione nominis Trinitatis. Hanc autem potestatem Christus sibi retinuit, nec alicui suorum dare voluit, propter supradictas causas. Vel prius nesciebat Joannes quod ipse Christus per mortem propriam mundum redempturus esset: vel nesciebat eum, hominem et Deum esse. Et *manentem*, etc. Sedit columba super eum, ut per hoc ostenderetur, quod in eo semper manet plenitudo donorum Spiritus sancti. Est autem in aliis Spiritus sanctus, nunc manens nunc recedens; sed in eo semper fuit. Columba ramum extra arcam inventum si fractum habet fert ad arcam; sed quomodo viridis extra arcam esse potest? Fructum enim fidei quis potest habere, nisi per baptismum in Ecclesiam introducat? Potest autem dici, quod cum jam in aquis sit baptismi jam viriditatem ex vi sacramenti suscipit, ut in eam inducatur. Post susceptionem enim baptismatis statim de membris Ecclesiæ est. Vel multi antequam ad fidem veniant, rem Babylonis fideliter administrant; et quia bene se habent in alieno, merentur curam sibi dari de proprio. Propter hanc itaque bonam operationem et bonum mentis affectum, majus eis revelatur, et participes Ecclesiæ efficiuntur, ut de Cornelio legitur, cujus orationes exauditæ sunt, ut Petrus ad eum mitteretur et fidem ei revelaret (*Act. x*); nec tamen affectum, qui charitas est, prius habebat.

Altera die postquam Pharisei venerunt ad Joannem. Rabbi, quod dicitur interpretatum magister. Quæritur quis hoc dixerit, an evangelista, an alius? Et est manifestum quod Joannes Græce scribebat. Rabbi vero Hebraicum est, quod evangelista Græce interpretatus est dicens, quod est interpretatum *διδάσκαλος*. Quod Latine dixit ille qui de Græco in Latinum transtulit. Erat Andreas unus duorum discipulorum, qui ad Christum venerunt imperio Joannis; alter vero Joannes iste evangelista. Sed solent discipuli nomen suum subjicere quando aliqua

magna de se dicunt, ne occasionem extollendi se habeant sicut e contrario nomen ponunt quando humilia de se dicunt. Nec est reprehendendum quod Paulus de se magna dicit, dicens: *Hebræi sunt et ego, etc.* (II Cor. xi). Sed quandoque stulti sunt patiendi, ne et nos impatientes esse videamur. Quandoque repellendi, ne eis consentire putemur. Intuitus autem cum Jesus. De hac intuitionem quidam errorem sapiunt. Dicunt enim quod quoddam seminarium, id est quamdam habilitatem a creatione datam, unde magis aptus est iste ad credendum et obediendum quam ille, videt Deus in isto, unde magis eligitur iste quam ille. Veluti quædam signa futuræ bonitatis apparent in hoc populo, quæ non in illo. Sed hoc esse falsum patet, tum ex aliis multis, tum præcipue ex eo quod dicit Dominus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si hæc, quæ in te facta sunt, prædicata essent in Tyro, et Sidone, dudum sedissent in cinere, et cilicio* (Luc. x). Unde apparet aptiorem fore terram illam ad excolendum quam terram Judæorum. Ex quo et illud manifestum est quod majorem habilitatem cordium non attendit Deus in vocatione sua. Imo ex eo quod minus apta ad se convertit, gratia major et gloriosior esse apparet, quam minorare videntur, qui eam ex tali aptitudine operari asserunt. Non est igitur aliquid in corde quare Deus eligat, sed in secreto cordis operatur gratia sua Deus, unde ad pœnitentiã et dilectionem movetur, unde salutem æternam promeretur. Et hoc est ipsum secretum cordis intueri occulte per gratiam in corde operari, ut ab errore ad cognoscendam veritatem moveatur, et sic vita dignus fiat. *A Nazareth potest aliquid boni esse? Vivacitas est efficacia mysterii. Nazareth interpretatur flos vel germen.* Sicut autem in flore tria sunt, quod ab arbore sine læsione prodit, et ad decorem arboris est, et spem fructus habet; sic et Christus de virga Aaron, id est de beata virgine sine omni læsione prodiit nascendo. Fuitque ipsi ad decorem; ex ipso enim benedicta dicitur inter mulieres et ipse *speciosus forma præ filiis hominum.* In quo quidem est nobis spes fructus vitæ æternæ. *In quo dolus non est.* Dolus enim est quando aliud agitur, et aliud intus simulatur: scilicet cum aliud intus cogitatur, et aliud foris ostenditur, quales erant Pharisei. Iste vero Nathanael talis non erat; sed si quod vitium intus erat, foris confitebatur. *Cum esses sub ficu, etc.* Dicunt quidam ad litteram sic fuisse, quod ille cum legis doctor esset ad meditandum de redemptione generis humani exisset, et sub aliqua ficu sedisset. Alii dicunt quod hoc tantum ad ficum illam, de cujus foliis perizomata sibi fecerant Adam, et Eva post peccatum, referendum est. Omnes nos enim, ut dicunt, ibi fuimus, id est in Adam, unde et in Adam peccavimus, ibique corrupti sumus. Sed quomodo ibi esse potuimus, aut ibi corrumpi, cum adhuc nihil prorsus essemus? Dicunt autem, quod materialiter ibi fuit totum humanum genus, et unusquisque aliqua

PATROL. CLXXV.

A pars corporis Adæ fuit. Quod quidem esse non potest, cum nec etiam tot atomi in Adam esse potuerint, quot homines postea exstiterunt. Quamlibet etiam partem hujus corporis, unam partem corporis Adæ fuisse necesse erit secundum hanc sententiam. Nos vero dicimus hoc totum falsum esse, quia nec omnes ibi fuimus, nec omnes ibi peccavimus, vel corrupti sumus. Quod autem dicit auctoritas, verum est quod omnes peccavimus in Adam, id est omnes causam peccati inde contraximus. Et sub eodem sensu tota humana natura ibi corrupta est: illi enim factum est peccatum, propter quod tota posteritas corrupta est. Propagatio enim humani generis semper per corruptionem generando descendit. Omnis enim homo in corruptione generatur. Et hoc contrahimus per Adam, ex cujus origine nos omnes descendimus: ipse enim origo nostra fuit, unde et ab ipso originem trahimus. Quod autem dicitur hic, cum esses sub ficu, *vidi te*: sic intelligitur, cum esses sub umbra legis, vel mortis vidi te per dispositionem. Ab æterno enim de ejus salute disposuerat, vel de ejus vocatione. *Majus his videbis, etc.* Quia cum Messiam crediderunt, datum est eis plus cognoscere de ipso. Hoc scilicet, quod et Deus erat non tantum homo, quod adhuc credunt Judæi de Messia, quod purus homo futurus sit. Amen, amen, Hebraicum verbum, et sonat *vere vel fiat*; nec est ab aliquo interprete mutatum, ne mutatum vilesceret, et est quasi Dei juramentum. In hoc autem solo Evangelio invenitur duplicatum. *Videbitis cælum apertum, etc.* Hoc est illud majus, quod eis promisit Dominus videntum. In hoc autem cognitio demonstratur utriusque naturæ.

Et tertio die nuptiæ factæ sunt, etc. (Joan. ii) Tertio scilicet a primo, vel a vocatione illorum discipulorum. *Quid mihi et tibi mulier?* Non est hic negantis, vel contemnentis matrem, quam ipse honorare jubet, ut dicunt hæretici, qui dicunt corpus phantasticum Christum habuisse, sed est ostendentis hoc, quod ipsa petebat, non posse fieri ex eo quod ex ipsa acceperat, ex humanitate scilicet, sed ex divinitate tantum. *Nondum venit hora mea.* Hinc item volunt habere hæretici, quod fatali necessitati mortis subjectus esset, ita scilicet quod ex necessitate moreretur. Erat quidem hora mortis præfixa in divina dispositione, sed nulla fatali necessitate. Quando enim voluit mortem suscepit; unde et ipse dicit: *Habeo potestatem ponendi animam meam; et iterum sumendi eam* (Joan. x). Et est ac si dicat: Ex eo quod a te habeo, non possum miracula facere, sed qui habeam ex te apparebit, cum ego pendens in cruce te matrem discipulo commendabo. *Metretas binas vel ternas.* Quia quædam binas, quædam ternas. Non est enim hoc dubitantis. Metros Græce mensura dicitur unde *μετρηται*, metrete vel ad mysterium referatur. *Architriclinus.* Triclinium dicitur, ubi sunt tres lecti, id est tres ordines discumbentium, ut in refectorio monachorum, quorum

princeps et supremus, id est qui illis præest, archi-
trichlinus dicitur. *Hoc fecit initium signorum Jesus.*
Quomodo hoc initium signorum fuisse dicitur,
cum et ante, cum esset annorum duodecim sede-
ret in templo, et quæreret, et responderet? Et cum
descendisset in Ægyptum, omnia idola corrui-
dicantur. Sed initium fuit hoc eorum, quæ hic
narrantur, vel eorum quæ scripta sunt in sacris
Scripturis.

*Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris
mei, domum negotiationis.* Qui sunt qui ejiciendi
sunt ab Ecclesia: Nunquid soli ementes et venden-
tes? Ita soli si sub illis comprehendantur omnes
qui in Ecclesia quærent quæ sua sunt, non quæ
Jesu Christi. Sed dices: Nunquid non licet mihi
usum præbendæ illius emere? non emo officium,
sed beneficii usum. Sed hoc fieri non potest. Qua
enim ratione comunicas eodem refectorio, et
consilio, et obsequio ecclesiastico? nunquid elec-
tione? an emptione? Sic ergo emendo quod desi-
deras emis etiam quod non curas, quia gratiam
Dei, quod non licet. Sic etiam non videtur esse
approbandum quod aliquis cum pecunia inter mo-
nachos et canonicos, vel quosunque religiosos
recipiatur. Aut enim pecunia causa est, aut esse
videtur. *Ipse autem Jesus non credebatur seipsum
eis.* Quia qui facile credit, facile recedit; unde:
Utinam calidus, aut frigidus esses, etc. (Apoc. III).
Sic tamen catechumenis corporis communio et
sanguinis Domini credenda nondum est.

*Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit
denuo, non potest videre regnum Dei (Joan. III).*
Quasi diceret: Licet tu per visa signa credas, et
fidem habeas, non tamen sine susceptione bap-
tismatis tibi sufficit ad salutem. Unde queritur an
aliquis sine susceptione sacramenti hujus salvari
possit? Cum dicat Dominus: *Nisi quis renatus
fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc.* Est autem
manifestum, quod sanguinis effusio vicem obti-
net baptismatis, sic et vera cordis attritio cum
tempus suscipiendi non habeat. Unde quod dici-
tur: *Nisi quis renatus fuerit, etc.,* sic est intelli-
gendum: *Nisi quis paratus fuerit renasci, vel nisi
fidem baptismatis habuerit.* Item queritur an
omnis suscipiens renascatur? sed si omnis, tunc
et iste hæreticus, et fecte accedens; si vero re-
nascitur Spiritu sancto, tunc interius mundatur
et sic ei peccata delentur. Item Christus ibi bap-
tizatur, quare et ipse a Christo baptizatur; et sic ablu-
itur interius, ut videtur. Non est autem hoc verum,
quod ficto, et habenti fraternum odium peccata
in baptismo remittentur; baptizatur tamen, et
Christus baptizat, id est ipse sacramentum susci-
pit, et Christus illud conficit dando ei vim et effica-
ciam, ut per ipsum peccata deleantur, nisi ille, qui
suscipit, impediatur. Sub eodem sensu etiam potest
dici, quod ille renatus est ex aqua, et Spiritu sancto,
qui sacramentum suscepit exterius, quo mundari
posset interius, nisi ipse impediret. Nullo tamen
modo hoc concedendum, quod renatus sit spiritu,
id est interius mundatus. *Quod natum est ex carne,*

caro est; et quod ex spiritu, spiritus est. Id est, sicut
quod ex carne nascitur carnis imitatur similitu-
dinem, sic quod ex spiritu spiritum imitatur, et
ejus similitudinem retinet. Quemadmodum enim
Spiritus invisibilis est, sic et dona ipsius et effec-
tus. Unde qui ex spiritu nascitur, spiritus est.
Nascitur autem anima ex spiritu, cum Spiritus
sanctus invisibili gratia sua eam illustrat, et in-
novitatem vitæ, vetustate deposita purgat: unde
et ipsa ei unita, non solum spiritualis, verum
etiam spiritus quodammodo efficitur cum, con-
temptis omnibus aliis, illi soli adhæret, et ejus
donis fruitur. Unde carnalis hujusmodi genera-
tionem ignorat. Quapropter ad talem dicitur: *Et
vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo
vadat.* Nescit enim carnalis unde, id est ex qua
misericordia, et occulta Dei justitia veniat vox spi-
ritus, nec quo vadat, id est ad quem finem perdu-
cat. *Si terrena dixi vobis, etc.* Terrena, id est par-
va sunt, duæ de humanitate Christi dicuntur ad
comparationem eorum, quæ de divinitate ipsius
creduntur, ut quod Deus est in personis trinus,
unus in essentia.

De humanitate vero sua Christus dixerat supe-
rius: *Solvite templum hoc et in tribus diebus ædifi-
cabo [excitabo] illud.* Sed queritur quomodo ma-
jus sit credere personarum trinitatem, et essentiae
unitatem, quam quod Verbum caro factum, et
cætera hujusmodi, cum illa ratio suadeat? Unde
et philosophi naturali ratione ea comprehendere-
runt; ista vero omnino contra rationem naturæ
sunt? scilicet quod Deus natus, et mortuus sit, et
hujusmodi. Sed dicuntur minora ista, et quia visi-
bilia sunt, et visibiliter cunctis exhibita. Illa vero
majora; quoniam tantum intellectu sapientis com-
prehensibilia, et paucis manifestata. Vel notat
ordinem, quo progrediendum est ad fidei perfec-
tionem. Primum enim oportet credere Christum,
natum, et passum, resurrexisse, cælos ascendisse:
ut sic perveniatur ad fidem trinitatis personarum,
et unitatis essentiae.

*Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de
cælo, etc.* Hoc dictum est secundum illam figuram
loquendi, qua dicitur quod tantum rex venit, vel
tantum recipitur; cum tamen ipse cum militibus
suis veniat vel recipiatur. Sic enim verum est,
Christum solum ascendisse, quia ipse primus,
et nullus nisi per ipsum. Caput enim cum corpore
suo ascendit. Unde in ascensione capitis intelli-
gitur etiam ascensio corporis. Ascendit autem Chri-
stus secundum humanam naturam, sicut descen-
dit secundum divinam.

Et sicut Moyses, etc. (Num. XXI). Moyses in de-
serto serpentem æneum in pertica erexit: quem in-
tuentes filii Israel sanabantur læsi ab ignitis serpen-
tibus, vel non læsi tuti manebant. *Æneus autem ser-
pens in pertica erectus, Christus est in cruce levatus,*
qui æneus, id est fortis fuit ad mortem destruen-
dam, cum in ipso nulla causa mortis esset. Item
serpens æneus, et verus fuit, sed similitudinem
serpentis habens, quia nostram naturam non

peccatricem, sed habentem similitudinem carnis peccatricis : in quem intuentes, id est passionis ejus fidem habentes, sanantur ab ignitis morsibus serpentum, id est a læsionibus hostium scilicet dæmonum, quæ sunt incentiva vitiorum.

Sic dilexit Deus mundum, ut daret unigenitum Filium suum. Mundum vocat hic humanam naturam, propter quam cætera omnia facta sunt. Unde propter ejus dignitatem, eam mundum vocat. Sicut et alibi omnis creatura dicitur, propter eandem naturæ excellentiam. Hunc autem mundum sic Deus dilexit, ut Filium suum unigenitum daret. Id est ex propriæ charitatis benignitate ab æterno disposuit ut Filium suum incarnaret, et sic per ipsum humanum genus redimeret. Sed, cum Deus Pater Filium dedit, cui dedit? an mihi, et tibi dedit? An Judæ et Judæis dedit? An Pilato et diabolo dedit? Dedit utique eum nobis, quos per ipsum ille redemit. Exposuit autem eum diabolo, et voluntati Judæorum, quia permisit ut hanc in eum haberent potestatem, ut eum interficerent, ut sic morte sua hominem a potestate diaboli erueret. Dedit itaque eum nobis pro nostri redemptione, cum a diabolo interfici permisit, vel dedit, id est dare disposuit.

Qui non credit, jam judicatus est. Quomodo dicit, qui non credit, jam judicatus est, tanquam ipsum non credere damnatio sit? Sed est sic intelligendum, quod ex non credere hic, sequitur non cognoscere in futuro, quod est gravissima pœna. Sed nunquid non erunt ibi aliæ pœnæ, nisi quod visione Dei carebunt? Sed dicit propheta : *Vermis eorum non morietur, nec ignis exstinguetur* (Isa. LXVI). Ex quo intelligitur quod materiales pœnæ ibi erunt. Sed tamen hoc tantum ibi esse dicitur, scilicet non cognoscere, quia in ista omnis terminatur, et quia ista consummatio est omnis pœnæ, merito hæc sola ibi esse dicitur. Inde enim gravissimum tormentum erit, quod desiderata numquam apprehendent, sicut tanto gravius urgetur quis fame, quanto amplius esurit. Hæc autem in pueris, sed non tanta, ut dicit Augustinus, ut non malint esse quam non esse.

Facta est ergo quæstio ex discipulis Joannis, etc. De baptismo Joannis quæstio est in quo differret a baptismo Christi; et quam utilitatem haberet, et quid diceret, id est quam rationem prætenderet Joannes, novum ritum inducendo. Est autem manifesta differentia inter baptismum Christi et Joannis, quia Joannes intingebat tantum; Christus vero ipse intingendo interius mundabat. Unde et baptismus Christi baptismus remissionis dicitur; baptismus vero Joannis baptismus pœnitentiæ. Vel quia nullum, nisi pœnitentem admittebat, vel quia statim post baptismum pœnitentiam injungebat. Sed nonne Joannes minister Christi fuit? Fuit utique: quare et per illum Christus baptizavit sicut et per alios, et sic peccata ipso baptizante remisit: quod quidem verum est, sed baptismus ille, quo peccata remissa sunt, non fuit Joannis, sed Christi. Ex quo enim cœpit baptismus Christi, cessavit baptismus Joan-

nis. Habuit autem hanc utilitatem, quia inducebat homines in usum baptizandi, ne cum baptismus Christi veniret, ipsi abhorrent.

Sed quid dicebat, novum ritum inducendo? Dicebat autem quod in nomine Venturi baptizabat; non quod suum baptismum a peccatis mundaret, sed quod signum erat baptismatis futuri, quo peccata tollerentur. Venturus vero Christus tunc dicebatur, licet jam venisset, quia postea innotuit, quod ipse Christus erat. In paucorum enim notitia tunc erat: unde et Joannem quidam Christum esse putabant. Erat igitur venturus in notitiam, qui jam venerat per nativitatem. Sed cum jam Christus baptizaret, et per baptismum peccata tollerent, nunquid peccabant qui circumcidebantur, aut qui simul baptizabantur et circumcidebantur? Sed est sciendum quod tempus quoddam quasi medium fuit inter tempus legis, et tempus gratiæ, scilicet a prima institutione baptismi Christi, usque ad illam generalem et manifestam, quando dictum est: *Ite, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. XXVIII). In illo autem tempore, si quis tantum circumcidebatur; aut si revelatum ipsi esset de statu baptismi, tantum baptizabatur, uterque salvabatur. Si vero ipsi non revelatum esset, et utrumque susciperet, non peccabat; sed post manifestam baptismi institutionem, nefas erat permiscere.

Qui de sursum [cælo] venit supra omnes est. Christus de sursum venit, secundum utramque naturam. De divina manifestum est. Sed quomodo secundum humanam? Ideo etiam secundum naturam, quia carnem assumpsit non descendentem per concupiscentiam, sed absque peccato. Unde dicitur quod de altitudine humanæ naturæ venit: non quod illa caro Christi in Adam ante peccatum, et post semper incorrupta servata fuerit, sed sic incorruptam assumpsit, sicut incorrupta fuit humana natura ante peccatum in Adam. Vel de altitudine humanæ naturæ ante peccatum venit, quia, ut dictum est, in Christum non per concupiscentiam descendit, quod de integritate humanæ naturæ ante peccatum erat, ut propagatio per concupiscentiam fieret.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Sine mensura dedit Deus Filio suo secundum humanitatem spiritum, quia tantum ei dedit, quantum creaturæ conferri potuit. Sic enim plenitudo donorum Spiritus sancti humanæ naturæ collata est, ut Verbo personaliter unita sit, quod amplius illi conferri nihil potuit. Et ideo spiritus sine mensura ei collatus est, quia totus quantus dari potuit. Dicit autem glossa, quod sicut Filium totum ex se toto genuit, sic totum Spiritum dedit Filio incarnato. Nunquid et Verbo assumenti dedit? Sed si ei dedit, tunc Verbum assumens ex eo aliquid accepit, et sic non semper habuit. Sed est manifestum quod Verbum ab æterno habuit quidquid et Pater: unde Filio incarnato dedit, nec tamen Verbo assumenti. Totum quoque Filium ex se toto genuit Pater; quia idem est Filius quod Pater: ejusdem enim penitus essen-

tiæ sunt Pater et Filius: Charitas enim, ut dicit Augustinus, consubstantialis connexio est Patris et Filii. Unde unum sunt. Hæc autem Spiritus sanctus est, qui est amor Patris et Filii; sed hoc nostram excedit intelligentiam, quomodo scilicet connexione, et quomodo per hoc unum sint.

Ecce sanus factus es: jam noli peccare (Joan. v). Hinc innuitur quod ei peccata dimiserit Dominus sanando eum, cum tamen ipse, qui sanabatur, eum non cognovisset. Unde videtur quod quis sine fide Christi mundari a peccatis, et dignus esse possit vita æterna. At *impossibile est sine fide placere Deo (Hebr. xi)*. Sed est dicendum quod languidus iste bonum quidem affectum habebat, unde meruit ab infirmitate, a qua propter culpam præcedentem detinebatur, liberari: qui quidem affectus gratia Dei inspiratus per Dei operationem melioratus est; non tamen sufficiens fuit ad salutem, si tunc a vita discederet. Unde quod dicitur, jam noli peccare, hoc est, noli amplius in peccato perseverare.

Pater meus, usque modo operatur, et ego operor. Quoniam Judæi Christum legis transgressorem esse dicebant, et per hoc Deo contrarium, quod in Sabbato operabatur, cum Deus septima die ab omni opere, quod patrarat requiesceret. Idcirco Dominus hoc falsum esse demonstrat, quod ipsi putabant hoc scilicet, quod Deus ab opere, tunc ita cessarat, ut nihil amplius operaretur. Unde videndum quibus modis operetur Deus. Est enim opus creationis; est opus formationis, quibus Deus sex diebus operatus est. Est enim creare, proprie de non esse ad esse perducere, quomodo in quatuor elementis operatus est Deus. Est et opus formationis, qua formam dispositionis post creationem creatis ex nihilo dedit. Ab his autem die septimo requievit Deus, non ulterius nova creando vel informando. Est et opus gubernationis; est et sustentationis; est et renovationis; est et propagationis; est et multiplicationis, quibus Deus aut creata disponendo gubernat, aut ipsa in esse conservando, ne fatiscant, sustentat; aut vires inferendo renovat, aut, natura mediante, similia ex similibus propagat, aut propagata sua bonitate multiplicat. Operatio vero reparationis generis humani maxime Filio attribuitur, quia Filius sapientia Dei est. In redemptione siquidem generis humani sapientia Dei magis apparet quam potentia: et ideo, cum cætera opera Patri attribuantur potenti, hoc opus potius Filio attribuitur sapienti. Unde et dicit: Pater meus, usque modo operatur. Quasi diceret: Hucusque innotuit Pater per elementa, et creaturas mundi; sed nunc per me incarnatum amplius mundo innotescet. Ipse enim in carne et se, et Patrem, cum quo idem est hominibus manifestavit. Impossibile est enim Patrem cognosci, nisi per Filium.

Non potest Filius a se facere quidquam. Filius autem quæ facit ad Patrem refert, a quo esse habet. Unde et dicit quod non potest a se facere

quidquam, ita ut non ab alio hoc habeat, vel a se homine nihil potest.

Item: *Non potest Filius facere, nisi quod viderit Patrem facientem.* Filium videre Patrem facientem, nihil aliud est, nisi Filium a Patre esse, per quem Pater omnia disponit. Quod idem est, etiam idem ipsum a Patre audire, quæ loquitur. Ipse enim Filius sapientia Patris est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. i). Per hoc autem, quod additur: *Hæc eadem et similiter facit*, probatur esse Patri cœqualis et consubstantialis. Potest enim aliquis facere, quæ Deus facit, sed non similiter: solus enim Filius similiter facit. Non enim homo ex se habet potestatem faciendi, sed ex Deo; Pater vero ex se omnia disponere et regere potest; sic et Filius ex propria essentia hoc habet, ut omnia possit. Ex eo enim quod Filius est Patris Deus est; ex eo vero quod Deus est, omnia per se potest. Unde cum Patre ab æterno omnia disponit. Quare solus eadem omnia, quæ et Pater similiter facit. Similiter, hoc est indifferenter. Nulla enim differentia est in operatione Filii et Patris, cum operatio Filii sit operatio Patris. Item dicitur Pater Filio demonstrare quæ ipse facit. Quod est, quod superius dictum est, Patrem omnia disponere, et operari per Filium; demonstrat enim ei, quia esse ei dat ipsum ex propria essentia gignendo, et per ipsum omnia disponendo: quod est demonstrare, quæ ipse facit.

Neque enim Pater judicat quempiam, sed omne iudicium dedit Filio. Quæritur quid sit Patrem non judicare, sed omne iudicium Filio dedisse? Dicit autem postea secundum quid iudicium Filio dederit, quia filius hominis est. Dicitur autem Pater neminem judicare, quia persona Patris in iudicio non apparebit, sed persona Filii. Apparebit autem Filius in iudicio in humanitate assumpta. Et quoniam per ipsum in carne apparentem discretio illa bonorum et malorum fiet, idcirco datum ei dicitur esse iudicium, quia filius hominis est. Neque enim ex eo quod homo est hanc iudicandi potestatem habet, sed ex eo quod Deus est; nisi si dicatur ex eo quod homo est, id est ille qui homo est, ut ex causam non notet. Vel ideo dicitur Pater omne iudicium Filio dedisse, quia iudicium in discretionem, quæ sapientiæ est, consistit. Filius vero sapientia Patris est. Quoniam igitur in iudicio faciendo magis affectus sapientiæ apparebit, quam potentiæ, idcirco potius personæ Filii iudicium attribuitur quam personæ Patris. Nam, licet opera Trinitatis communia sint toti Trinitati, tamen in Scriptura magis solent opera, in quibus divina eminent potentia, Patri attribui; in quibus vero sapientia Filio; in quibus benignitas et amor divinus Spiritui sancto. Sed quia Filius omne quod habet a Patre, habet, idcirco ei Pater omne iudicium dedisse, ut testatur ipse Filius, dicitur, a quo et esse habet. Et quoniam hic sapientiæ effectus per Filium in carne apparente manifestabitur, ideo dicit postea: *Quia Filius hominis est.* Per Verbum enim Filium Dei fit animarum resurrectio; per Verbum factum

in carne filium hominis, fit corporum resurrectio. Vel ex eo quod in carne gessit, meruit ut corpus suum resurgendo glorificetur, et ut aliis ipsum imitantibus eadem gloria in corporibus daretur. Quæritur quomodo dicat Augustinus animarum resurrectionem fieri per Verbum Dei Filium; corporum vero per filium hominis? Sed fit animarum resurrectio quando, tenebris ignorantiae et cæcitatibus expulsi, ad cognitionem sui Creatoris redeunt, luce sapientiæ Dei illustrante; per hominem vero assumptum, Verbum Dei mori potuit et resurgere. Mori vero et resurgendo nobis fidem contulit, ex qua ad resurrectionem immortalitatis et impassibilitatis pervenimus, secundum quod de resurrectione honorum tantum agitur. Et secundum hoc manifestum est propter quid distinguat Filium Dei et filium hominis. Nam ex eo quod Filius Dei est, tantum in cordibus operatur, non ex eo quod homo est. Ad corporum vero resurrectionem non solum secundum illam naturam, qua Deus est, sed et secundum illam, qua filius hominis est, operatus est, moriendo, resurgendo, ut dictum est. Unde Filius Dei animarum, filius hominis corporum recte resurrectionem facere dicitur. Vel Filius Dei animarum facit resurrectionem, quia in animabus invisibiliter operatur, gratiam conferendo, per quam resurgant; filius hominis vero corporum, quia ipse visibiliter in iudicio apparebit, quando communitur omnes in carne resurgent, sive ad gloriam, sive ad pœnam.

Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Nonne Filius testimonium perhibet de se, et Pater de Filio, et Spiritus sanctus? Quomodo ergo dicit: Si de me testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum? Sed hoc est, quod dicit: Si de me homine tester, quod secundum humanam naturam Deus sim, vel quod mihi hoc ascribam, et non alii, non est verum testimonium meum. Filius enim ad Patrem refert quidquid habet, ut dictum est. *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quomodo per opera patebat ipsum esse Filium Dei? nonne etiam alii eadem opera fecerant? Antichristus etiam, cum venerit, multo plura miracula forsitan faciet. Sed est manifestum quod licet eadem fecerint alii vel facturi sint opera, non tamen similiter; quia ipse fecit ea in virtute Patris, quod non posset, nisi Deus esset. Unde et ipse dicit: *Et ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, dixit paralytico: Tibi dico surge* (Matth. ix, Marc. ii). Ut hoc scilicet, quod surrexit, probatio divinæ sit potentiae: ad quod probandum nemo alius hoc dicere potuit. Satanus enim, vel Antichristus in virtute Dei nihil poterit facere. Neque enim ex hoc quod sit Deus, aliquid facere poterit.

Nolite putare, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui vos accusat Moyses: in quo vos speratis. Quæritur quomodo Moyses Judæos accuset, quomodo Christus eos non accuset? Si enim Moyses eos accusat, quia verbis, et doctrinæ suæ non

crediderunt, eodem modo et Christus eos accusat, quia doctrinæ ipsius non crediderunt. Sed est manifestum quod licet neutrius verbis crediderint, tamen a Moyse rei statuuntur apud Patrem, cujus doctrinæ transgressores facti sunt; non a Christo cujus doctrinam non susceperant. Neque enim reus tenetur aliquis apud alios, si officium non susceptum non exsequatur; sed legem Moysi susceperant et servare promiserant, cujus, quia transgressores facti sunt, ab illo merito dicantur accusari. In Moyse vero sperare dicuntur, quia putant carnales legis observantias ad justitiam sufficere.

Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, etc. (Joan. vi). De multiplicatione panum suboritur quæstio. Quæritur enim an in se multiplicati sint, an ex additione aliqua. Nam si ex additione ita multiplicati sunt, non omnes illi qui manducaverunt, imo pauci ex illis quinque panibus saturati sunt. Quidam tamen hanc sententiam tenentes dicunt, idcirco quinque illis panibus omnes refectos esse, quia sub forma illorum hæc multiplicatio et refectio facta est. Volunt autem auctores et doctores quidam, quod in se multiplicati sunt: sed quomodo hoc factum sit nesciunt, sicut nec etiam scire se posse dicunt quomodo hæc glans in tantam arborem excrescat. Quærent enim quidam, quomodo hoc fieri posset, quod panes illi in tantam magnitudinem transirent, an ita quod partes in partes, an totum in totum ut tantæ quantitatis fierent? *Quod signum tu facis, ut videamus, et credamus tibi?* Quoniam Judæi audierant per Moysen manna datum esse patribus in deserto, quod majus miraculum putabant eo quod Dominus fecerat in refectioe quinque millium, ideo quærent ab eo aliquod speciale signum, per quod cognoscant illum Filium Dei esse. Unde Dominus differentiam ostendens inter panem, quem ipse dat, et panem quem manducaverunt in deserto, dicit: *Ego sum panis vitæ.* Ipse est enim cibus, quo reficitur mens esuriens. Quod fit quando fides vera ipsum complectitur. Ex fide enim diligimus; ex dilectione Christo unimur, qui est vita nostra. Hic igitur panis spiritualis fide gustatus etiam sine perceptione sacramentali quotidie ad vitam proficit: de quo dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (Luc. xi). Hoc enim pane dum hodie præsentis vitæ est, indigemus. Unde et Augustinus: *Ut quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti.*

Omne, quod dat mihi Pater, venit ad me; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Pater, Filium suum mittendo, eum mundo notificavit, et in eum credere fecit; per fidem vero ejus efficiuntur qui in eum credunt. Unde Pater dicitur dare Filio, hoc est, trahere ad cognitionem et amorem Filii; sic et Filius Patrem manifestando ad eum trahit, quibus ipsum manifestat. Est autem mutua cognitio Patris et Filii. Neque enim Pater nisi per Filium, nec Filius nisi per Patrem cognosci potest. Relativorum enim unum cognitum, alterum quoque co-

gnitum esse exigit. Sed, ne quis putet parum prodesse Filio a Patre dari, addit :

Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Ejicimur foras per peccata : et hic, dum meritis exigentibus gratia nobis subtrahitur ; et in futuro, dum igne æterni incendii cruciabitur. Sed qui fide Christo adhæret, non ejicietur nec hic, nec in futuro. Unde perseveranti promittitur corona. Neque enim caput membris suis carere potest, ea a se excludendo.

Non ut faciam voluntatem meam, id est ut sum homo, vel meam tanquam ab alio non habeam. Quæ vero sit voluntas Patris ostendit, dicens :

Hæc est voluntas Patris mei, etc. Voluntas ipsius est, *ut credamus*, id est fidem habeamus, ut per fidem ad cognitionem veniamus et sic vitam obtineamus. Quare voluntas Dei est salus nostra. Hanc autem voluntatem implere venit Filius. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Humana natura Verbo unita facit corporum resurrectionem. Quod qualiter intelligendum sit superius expositum est.

Multi ex discipulis ejus audientes, dixerunt : Durus est hic sermo ; quis potest eum audire ? Ex prædicatione Christi quidam non intelligentes eam scandalizati sunt, ne amplius in eum crederent ut tibi exemplum daret, ne a prædicatione desistas, etsi aliqui intersint, qui non capiant quæ dicuntur et pejores ex auditis efficiantur. Sed quæritur quomodo dilectionem proximi habuerit, cum hoc sciret, quod sic dicta nequaquam intelligerent, sed potius scandalizarentur ? Nonne melius esset, quod sic dicerentur, ut capi possent ab illis, ut ipsi inde ædificarentur potius quam ex illis non intellectis scandalizarentur et perirent ? Sed hoc sciendum quod illi digni non erant, ut aliter eis diceretur. Unde alibi dicit Dominus : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant* (Luc. viii). Quod quidem fit propter culpam eorum, quibus prædicatores sunt odor mortis in mortem. Unde ut supponitur, ex hoc multi discipulorum abierunt retro.

Caro non prodest quidquam, etc. Caro Christi vas Spiritus est, qui est Verbum : dicitur et ejus participatio, in fide nobis causa salutis est. Ipsa tamen ex se nihil prodest ; nec ut alius cibus corpus reficit, sed mentem.

Patres vestri manducaverunt in deserto, etc. Quæritur de qua manducatione hic agat, an de spirituali, an de corporali ? Sed corporaliter manducantes carnem Christi, multi mortui sunt æternaliter ; spiritualiter autem manducantes utrique salvati sunt. Sed illi non per manna, sed per significatum, quod est corpus Christi. Aut æquivoce accipiatur manducatio. Et est notandum quod non omnis qui sumit corpus Christi, manducat : illud enim est hic manducare, per fidem ei uniri. Unde sunt quidam sumentes et manducantes ; quidam sumentes, et non manducantes ; quidam manducantes, et non su-

mentes. De quibus Augustinus : *Ut quid paras dentem, et ventrem ? crede, et manducasti. Quidam vero nec sumentes, nec manducantes. Non sumentium alii ex reverentia abstinent, quorum est dicere : Domine, non sum dignus, ut intres sub lectum meum* (Matth. viii). Alii ex desperatione et contemptu : de quibus desperandum est. Sumitur autem corpus Christi sub speciebus panis et vini. Sunt enim ibi quædam, quæ tantum sacramenta sunt ; quædam, sacramenta, et res sacramenti ; quædam tantum res sacramenti, et non sacramenta. Vertitur autem panis, et vinum in corpus Christi. Integrum enim sumitur sub utraque specie. Admiscetur autem aqua vino, ut gentes sicut et Judæos ad Christum pertinere monstretur, cujus morte utrique redempti sunt. Quæ aqua an vertatur in sanguinem nescimus.

Dixit ergo Jesus ad duodecim. Duodecim ponit, quia numerus sacratus est et permansurus, licet non in illis omnibus, qui tunc erant duodecim. Judas enim, qui unus ex illis erat, non permansit ; sed loco ejus Mathias postea subrogatus est. Et sic permansit numerus, etsi non in eisdem personis.

Erat autem in proximo dies festus Judæorum scenopegia (Joan. vii) : *σκηνος*, scenos habitatio, et tabernaculum est, *πήγνυμι* pegnymi figo : unde sunt scenopegia, tabernaculorum fixio. Ad repræsentationem enim talis habitationis in deserto, ubi in tabernaculis manserant, tabernacula figebant, et in illis septem dies manebant.

Tempus autem vestrum semper paratum est. Semper enim in hac vita homo pronus est ad malum perpetrandum, unde damnetur ; sed nondum tempus erat ut Dominus ad immortalitatem et impassibilitatem transiret. In hac enim vita immortalitas et impassibilitas haberi non potest. *Mea doctrina non est mea*, id est mea, ut hominis, vel ut sæpe jam dictum est, non est mea tanquam ab alio non habita.

Unum opus feci, et omnes miramini. Notetur quod Dominus nullum opus fecit, de quo reprehendi posset, etiamsi quidquam legi deberet. Lex enim non prohibebat ab his cessare die Sabbati, quæ ad salutem hominis spectant. Unde et ipsi Judæi sabbato circumcidebant, ne homo periret.

Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. D Ipsi sibi opponunt de Christo. Sed quæritur, cum ipsi ex Scripturis et locum et unde nasceretur Dominus scirent, unde et dicebant Herodi in Bethlehem Judææ Christum nasciturum ; et scirent quod de domo David nasceretur, quomodo dicebant : *Christus cum venerit, nemo scit unde sit ?* Sed videtur quod bene poterant scire quod nasceretur et quod de David nasceretur Christus, et tamen nescire unde fuerit, id est ex quibus personis nasceretur : quod ipsi dicebant scire unde esset.

Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat, etc. (Joan. viii.) Hic videtur Christus omne judicium hominibus auferre, cum nullus sit, qui sine peccato vivere possit. Si ergo solus ille,

qui sine peccato est, in adulteram lapidem mittere possit; nemo vero præter Christum, sine peccato esse possit, manifestum est iudicium huiusmodi cuilibet ablatum esse: unde soli Christo relinquendum esse iudicium videtur. Sed est manifestum quod iudicia Ecclesiæ Christi sunt, cum rationabiliter fiunt, non causa hominum vel commodi alicujus, sed solum causa Dei. Cum enim iudex latronem suspendit, non sibi vindictam sumit, sed Domino. Et hoc modo soli illi, qui sine peccato est iudicium est relinquendum. Dicunt autem quidam, quod nec habens potestatem iudicare potest alium, si ipse reprehensibilis est, maxime si in consimili fuerit culpa. Nos vero dicimus quod non aufertur potestas iudicandi quandiu ab Ecclesia recipitur. Ipse tamen talis non est, qui de aliis iudicium dare possit. Quod ergo iudicat potestatis est; quod talis, culpæ. Vel qui sine peccato est, occidat adulteram, id est adulterium remittat: quod solus Christus potuit, ideoque adulteram iustificare. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Qui facit peccatum servus est peccati (II Cor. xiii).* Hoc est, qui delectatur in peccato, vel qui ex consuetudine facit, servus est peccati, quia servit peccato a quo agitur. Hic etsi intrat per sacramentorum susceptionem, non manet in domo in æternum, nisi de servo fiat liber, quod fit per Christum.

Ille homicida erat ab initio: et in veritate non stetit. Quæritur de qua veritate hic agat: an de illa, quæ est beatitudinis; an de illa, quæ veræ cognitionis rerum est? Si enim illam cognitionem quæ beatificat habuisset, nunquam cecidisset; imo confirmatus esset in bono, ut alii, qui ad Deum conversi sunt. Sed, si veram rerum cognitionem habuit, ut dicunt quidam, tunc sciebat quid Creatori, quid creaturæ deberet, unde et se Creatore inferiorem cognoscebat. Quare et se ei servire, et ipsum diligere debere sciebat. Quod si non fecit, peccavit; et sic ante peccavit, quam par suo Creatori esse vellet. Sed dicunt sancti, quod inter creationem et lapsum nihil fuit medium. Quod si sit, necdum illam rerum veram cognitionem habuerat, nec illam, quæ beatificat. Quare dicendum esse videtur, quod in veritate non stetit, ad quam habendam creatus erat, non quod eam nunquam habuerat, sed quod eam mox habiturus erat, si stetisset. Duo sunt timores: unus qui cohibet a malo propter vitandam gehennam, et hunc foras mittit charitas. Est et alius, qui permanet: hic est cum charitate; et hic est, qui non timet puniri, sed separari. Qui enim multum diligit ex ipsa dilectione, semper veneratur, et veretur ne offendat, ut separetur. Nec hanc reverentiam habet, ut pœnam vitet, sed ut separationem, licet tamen separari non possit sine pœna. Sicut Deus diligendus est non propter præmia, quæ daturus est diligentibus se, sed propter se; licet tamen ejus dilectionem semper præmia sequantur.

Quis peccavit? hic an parentes ejus? (Joan. ix.) Quæritur de pœna illata cæco huic a nativitate,

A cum omnis pœna ex peccato sit. Nam, si nullum peccatum præcessit, injuste videtur iste punitus fuisse. Sed est manifestum quod culpa originalis in eo præcessit, cujus hæc pœna fuit: unde et ipse juste punitus est, cujus pœnæ purgatio ad gloriam Dei fuit. Ex ejus enim sanatione, Deus manifestatus est. *Si quis voluntatem ejus facit, etc.* Quasi dicat: Si credere voluit, intelliget: fides enim illuminatio mentis est. Qui enim fidem habet ex dilectione operantem, amorem habet; et si amorem, intelligentiam. Nam ipse amor notitia est. Sunt autem quidam majorem fidem, et minorem cognitionem habentes; quidam vero minorem fidem, et majorem cognitionem. Sed quæritur nunquid simplices cognitionem fidei habeant, cum dicatur *omni poscenti rationem de fide tua redde (I Pet. iii).* Et iterum: *Qui facile credit minoratur fide (Eccli. xix).* Sed et dicitur: *Quod boves arabant et asinæ pascebantur juxta (Job i):* quod est simplices et inferiores salvari in fide prælatorum. Non ergo exigitur ab unoquoque discretio fidei. Sed tamen ut fidem habeat, et poscenti rationem reddat, hoc modo videlicet, ut fidem cum aliis confiteri paratus sit, et sciat. Vel quilibet omnes articulos fidei habet, etsi non in se, tamen in alio, qui est de eodem corpore. Item qui facile credit, minorabitur fide: hoc est, qui miraculis motus, vel aliquo impulsu huiusmodi credit, non ex arbitrio mentis, firmus in fide non est, cum omni vento doctrinæ moveri possit: unde Jesus *seipsum non credebatur eis.*

Mercenarius autem fugit, etc. (Joan. x.) Quæritur unde mercenarius reprehendatur. Nonne et Christus persecutores fugit? Nonne et Paulus et cæteri electi rabiem persequentium fugerunt? Sed attendendum est quod aliud est fugere propter se, ut sibi caveat, aliud cedere persecutoribus causa ovium, ut sic fugiendo eas potius conservet quam deserat. Unde licet absens sit, qui sic fugit, corpore, tamen præsens est mente. Sic Paulus dicit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, quia sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi: congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit (I Cor. v), etc.* *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* Ostendit vinculum charitatis, quod est inter se et Patrem. Unde et ipse et Pater unum sunt: inde enim quod ipse solus Patrem novit sicut, id est ita perfecte, ut Pater ipsum, qui ejusdem scientiæ et potentiæ esse probatur, cujus et Pater est, et sic idem Deus cum ipso. Nemo enim præter Filium, quomodo ipse sit ex Patre, vel quomodo Pater ipsum genuerit, novit. Unde superius dixit, quod Filius enarravit, quod nullus præter ipsum potuit facere. Alii enim per ipsum narraverunt. *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Nonne et hoc fecit Petrus, et alii electi? Quare sicut ipse bonus pastor dicitur, sic et illi boni pastores dici possunt.

Non autem posuerunt alii sicut ipse, quia ipse per se posuit; alii vero non nisi per ipsum. Unde non sicut ipse dicitur ponere, sic et alii ponere dici possunt. *Ponam animam meam, et iterum sumam eam*: hic destruitur hæresis quorundam, qui dicunt Christum animam non habere, nisi Verbum. Et iterum eorum, qui dicebant eum animam irrationalem habere. Nam, si animam non haberet, quomodo eam deponeret, aut quomodo eam rursum assumeret? aut quomodo eum Pater, ideo quia deposuit, ut assumeret iterum, diligeret, nisi eam deponendo aliquid promereri posset. Est autem mereri ex gratia diligere. Sed cum animam deponat, id est, cum anima a carne separetur, quæritur, an divinitas ab altero, an a neutro separata maneret. Quod ab altero separata quædam auctoritates velle videntur, aliqua quoque adjuvante ratione. Dicit enim Ambrosius super illum locum: *Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? (Psal. xxi)*. Quod clamat homo separatione divinitatis moriturus. Item dicit Athanasius: Qui non crediderit hominem denuo assumptum, anathema sit. Item dicit Augustinus, quod anima vinculum fuit Deitatis et carnis. Mediante enim anima Verbum carni unitum est. Quomodo ergo soluto vinculo conjuncta illa unita manerent? Hæ autem auctoritates determinandæ sunt; quia quod dicitur: Clamat homo separatione divinitatis moriturus, hoc est, quia divinitas eum voluntati occidentium exposuit, et reliquit, ne eum a morte conservaret. Item quod dicitur: Qui non crediderit hominem denuo assumptum esse, anathema sit, hoc est qui non crediderit iterum ad vitam rediisse, hoc est a mortuis reuixisse, anathema sit. Item de vinculo, est manifestum quod bene separato vinculo per illud tamen connecti possunt extrema ut, in circino apparet. Sic igitur anima a corpore separata, divinitas a neutro separata est, nec ab anima, nec a carne. Unde dicit Hieronymus. Hominem, quem assumpsit, nunquam deposuit. Item Augustinus: Anima a carne separata est, divinitas a neutro. Unde et Christus tunc jacuit in sepulcro, Christus tunc in inferno, Christus in cælo. Sicut enim dicitur, Petrus jacet Romæ, quia corpus illius, Petrus est in cælis, quia anima Petri: sic corpus jacens in sepulcro, Christus; anima, Christus; Verbum, Christus dictum est. Verbum quoque tunc homo fuit: nam hominem assumptum nunquam deposuit; hominem, id est animam et carnem sibi unitas habuit in unam personam. Sed nunquid Christus tunc fuit homo mortuus? fuit utique. Confidenter enim Christum hominem mortuum fuisse tunc dico, qui Christum tunc mortuum fuisse prædico. Fuit itaque tunc Christus corpus, fuit anima, fuit Verbum; sicut e contrario. Cum igitur homo mortuus fuisset, non tamen tunc non fuit homo, id est non ideo non habuit animam et carnem sibi unitas, nec iterum si tunc homo fuit: sequitur quod mortalis, vel immortalis fuerit tunc. Ex figurativa enim non infertur propria.

A *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Nunquid et alii, ut Petrus et Paulus hoc idem dicere potuerunt? hoc scilicet in nomine patris opera facio? Non utique; quia licet in nomine patris opera faceret Petrus, non tamen dicere potuit: In nomine Patris mei: non enim sic Pater Christi dicitur, sicut aliorum Pater enim Filii est; quia, cum ex substantia propria genuit, Pater vero aliorum, eis esse dat tanquam Creator. Item eadem opera, quæ Christus fecit, faciunt et dæmones, et mali homines, veluti incantatores Ægyptiaci ranas veras fecerunt, quemadmodum et Moyses. Quomodo ergo opera testimonium perhibent quod ipse Deus sit? Sed est manifestum quod ipse opera facit tanquam
B Creator; magi vero per malignos spiritus elementa sic conjunxerunt, ut ex illis ranæ nascerentur. Illam vero contemperiem elementorum non ipsi dæmones, vel magi fecerunt; sed a Deo, ut res subtiles et spirituales, datam ipsis noverunt, ut si conjungerentur, talia animalia inde prodirent. Sed nec homines, nec dæmones sic opera facere possunt, ut in signum adducantur, quod ipsi dii sint: hoc enim solus Christus facere potuit. Unde et dicit: *Ut sciatis, quod Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tibi dico, surge (Matth. ix)*. Quasi hoc signum supponens ad hoc probandum, quod peccata ut Deus dimittere posset. Et hoc est quod dicit: *Opera, quæ ego facio in nomine, id est in honore, vel in notitia Patris mei, quasi qui me genuit, hæc testimonium perhiberent de me.*
C

Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: et nemo potest rapere de manibus Patris mei. Ostendit quod nemo potest rapere de manu sua. Nam potentia, quam ipse habet a Patre, major omnibus est. Per illam enim ipse fortis fortem ligavit, et omnia vasa ejus diripuit. Est enim Filius ejusdem potentiae cum Patre; sed quia quidquid habet, a Patre habet, ideo dicit: Quod Pater dedit mihi, scilicet gignendo me, majus omnibus est. Vel ut littera magis sibi cohæreat secundum illam naturam, qua se pastorem, ostium et ostiarium superius dixit: potest etiam dicere id majus omnibus esse, quod sibi: Pater dedit. Ex gratia enim verbum Dei hominem assumpsit; ex gratia quoque assumptus homo, Filius consubstantialis Patri est. Unde etiam secundum hoc major omnibus est. Secundum hoc siquidem Redemptor noster est. Unde nullus potest rapere de manu ejus, id est facere quod pereant quos ipse ad salutem præparat. Potest quidem homo malus, vel diabolus Christo cohærentibus mala suggerere; sed nullo modo eos rapere, id est ad perditionem violenter auferre.

Ego et Pater unum sumus. Non unus, sed unum, quia illud prius ad personam, hoc posterius refertur ad naturam, vel essentiam. Est enim Pater, et Filius ejusdem essentiae. In hoc igitur confunduntur Ariani, qui dicebant aliud esse Patrem, aliud Filium, aliud Spiritum sanctum. Et Sabelliani, qui

dicebant eundem nunc esse Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum, cum vult Patrem, cum vult Filium, cum vult Spiritum sanctum : quod quidem falsum esse patet, cum Pater sit alius a Filio, Filius alius a Patre.

Nonne in lege vestra scriptum est : Ego dixi : Dii estis, etc. Quia Judæi tantum splendorem quomodo ipse essentialiter Deus esse, capere non poterant : opposita nube calumniam vitat : et se non esse lapidandum demonstrat, quia dixerat se Deum, et Filium Dei esse, cum in lege, ut in psalmis, qui etiam de lege dicuntur, quæ lex dicitur, quia ligat, ne omnia pro libitu, fiant dictum sit : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes (Psal. LXXXI).* Est autem notandum quod Deus dicitur natura. Deus etiam existimatione et opinione, Deus etiam participatione. Natura ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui sunt unus Deus natura. Æstimatione ut idola ; participatione ut electi homines. Unde cum Dominus dixisset se Deum natura : quod ut Judæi non intelligebant, cum eum ideo lapidare vellent. Quæritur quomodo se a calumnia liberet hoc responso, scilicet, ego dixi : dii estis, etc., cum Deus hic dicatur participatione, ibi vero unde calumnia oriebatur, dicatur Deus natura ; nec etiam videtur hoc adductum ad rem aliquo modo pertinere. Nam etiam in lege præceptum erat, ut si quis homo se Deum faceret, blasphemus et lapidandus esset. Sed est manifestum quod lex contra Christum nihil præcepit. Nam hoc præceptum est in lege, ut si quis homo tantum, faceret se Deum, id est sibi arriperet quod ipse non esset, blasphemus esset et lapidaretur. Dicitur enim aliquis facere se sapientem, quasi sibi arrogare quod non est : quod utique si Christus faceret, blasphemus esset, et lapidandus ; sed nec tantum homo erat, quia homo et Deus ; nec se Deum fecit, cum non esset ; imo se Deum confitebatur, sicut erat. Quoniam vero Judæi litteratores erant, litteram potius sequentes quam sensum, idcirco quantum ad verbum eis satisfecit sic respondendo : *Ego dixi : Dii estis, etc.* Quasi diceret : Non debetis hoc verbo moveri, quo dixi quod Deus sum, et Filius Dei etiam, cum Scriptura vestra hoc eodem verbo utatur pro electis omnibus uti dicitur : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes.*

Pater in me est, et ego in Patre. Hoc est, ego et Pater ejusdem sumus essentiæ ; et dicitur hic aliter Filius esse in Patre, aliter ibi : *In principio erat verbum (Joan. 1).* Hoc est, Verbum a Patre genitum est. Dicitur autem Deus tribus modis esse in creaturis suis. In omnibus enim potentialiter et essentialiter, quod idem est, cum potentia divina sit essentia divina, et econtrario. Sed quid sit Deum essentialiter in omnibus creaturis esse, hæc quæritur. Et dicunt quidam quæri non debet, cum in hac vita sciri non possit, sed si credo sic esse, et nescio quid illud sit, fides hæc cæca est ; nec prælatorum est, sed asinorum juxta boves pascentium. Non autem in creaturis Deus esse potest, ut aliquid in eo loco

esse dicitur. Est quidem in omnibus creaturis non localiter, sed per se, sine ullo medio eas regendo, et in esse conservando. Sicut enim anima in omnibus partibus corporis tota est (quod inde probari potest), quia ubique sentit ipsum corpus vegetando et regendo. Ea vero recedente corpus mortuum est, et in pulverem redigitur : ex quo patet ipsam vitam corporis esse. Sic Deus tota essentia sua in omni creatura est, esse ei dando ; a qua si recederet, ipsa sine dubio prorsus in nihilum redigeretur, sicut corpus, cujus anima vita est, in pulverem redigitur, ipsa recedente. Quomodo autem regat, vel conservet Deus creaturam, vel animam, et corpus nescio ; sed hoc scio hoc modo Deum essentialiter in creaturis suis esse. Dicitur item Deus esse in quibusdam per inhabitantem gratiam, ut in rationali creatura, homine, vel angelo. Dicitur item esse in creatura per personalem unionem : quomodo solum in homine assumpto fuit, id est in Christo. Secundum illum mundum vero, quo est in aliquibus per inhabitantem gratiam, dicitur esse in hominibus, ut in vase ; quia illos, in quibus sic est, replet virtutibus, sicut vas repletur eo quod in ipso continetur. Potest autem exponi sic : Pater in me est : et ego in Patre ; quia quidquid est in Patre, unde probari possit Deus esse, etc., illud idem in Filio est, quia sunt ejusdem potentiæ, ejusdem scientiæ, ejusdem essentiæ, ejusdem Deitatis.

Nonne duodecim horæ sunt diei (Joan. XI), etc. Hæc similitudo ad hoc inducitur a Domino, ut ostendat eos potius se debere sequi, et a se illuminari, quam ipsum ab eis. Dies enim hic sol lucens super terram dicitur : horæ vero aer ipse illuminatus a sole, quæ solem non illuminant, sed ab eo illuminantur.

Domine, si fuisses hic, etc., hoc dicit, quod si præsens corpore esset, misericordiam exhibuisse posset ex affectu pietatis, ne moreretur Lazarus : quem absens corpore non habuit, præsens affectu pietatis flevit.

Et lacrymatus est Jesus. De lacrymis istis quæritur, utrum veræ fuerint necne ? Et si veræ fuerint, utrum rationabiles ? Hoc autem constans est, quod veræ fuerint. Ex his enim vera ejus humanitas comprobatur. Flevit autem, ut dicit Hieronymus, non quia mortuus erat Lazarus ; sed quia ad miseriam vitæ hujus revocandus erat. Quod sic forte intelligendum est, quia ex affectu veræ pietatis, quem tunc ut verus homo habebat, miseriam humanæ conditionis sortem deflebat : ad quam Lazarus tunc revocandus erat, non quod hæc revocatio ei aliquid obesset, qui revocabatur. Sed in illo pius Dominus humani generis miseriam lacrymis protestabatur : cui ex naturali humanæ mentis affectu sic compatiebatur et condolebat. Hac de causa *videns civitatem flevit super eam dicens : Quoniam si cognovisses et tu (Luc. XIX).*

Et statim prodiit qui mortuus fuerat, ligatus manus et pedes institis, etc. Tres mortuos legitur Do-

suscipere in quocumque remunerabile est, sive ille sit Christi qui suscipitur, sive non sit. *Quicumque enim suscipit prophetam, nomine in prophetæ, mercedem prophetæ, non de propheta accipiet.* Si quis autem tantæ simplicitatis esset, ut Antichritum pro Christo susciperet, sic ex pietate error procederet, revelaret ei Deus. Unde Apostolus: *Si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit* (*Philipp. III*).

Cum hoc dixisset Jesus, turbatus est spiritu. Turbatus est Dominus verè, voluntate quidem, non necessitate; non, ut quidam dicunt, sic voluntate, quod naturaliter turbari non posset, et pati; sed sic turbatus est, quia naturam posse turbari, posse tritari, posse pati habebat: voluntarie tamen hæc omnia infirmitatis nostræ suscepit, quia in ipso non erat, propter quod ista sustineret, cum ipse sine peccato esset. Et ideo voluntate, quia nulla in eo fuit causa quare ista susciperet, nisi sola voluntas. Non enim voluntas ei contulit posse turbari, sed natura carnis nostræ, quam accepit.

Ille est, cui intinctum panem porrexero. Non hic manifeste prodidit Judam Dominus, sed secreto hoc dixit soli Joanni, aliis non audientibus.

Et post buccellam introivit in eum Satan. In buccella non suscepit corpus Domini Judas; sed tamen quia illo bono male usus est, meruit ut magis sibi relinqueretur, et sic a diabolo plenius consideretur. Ex audacia enim et inverecunda præsumptione tanquam mundus esset accessit, ut a manu Domini, cui mortem machinabatur, illud bonum acciperet. Illa enim buccella aliquod bonum significabat.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem etc. De hoc mandato quæritur an sufficiat ad salutem, et quare novum dicatur, cum in lege datum fuisse videatur. Et dicimus, quod sufficiens est ad salutem mandatum istud. In hoc enim mandato dilectio Dei continetur. Neque enim potest præcipi dilectio Dei, nisi præcipiatur dilectio Dei. Sicut nec potest proximus diligere, nisi Deus diligatur. Neque enim nunc agitur de dilectione carnalis affectus licita vel illicita; sed de illa, quæ hominem mortificat mundo, et conjungit Deo: quæ tantum propter Deum est. Unde et hic dicitur: *Sicut ego dilexi vos*, id est ut eo fine, id est ad illud diligatis invicem, ad quod ego dilexi vos, ad salutem videlicet. Sicut quoque Deus non potest diligere, nisi proximus diligatur. Impossibile enim est ut aliquis te diligat, nisi diligat quicquid et tu diligis: si enim aliquid odiret quod tu diligeres, in hoc a te dissentiret, et sic te offenderet: diligere vero et offendere simul non potest. Hoc autem mandatum bene novum dicitur. Per hoc enim innovatur, quicumque innovatur. Et iterum novum, quia in veteri lege non expositum. Ibi enim latebat secretum. Et quoniam ibi nec est præceptum, nec expositum, merito novæ legis novum mandatum dicitur, quia hic et præceptum et manifeste expositum. Licet enim in lege dicatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et tota anima; et proximum tuum*

sicut te ipsum (*Deut. VI*), non tamen ibi dicitur: Sicut ego dilexi vos. Licet enim ibi præcipiatur quod præter istud adimpleri non possit, unde et ibi contineri et latere dicatur, non tamen ibi præcipi vel esse dicitur. Præcepta enim Veteris Testamenti innovabant, sed veteri homini conformes reddebant. *Animam meam pro te ponam.* Dictum hoc Petri subreptio fuit ex ardore dilectionis, quod promittit se facturum quod nondum facere potuit. Unde et Dominus subsequenter utrumque ostendit, et quod animam quandoque pro ejus amore poneret, et quod in proximo eum negaret. In qua negatione charitatem amisit. Nam, ut dicit glossa, negando vitam, occidit animam. Quicumque autem vel Christum non esse Deum dicit, vel se ejus non esse discipulum, fidem Christi negat, et sic Christum. Quod autem Petrus Christum negavit, inde est manifestum quia hoc Dominus prædixit eum facturum. Unde qui Petrum a mendacio absolvunt, Christum mendacem comprobant dicentes Petrum non fecisse quod Christus eum facturum prædixit.

Non cantabit gallus, etc. Quæritur cur alius evangelista dicat: *Antequam gallus bis vocem dederit, ter me negabis* (*Marc. XIV*), cum iste dicat absolute? *Non cantabit gallus, donec ter me neges?* Ad hoc respondetur duobus modis: vel quod mente eam trinam negationem antequam gallus cantaret, complexset, quia paratus fuit, ut quoties interrogaretur, negaret; vel quia trina illa negatio ante primum galli cantum incepta, et ante secundum galli cantum finita et completa fuit: idcirco dicit iste, quod non cantabit gallus donec me ter negaveris, id est donec neges: quæ negatio trina erit. Quod vero alter dicit, patet.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan. XIV*). Mansiones hic dicit differentias præmiorum, quæ jam apud Patrem erant in prædestinatione pro differentiis meritorum.

Si quæ minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Vult eos certiores facere, quod paratæ sunt mansiones illæ: unde et hoc probat per impossibile, dicens: Si quo minus, id est si non essent paratæ, dixissem vobis, hoc scilicet quod vado parare. Sed est hoc impossibile me dixisse vobis, vado parare prædestinationem, cum prædestinatio æterna et immutabilis permaneat. Quare necesse est, quod sint paratæ sic, ut dico. Sed quoniam adhuc et aliter parandæ erant, idcirco subjungit: *Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos.* Abiit quidem moriendo, resurgendo, ascendendo: per quem recessum ab eis eorum corda multum ascendit, et a terrenis ad superna, quo ascenderat, erexit: ea enim, quæ amantur, ardentius desiderantur, cum non videntur, quam cum in præsentia habentur: et sic abiens præparavit per operationem, quæ parata erant ab æterno per prædestinationem. *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis.* Quidam discipulorum nesciebant eum Deum esse, sed purum hominem putabant, de quibus erat

Philippus. Unde et arguitur a Domino in sequenti. Alii vero eum Deum esse credebant, de quibus erat Thomas. Unde et ipse a Domino convincitur scire, quod ipse nesciebat se scire. Potest enim aliquis aliquid scire, nec tamen ante experimentum scit se scire illud. Et ideo Dominus dicit eum scire, quod ipse dicebat se nescire.

Et majora horum faciet. Et hoc multis modis exponitur. Quorum hic unus est. Quia qui credit in Christum, per ipsum justificabit Dominus, peccatores quos justificare majus est quam angelos creare. Nam, etsi utrumque sit æqualis potentiæ, illud tamen prius est majoris misericordiæ. Non est enim opus misericordia, nisi ubi est miseria. Quoniam ergo in angelis nulla fuit miseria, nulla ibi opus fuit misericordia. In nobis autem fuit, et est miseria quam venit Christus tollere ex misericordia. Respectu ergo nostri major est misericordia Dei in justificatione impiorum, quam in creatione justorum. In ipsum enim Deum nullus cadit effectus.

Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Quidam justis petunt et non exaudiuntur, ut Paulus, orans ut discederet ab eo angelus Satan, non est exauditus. Quidam vero mali orant et exaudiuntur, ut diabolus in afflictione Job. Quid est ergo quod dicit Dominus: Quodcunque petieritis in nomine meo faciam vobis cum multoties Ecclesia videatur orare in nomine Domini, nec tamen exauditur, ut pro rege, pro infirmis, pro requie defunctorum, qui damnati sunt. Est autem petere in nomine Domini, id petere, quod ad salutem sit, sive illius qui orat, sive illius pro quo oratur. Sed sic orare nullus potest, nisi in spiritu Dei loquens, id est nisi habeat charitatem. Unde Apostolus: *Nemo in spiritu Dei loquens potest dicere, anathema Jesu (I Cor. xii)*. Hic vero specialiter promittitur apostolis, quod quidquid peterent ad auxilium prædicationis suæ, quod ad utilitatem plantandæ spectaret Ecclesiæ, faceret eis. Generaliter vero petitur in nomine Domini quidquid ad salutem petitur. Et hanc petitionem semper exaudivit Dominus, qui nunquam cassa redit. Aut enim id obtinet, quod petit; aut ex petitione in aliquo proficit, ut et Paulus expeditione illa didicit tribulationem ad augmentum esse coronæ. Et sic semper facit Dominus, quod petitur in nomine ejus, quia semper exaudit ut in aliquo proficiat oratio. Et notetur quod quidam pro aliis rogantes, propter se exaudiuntur, quia digni sunt, licet illi digni non sint, pro quibus rogant, ut Moyses pro populo suo malo. Quandoque qui petunt digni sunt, et illi, pro quibus petunt, ut quod salvetur aliquis, qui dignus est salute. Quandoque qui petunt indigni sunt illi tamen pro quibus petunt, digni sunt, et ideo exaudiuntur non propter se, sed propter illos. Quod ratio exigit, etsi exempla non habeamus ad manum, licet tamen per simile ostendi possit. Quod enim Satan exauditus est, pro se non fuit, sed ad utilitatem aliorum. Sic mali quandoque pro bonis exaudiuntur, non pro se, sed pro illis.

Quia Pater major me est, etc. Hinc vult hæreticus habere Filium Patri non esse æqualem cum ipse Filius minorem Patre se asserat. Sed si minor est, tunc erit filius gratiæ, non naturæ. Sed hoc excluditur per hoc quod præcidit: ad Patrem vado; secundum hoc enim quod vadit, minor eo est, cum tamen sit in natura divinitatis æqualis: unde quod homo ille est Filius Dei, est ex gratia; non autem est Filius gratiæ, sed Filius naturæ. Sed quod homo assumptus est Filius naturalis, est ex gratia. Non est igitur separatim dicendum Filius est minor Patre. Curtaretur enim auctoritas si sic proferretur.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (Joan. xv). Quæritur de qua dilectione hoc dicat: Sicut dilexit me Pater, etc., an de illa, qua eum dilexit secundum divinam naturam, an de ea, qua eum dilexit secundum humanam? Sed hoc esse non potest, quod sicut Pater eum dilexit in natura, sic et ipse nos, quia tunc ei æquales essemus. Est ergo sensus: Sicut Pater dilexit me hominem assumptum a Verbo suo ex gratia, sic et ego diligo vos ex gratia, non ex meritis vestris. Est enim homo assumptus ex gratia, Filius Dei in natura: quod tamen homini est collatum ex gratia. Quod autem sequitur:

Manete in dilectione mea. Potest intelligi vel in dilectione, qua ego diligo vos, hoc est, non repelatis gratiam quam vobis contuli, vel in dilectione, qua me diligitis, id est in bono affectu perseverare.

Ut gaudium meum sit plenum. Nemo putet gaudium Domini, unquam crevisse: sed sicut dicitur: *Profecit Jesus ætate et sapientia (Luc. ii)*: sic dicitur de gaudio ipsius. Profecit enim ætate, hoc est secundum ætatis profectum; profecit etiam hominibus in doctrina et sapientia.

Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Supra de dilectione præcepit: nunc vero quanta dilectio esse debeat, ostendit. Sed quæritur de qua dilectione hoc dicat, qua major esse non potest. Nam de affectu non videtur posse dici, cum unus morientium pro Christo majorem affectum habeat quam alius; et etiam quidam non moriens. Unde dicunt quidam, quod hoc dicitur de affectu, vel exhibitione potius quam de affectu. Signum enim dilectionis majus esse non potest, nec ultra habet aliquis quid faciat. Hoc est enim illud quod homo cæteris charius habet. Unde cum hoc datur quod charius habetur, id datur, quod difficilius amittitur. Quare non habet homo quid amplius det. Unde in lege dicitur: *Pellem pro pelle, et cuncta, que habet homo, dabit pro anima sua (Job. ii)*. *Dentem enim pro dente, et oculum pro oculo damus (Matth. v)*, ut vitam retineamus. Ex quo etiam patet, quod nec major dilectio secundum affectum esse potest. Quem enim affectum majorem potest homo habere, quam ut mori velit pro amico? hoc est enim maximum, quod quilibet facere potest. Sed tamen cum hoc sit maximum in isto, hoc maximum istius minus est majore illius. Ex majori enim affectu complectitur iste mortem quam ille. Neque

enim tantum affectum potest iste habere quantum ille, Quemadmodum nullus potest plus facere quam diligere ex toto corde, tota anima, et totis viribus : et tamen plus diligit iste quam ille, quia totum cor istius majus est toto corde illius : uterque tamen toto corde diligit. Hoc est enim toto corde diligit, usque ad mortem diligit : sic videlicet ut seipso plus Deum diligit, et perdat animam, ut Christum lucrifaciat, ut possit dicere cum Paulo : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Philipp. 1). Hoc tamen præceptum dicit Augustinus non posse in hac vita impleri. Quod ideo ab illo dictum est : Quia non potest in hac vita esse quin caro aggravet animam et in aliquo resistat, donec mortale hoc induat incorruptionem : et sic æquivoce accipit ex toto corde. Cum ergo mors Christi et mors Petri nobis profuerit et secundum effectum et secundum affectum, non tamen mors Petri potest morti Christi adæquare, quia mors Christi non redemit. Mors vero Petri ad finem animavit, non tamen redemit. Unde dicimus, quod major fuit dilectio Christi in more, secundum exhibitionem etiam, quam mors Petri vel alicujus alterius. Plus enim exhibuit, quia per mortem suam nos redemit,

Jam non dicam vos servos, etc. Quæritur quomodo dicat se non dicturum eos servos, sed amicos : cum et ipse in redditione præmii dicat : *Euge, serve bone, etc.* (Matth. xv.) Sic ergo servos vocat justos, cum se eos servos non dicturum hic promittat. Et dicit beatus Augustinus quod, sicut sunt duo timores, sic sunt duo servorum genera. Est enim timor servilis, ex quo aliquis servus est ; sed iste nescit quid faciat Dominus ejus. Nam et si aliquando aliquid boni faciat, nescit hoc a Domino fieri ; sed sibi ipsi attribuit. Est et alius timor castus, qui permanet in sæculum sæculi : hic charitatem servat ; illum superiorem charitas expellit. Ex hoc timore servi amici sunt, quibus Dominus secreta sua revelat, quibus et dicit : *Intrate in gaudium Domini vestri* (ibid.). Sic ergo apostoli, prius timore pœnæ servi erant : in proximo Spiritum sanctum plenius accepturi, amici dicendi erant, non servi. Amicus dicitur quasi animi custos, cui videlicet secreta animi alterius patent. *Si de mundo fuissetis, etc.* Apostoli erant in mundo, hoc est inter malos ; sed non erant de mundo, hoc est non erant de numero malorum : unde econtrario dicit Joannes de malis ; quod de bonis non sunt, dicens : *De nobis exierunt ; sed de nobis non erant* (I Joan. 11).

Mundus quod suum erat diligeret, etc. Nonne mundus quandoque odit mundum, ut prodigus avarum ? unde hoc est ? Quia odit sibi contrarium : vitium enim vitio contrarium est ; nec tamen odit quod manifestum est. Non enim prodigus avarum odit, quia malus est, sed quia contrarius sibi est. Diligit ergo in eo quod suum est, id scilicet quod malus est : odit vero in eo quod suæ nequitiae contrarium est.

Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Nunquid nullum peccatum haberent

A Judæi si Christus non venisset, et eis locutus non fuisset ? Non hoc dicit, quod nullum haberent peccatum, si non venisset, sed peccatum infidelitatis non haberent. Nullo enim modo eis imputaretur, quod non crederent in Christum, si ipse non venisset. Sed nunquid, si hoc peccato non tenerentur, sine fide Christi salvarentur ? Non : imo pro aliis peccatis damnarentur. Sed si aliud peccatum non haberent, quidam eorum, qui ante adventum Christi exstiterunt, pro eo quod fidem Christi non haberent, non damnarentur, quia excusationem de illo haberent ; sine enim prædicante id credere non possent, neque enim per rationem naturalem incarnationem Christi intelligere valuerunt. Pro quo ergo peccato damnarentur ? Nam dicere eos sine peccato damnandos esse, hoc est dicere Deum injustum esse. Ad quod dicimus, quod nullo modo talem permetteret Deus damnari, imo ei Christi fidem revelaret, si in cæteris mundus foret. Sed nec hoc esse posset, quod peccato ad mortem usque careret, et fidem Christi non haberet. Nam hoc manente cætera manerent, id est nullum remitti potest : hoc vero peccato discedente, cætera discedunt, id est hoc discedente per fidem habitam, jam homo id habet quod per cæteris carere potest peccatis. Fides enim primus introitus ad salutem est. Unde oportet accedentem ad Deum credere (Hebr. 11). Sicut ergo dicitur, quod *in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (Rom. 11), id est ex transgressione legis graviter punientur in æternum : et *qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (ibid.) : hoc est, non pro transgressione legis, quem non susceperant, peribunt, id est remissius punientur, ut *remissius erit Tyro, et Sidoni in die judicii quam generationi huic* (Matth. 11). Si qui nondum Christi fidem audierant, nec receperant, pro infidelitate perituri non erant ; sed illi, quibus prædicabatur, et virtute miraculorum comprobabatur, cum credere deberent et nollent, peccato infidelitatis tenebantur : et ob id gravius damnandi erant, quam si ejus fidem auditam, et propositam ex nequitia et invidia non contempsissent.

Qui me odit, et Patrem meum odit, etc. Dicit Augustinus semper illum locum Matthæi : *Aut unum sustinebit, et alterum contemnet* (Matth. 10), quod nullius conscientia potest Deum odisse. Sed in libro Retractationum retractat illud, dicit : Quod pœnitent se dixisse. Nondum enim in mentem venerat hoc : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* (Psal. LXXIII). Et ideo dicimus quod multi sunt qui Deum odio habent, quem quia ultorem scelerum sciunt, non esse vellent ; quia quem metuit quisque, perire capit. Ii vero sunt qui peccata diligunt, nec tamen vellent peccata, peccata esse vel mala : et sic ordinem et naturam rerum permutari vellent, de quibus hic dicitur : *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Sed super hoc movet Augustinus quæstionem, quomodo odirent, cum se odire nescirent. Ad cujus quæstionis solutionem spectat illa glossa,

quæ sic incipit: Non visos possumus diligere, vel *A odisse.*

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, etc. Quæritur quæ opera fecit Dominus, quæ alius non fecerit, per quæ possent credere ipsum Deum esse? Neque enim dici hoc potest de iis operibus quæ coram Judæis facta non sunt, ut quod de Virgine natus, quod a morte resurrexit. Hæc enim ipsi non viderant, ut per ea crederent. Dicitur ergo hoc de multitudine sanitarum, quas coram eis et in eis fecerat, quantam nullus alius in eis fecit, vel propter modum faciendi; quia ipse, per se tanquam potestatem habens, aliis omnes per ipsum. Si enim vera sunt miracula, ab ipso et per ipsum fiunt. Sin aliter, phantastica.

Sed venit hora ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (Joan. xvi). Hoc supponitur ad consolationem. Quasi dicat: Nolite desperare pro tribulatione. Nam per tribulationem et mortem vestram Ecclesia sic multiplicabitur, ut Judæi putent se obsequium præstare Deo in hoc quod vos interficiunt, ne lex Dei et templum deseratur ab omnibus. Sed quæritur an peccarent illi qui ignoranter persequebantur sanctos? Cum conscientia dictaret sibi illud pro Deo faciendum esse. Dicit enim Apostolus: *Omne quod ex fide non est, id est contra conscientiam, peccatum est (Rom. xiv).* Quare si non interficerent, cum conscientia dictaret id faciendum, peccarent. Ad hoc dicimus, ut sæpe diximus, quod sive facerent, sive contra conscientiam desisterent, ad mortem peccarent, ut dicitur: *Væ ampullæ, sive irruat lapidi, sive lapis illi.*

Quia non noverunt Patrem, neque me. Superius loquens de Patre dixit: *Quem vos dicitis, quia Pater noster est (Joan. viii):* hic dicit quia non noverunt eum.

Et cum venerit ille, mundum arguet de peccato, etc. Spiritus dicitur arguere, et charitatem dare; quia in ejus missione charitas apostolis collata est, non solum a Spiritu, sed a tota Trinitate: per quam charitatem missione Spiritus collata abjecto timore arguebant peccatores de incredulitate sua. Sed quæritur quomodo beatus Augustinus dicat hic, quod hoc peccato infidelitatis manente cætera maneant, eum hoc etiam dici possit de quolibet peccato, quod ipso manente, cætera maneant. Dicunt tamen quidam, quod potest quis de uno peccato, in quo est, pœnitere licet in alio perseveret: quod videtur illa auctoritas velle. *Pluit Dominus super unam civitatem et non super aliam, et unius etiam pars compluta est, pars compluta non est (Amos. iv),* quod est, quod unum peccatum remittitur alio manente. Sed dicit Jacobus: *Quod qui offendit in uno, reus est omnium (Jac. ii).* Et ipsa ratio quoque hoc exigit quod perseverans in uno non possit de alio pœnitere. Nam, si pœnitere est ex amore de commissis dolere, hic vero, qui de uno pœnitet et in alio perseverat, amorem non habet, quod inde patet, quia contemnit,

dum in peccato manere proponit, manifestum est quod talis vere pœnitere non potest, nec aliquid facere dum talis est, quod sibi prosit. Quare dicemus de illa auctoritate, quæ id velle videtur, quod aliter exponenda est. Sunt enim quidam qui de aliquibus peccatis ita compunguntur, ut in lacrymas prorumpant. De quibus dicit Hieronymus: *Lacryma delet peccatum, quod pudor est confiteri, id est quod tantum est, ut etiam erubescencia compellat in lacrymas prorumpere.* Non enim sic intelligendum est quod sine confessione per lacrymam deleri possit, cum pudor id prohibeat. Sunt et alia peccata, de quibus non adeo pœnitent, ut ad lacrymas veniant. Et hoc est quod dicitur: *Pars compluta est, pars non compluta; quia pro his sic compungitur quis, ut lacrymas emittat; pro illis vero peccatis non tantum dolet, ut fletus sequatur.* Cum ergo quolibet peccato manente cætera maneant, quomodo specialiter dicit Augustinus, de isto peccato infidelitatis, quod ipsum manens facit cætera manere? Et dicimus quod hoc in quadam comparatione dicitur. Nullum enim sic est causa quare cætera maneant sicut istud est, quia cætera peccata ex infirmitate insunt; istud vero ex nequitia. Vel quia isto manente, ne ad parvum quidem bonum erigi potest quis; sed, cæteris manentibus, aliquo modo ad bonum moveri potest. Aliquam enim compunctionem habere potest, qua moveatur ad bonum, etsi ei non prosit ad vitam.

De justitia vero, quia ad Patrem vado, etc. Arguitur mundus de peccato infidelitatis, et iterum de justitia non sua, sed credentium. Quod idem videtur esse cum eo, quod est ipsum argui de peccato: nam ipsum argui de eo quod in infidelitate manet; et iterum ipsum argui de justitia, est ipsum argui de eo quod credendo non vult justificari: quod idem esse videtur. Sed aliud est in fidelitate manere: aliud alios in fide non imitari. Unde illi arguuntur, quia non credunt; isti vero arguuntur, quia alios in fide non imitantur. Hoc est enim summa justitia, fide imitari quod non videtur.

Adhuc multa habeo vobis dicere, etc. Quæ sunt hæc multa, non possumus determinare. Hoc enim dicitur propter futuram illam revelationem, quæ erit in æterna beatitudine.

Docebit vos omnem veritatem. Et de præsentem, et de futuro.

Spiritus veritatis, etc. Hinc est illa Latinorum et Græcorum controversia. Arguunt enim nos Græci anathematis. Nam cum in Symbolo non habeantur hæc verba: *Spiritus sanctus procedit a Filio, et subscriptum sit ibi: Si quis aliud addit, anathema sit,* cum nos hoc addamus, anathematis reos nos judicant. Sed nos in multis locis habemus, quod Spiritus est a Filio sicut et a Patre. Dicit enim Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra (Galat. iv).* Et iterum: *Qui Spiritum Christi non habet (Rom. viii).* Et hic dicimus, quod Christus dicit: *Mittam eum ad vos.* Quomodo autem eum

mitteret, nisi daret? Et quomodo daret, nisi suus esset? Quare dicimus, quod utriusque est, et ab utroque procedit. Nec tamen aliud addimus, quia nihil oppositum. Sic enim accipitur aliud; et apud Paulum: *Si quis vobis aliud evangelizaverit, anathema sit (Galat. 1). De meo accipiet, etc.* Hinc vult hæreticus habere quod Spiritus sanctus minor sit Filio, quia accipiens minor est dante: quod determinatur per hoc quod dicitur de meo, hoc est a Patre, a quo et Filius. Unde potius patet ipsum esse æqualem, quam inferiorem.

Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Sed Pater hoc habet, quod genuit Filium, et habet Filium: non tamen Filius hoc habet. Et dicimus, quod omne bonum Patris est bonum Filii. Unde et hoc bonum Patris scilicet, quod ipse Pater est, vel habens Filium, est bonum Filii. Dicere namque quod Filius hoc habet, quod ipse Pater est Pater: nihil est.

Modicum, et jam non videbitis me, etc. Si hoc modicum ad totum tempus hujus vitæ refertur, quomodo hoc dicit, quod non videbunt eum, cum multi fidelium, quibus hoc dicit post ascensionem eum viderint, ut Paulus, et Stephanus, et alii: hoc autem uno verbo determinatur, quia non viderunt eum ulterius mortalem. *Usque modo non petivistis quidquam in nomine meo, etc.* Nihil petierant apostoli in nomine Domini, vel in nomine Jesu credentes diligendo, quod in hoc nomine Jesus significatur, vel in nomine, hoc est in illa puriore notitia et firmiore cognitione, quam postea abjectis imaginationibus delusoriis habituri erant, misso Spiritu sancto. Prius enim erant animales, et quasi veteres, quibus importune novum vinum crederetur. Sunt autem imaginariæ corporum similitudines, quando secundum aliquam formam corporum, ut velut radius solis penetrat aera, sic Deus putetur penetrare universa. Vel, sicut aqua omnes cavernas et poros spongiæ implet, sic ipse existimetur implere omnia, secundum quod ipse partes haberet et majus et minus reciperet. Ad hoc ergo, quod Deus pure videatur, oportet omnes hujusmodi imaginationes expellere, et transcendere, et ipsum Deum in se non imaginaria cogitatione, sed pura intelligentia contemplari. Quæ tamen hic habita umbra quædam est respectu illius visionis futuræ quando Deum immediate videbimus sicuti est. *Nunc enim videmus per speculum in ænigmate; tunc autem videbimus facie ad faciem (I Cor. 12).* Non tamen dico quin cognitio de Deo hic habitat surgat de visibilibus istis. Per visibilia enim invisibilia conspiciuntur (*Rom. 1*), sed hoc dico quod nulla forma rerum visibilium Deo attribuenda est. In tali ergo notitia petens, quod est in nomine illius petere, nullus repelli potest. Si enim petens solum, quod ad salutem sibi est, petit, nec fallitur in tali petitione: *Spiritualis enim omnia dijudicat, et a nemine judicatur (I Cor. 2).* Fuit autem petitio hæc quandoque affectu, quandoque et voce.

A *Hæc in proverbii locutus sum vobis, hoc est, obscure quantum ad parvam eorum capacitatem, quam tunc habebant, unde et Spiritu adveniente, hæc non proverbialia, sed verba intelligibilia fuere.*

Hæc locutus est Jesus et sublevatis oculis, etc. (Joan. 17). Hic terminatur sermo secundum quosdam, et incipit oratio. *Pater clarifica, etc.* Proxima passione orat Dominus audientibus discipulis, ut illos instante tribulatione ad orandum confugere doceret. Clarificatio Filii a Patre facta est maxime in resurrectione: quam fidem Filius operatus est cum Patre. Sed ad distinctionem personæ Patris a persona Filii dicitur Pater Filium a mortuis excitasse. Clarificatio vero Patris per Filium facta est, quando misso Spiritu sancto fidem firmam habebant, quia Deum Christum, et Filium Dei, Patri cœqualem credebant. Et sic per Filium incarnatum manifestatus est mundo Pater. Hæc autem cognitio plena non est, perficietur autem in futuro, quando ipsa erit summa beatitudo.

Quæritur autem de eo, quod dicitur: *Dedisti mihi potestatem omnis carnis: secundum quam naturam hanc potestatem acceperit, quod salvare potest, et vitam æternam dare.* Dicunt auctores, quod secundum humanam naturam hanc potestatem acceperit, et habeat, sicut et ipse resurgens dicit: *Data est mihi omnis potestas, etc. (Matth. 28).* Sic etiam dicimus, quod secundum humanam naturam Redemptor noster est, et Dominus, et adorandus. Sed, si hanc potestatem secundum humanam naturam habet, tunc secundum hanc inferiorem naturam Deo æqualis est, quod esse non potest. Et dicimus, quod secundum inferiorem naturam hanc potestatem, videlicet salvandi, peccata remittendi, excellentius multo quam cæteri suam potestatem, habeat, quia ex eo quod est unicus Filio Dei in unam personam. Hoc tamen notetur quod secundum, quandoque sic positum causam notat, ut si dicam secundum humanitatem est minor Patre, vel passus; quandoque persona in illa natura designatur, ut cum dico secundum humanam Redemptor est, vel potestatem salvandi habet. Hoc est ipse in humana natura existens vel ipse homo, hoc tamen notatur quod per humanam naturam redemit et quod secundum humanam naturam accepit. Homini enim hoc collatum est, ut unicus Verbo esset ille qui redemit, qui vitam confert æternam.

Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Non hoc, quod Deus et Pater omnium, sed per creationem, quod Pater meus es per generationem. Hanc enim personarum distinctionem ipse mundo manifestavit. Pater enim Filium de substantia sua sibi æqualem genuit: alium quidem in persona; idem tamen est Deus in substantia: ejusdem enim substantiæ sunt Pater et Filius.

Et mea omnia tua sunt. Superius dixit, omnia quæ Pater habet, mea sunt, de his dixit, quæ ad Deitatem pertinent, hic vero omnia sua Patris esse

dicit, de creaturis videlicet sibi datis a Patre A
agens. *Ut sint unum*, etc. Quasi dicat : Sicut nos
sumus unum in substantia, sic et ipsi unum sint
in dilectione. Nam rogare, ut essent unum in na-
tura humanitatis frustra esset, cum jam sic unum
essent in natura. Quod ergo in glossa dicitur, ut
sint unum in natura sua, sic intelligitur, ut sint
unum, id est in charitate concordēs, per quam
charitatem Deo cohæreant, a quo nati sunt, id est
esse habent ; unde natura, id est quod est ; unde
omne, quod est naturaliter ad esse tendit. Ipsi ergo
in natura unum sunt : qui ei tamen debent adhæ-
rere per dilectionem, qui esse est, et a quo esse
habent. Neque enim essentialiter unum esse pos-
sunt hominis, ut Pater et Filius. Sed sicut dicitur
quod *multitudinis credentium erat cor unum,* B
et anima una (Act. iv), sic et hic oratur, ut
sint unum, quæ unio vinculo charitatis perficien-
da sit.

*Sanctifica eos in veritate, etc. Qui credituri sunt
per verbum eorum, etc.* Eorum dicitur, quia pri-
mo eis commissum, et primo ab eis manifestatum
et prædicatum. In hoc quoque verbo, quod ab ore
eorum sonuit, Verbum illud, quod æternaliter ma-
net, innotuit, et se cordibus fidelium et electorum
infudit, et sua gratia ad credendum et diligendum
illuminavit. Unde et dicit : Qui credituri sunt
per verbum eorum, *ut sint unum in nobis*, id est
ut charitate nobis cohæreant, quæ est ex fide qua
credunt nos unum esse. Ex fide enim nascitur di-
lectio.

*Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego
in ipsis.*

Adduxerunt ad Annam primum (Joan. xviii),
etc. Primum ad Annam ductus est Dominus, con-
tra ordinem dignitatis Caiphæ, qui illius anni pon-
tifex summus erat, ut omnia ab illo inordinate
fierent. Nihil enim ordine geritur, ubi de nece Sal-
vatoris tractatur.

Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius ?
Quæritur hic, an Petrus negando peccavit, etsi in
negatione dilexit. Et volunt quidem aliqui Petrum
non solum a peccato, sed etiam a negatione de-
fendere. Sed a neutro defendi potest. Sed quæri-
tur an, cum negaret, charitatem haberet necne ?
Et dicunt quidam, quod tunc non minus quam
prius diligebat, sicut aliquis pater tradens filium D
suum pro se ad mortem, non minus eum tunc
diligit quam prius. Ipsum tamen mavult mori
quam se. Sed si sic diligebat, ut se Christo præ-
ferret, nullo modo charitatem habuit, cum hoc sit
charitas ut plus quam se homo diligit Deum. Sic
ergo aut prius charitatem non habuerat, aut quam
prius habuit, tunc perdidit. Sed prius eam chari-
tatem habuisse omnes pene confitentur. Unde ex
nimio charitatis affectu et ardore, et se positurum
animam, et non negaturum pro morte promi-
serat. Sed dicitur, quod nunquam tantum ar-
dorem habuit, ex quo mortem subire posset
pro Christo. Et si periculum instaret, potius Chri-
stum negaret quam mortem pro illo subiret :

PATROL. CLXXV.

quare nunquam charitatem habuisse videtur. Sed
dicimus quod multi sunt, qui charitatem habent
tamen in affectu et proposito, multi et in affectu
et constantiæ perseverantia ; ii vero, qui tamen
eam in proposito habent, sic videlicet, ut propo-
nant se prius mori velle, quam Christum negare,
cum perveniunt ad experimentum, deficiunt. Non
enim possunt perferre quod promiserunt. Et sunt
similes Petro, qui, ut dicit Hieronymus, erat quasi
avis sine pennis, quando se pro Christo moritu-
rum promisit. Avis enim sine pennis volare vult
sed non potest. Talem ergo affectum Petrus ante
negationem habuit : in quo si perseveraret, nun-
quam ex timore Christum negaret. Sed quia
virtutem constantiæ, cum hoc affectu non ha-
bebat : idcirco imminente periculo metu mortis
deficit, et affectum charitatis, quem prius habue-
rat, amisit. Et sic negando ad mortem peccavit :
quod peccatum amaro fletu compunctionis dele-
tum est.

Et in occulto locutus sum nihil. Quasi dicat,
nihil locutus sum ad hoc, ut occultaretur ; sed om-
nia locutus sum, ut congruo tempore palam fie-
rent, et super tecta prædicarentur.

Si male locutus sum, etc. Videtur resistere per-
cutienti, cum dicat quasi increpando : *Cur me
cædis ?* Sed veritatem dixit, et tamen paratus fuit
non solum alteram præbere maxillam, sed totum
corpus exponere ad pœnam ?

Respondit Jesus : Tu dicis. Quæritur primo de
locutione, quam protulit Pilatus, dicens : *Ergo rex
es tu ?* interrogando enim hoc dixit et nihil affir-
mavit, ut videtur. Sed quia Dominus quem men-
tiri est impossibile, dicit : quod dixit eum regem
esse, idcirco dicimus, quod multoties sic interro-
gat aliquis, ut ex ipso modo interrogandi asse-
rere videatur, quod quærit. Hunc ergo modum
habuit Pilatus in interrogando, sive quia credidit,
sive quia Spiritus sanctus quasi instrumento eo
utens, sic proferri interrogationem fecit, ut ex
modo dicendi hoc assereretur. Pilato autem respon-
det Dominus per verbum præsentis temporis, di-
cens : *Tu dicis.* Per præteritum vero pontifici di-
cens : *Tu dixisti.* Quia per sacerdotem populus
Judæorum significatur, qui in lege et jam dudum
Christum regem asseruerant. Per Pilatum vero
gentilis populus intelligitur, qui in proximo hoc
dicturus erat, scilicet Christum regem cæli et ter-
ræ esse : unde dicit : *Tu dicis.* Quasi dicat, in
proximo futurum est, ut dicas me regem esse, et
cognoscas per virtutem miraculorum.

Non haberes in me potestatem nisi (Joan. xix),
etc. Hic primo quæritur an Pilatus peccaverit, cum
ad hoc niteretur quantum poterat, ut ab eorum
manibus Dominus eriperetur. Quia igitur eum
morti tradidit, nec amplius quam fecit, facere po-
tuit : quare eum reum mortis Christi dicemus ?
Sed dicendum est, quod nulla ratione potestatem
in Dominum exercere debuit, nec præ timore ali-
quo Judæis ex invidia urgentibus consentire. Quod

quia fecit, peccavit. Deinde queritur an potestas Pilati a Deo esset, et utrum ea in nece Domini usus est. Et est manifestum, ut dicit Apostolus, quod omnis potestas a Deo est, sive honorum, sive malorum : quare et potestas Pilati desuper, id est a Deo data : quare et bona. Si ergo ea usus est crucifigendo Dominum, ex eo ipso non peccavit. Dicimus autem quod potestatem a Deo habuit bonam ; sed occidendo Dominum non ea usus est, sed abusus. Ex potestate tamen habuit, sic ea posse abuti. Sicut rex aliquis tyrannidem exercens, non hoc facit ex regia potestate, quia illa tantum ad justa extenditur. Ex eo tamen, quod regiam habet potestatem, tyrannidem exercere potest. Potestas enim, quam habet, licere facit ipsa abuti potestate. Sic ergo Pilatus non haberet potestatem, quia potuit abuti in Dominum, nisi esset sibi data desuper, id est non posset hanc nequitiam in Dominum exercere, nisi potestatem illam, quam habebat, a Deo accepisset. Vel non haberet Pilatus potestatem hanc in Dominum, quod ipse ei tanquam reus constitueretur, nisi illam haberet desuper. Sed quia Pilatus hanc potestatem ullam, id est quantulamcunque, quia sub alterius superioris potestate habebat, utpote sub Cæsare, idcirco subicit Dominus :

Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Nam, quia timore superioris potestatis coactus. Pilatus hoc fecit ; Judæi vero ex sola invidia : magis autem peccat, quia ex invidi peccat, quam qui ex timore : idcirco dicit Dominus, quod populus Judaicus, qui tradidit illum Pilato, majus peccatum habet tradendo, quam ille faciendo : ipse tamen a peccato non est immunis, licet minus peccaverit ex timore, quam illi ex invidia.

Erat autem parasceve paschæ hora, quasi sexta. Marcus dicit quod hora tertia crucifixerunt eum. Et hic dicit, quod hora sexta erat, quando Pilatus sedit in tribunali, tradens Dominum ut crucifigeretur. Quos Hieronymus sic concordat, dicens quod immolatio Christi a nona hora noctis incœpit, quando in domo Annæ judicatus est reus mortis, et ab illa hora noctis usque ad tertiam horam diei sex horæ computantur ; et in illa hora diei tertia, præparationis sexta, crucifixus est Dominus. Neque enim hoc potuit esse, ut ipse dicit, quod in sexta hora, a qua incipiente usque ad nonam, id est finem sextæ tenebræ erant super universam terram, illa omnia fierent, quæ, Domino in cruce posito, facta sunt : quod ei videlicet illuderent, et quod vas aceti ei porrigerent, etc. Videntes enim terræ motum et tenebras, percutientes pectora sua revertebantur.

Et erat scriptum Hebraice, etc. Non ter erat scriptus titulus, sed in partibus illius tres linguæ continebantur : ut dicit Hieronymus. Sic Malchus Judæorum exomoloson.

Mulier, ecce filius tuus. Nullus sic intelligat, quod se demonstrando dicat : Ecce filius tuus ;

A imo de Joanne hoc dicit sicut et postea ad discipulum dicit : *Ecce mater tua* ; quasi cui tu curam impendes ut matri. *Vas autem erat positum aceto plenum, etc.* Aut casu aliquo, aut forte divina providentia ibi erat vas cum aceto.

Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportuit eum a mortuis resurgere (Joan. xx). Ex hoc loco, et ex eo quod Petrus dicit Domino suam passionem prædicenti : *Absit a te, Domine ! (Matth. xvi)* videtur quod Apostoli nondum fidem mortis et resurrectionis Christi haberent, sine qua nec charitatem habere poterant et dicimus quod in morte Christi charitatem sicut et fidem amiserunt, quando relicto eo fugerunt. Sed ante mortem Petrus etiam hoc dicendo, absit a te, Domine ! et charitatem, et fidem habebat. Ex nimio enim ardore dilectionis hoc dixit. Ex ardore enim dilectionis non sustinebat audire mortem ejus, cujus æternitatem confessus erat dicendo : *Tu es Christus, Filius Dei vivi (Joan. xi).* Unde sic prohibendo a morte erravit quidem ex pietate, sed non peccavit. Credidit quoque et fidem habebat, sed ænigmate et obscuritate quadam sacramentorum. Credidit enim vera esse quæ Dominus dicebat de morte sua ; sed, quia in parabolis eis loqui consueverat, idcirco aliud cum dicere putabat : in nullo tamen discredens, quod Dominus dicebat : *Sicut fidem habet simplex et idiota credens quidquid prælatus ejus credit, cum tamen ipse distinguere nesciat.* Verum enim esse fatetur quidquid in Evangelio dicitur, et tamen quid dictum sit nescit.

Quorum remiseritis peccata, etc. Post insufflationem, et Spiritus dationem inquit : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. Unde queritur quæ peccata posse remittere eis Dominus dederit. Nam si dicatur, ut quidam dicunt, quod pœnam peccati tantum posse remittere receperunt, parum hoc fuisse videtur. Nam non multum est istam pœnam temporalem pro peccato sustinendam, aut remittere, aut vitare. Dicitur etiam Petro : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælis (Matth. xvi).* Quod quidam sic intelligere volunt. Quodcunque ostenderit super terram, ubi Ecclesia tantum ligare potest, esse ligatum, erit ligatum et in cælis. Nam hoc esse officium apostolorum et eorum successorum dicunt, quod sacerdotum in veteri lege, ostendere solutos, sicut et illorum erat ostendere mundatos. Sed hoc parum quidem est ostendere, et nullum effectum in solvendo, vel ligando habere. Unde dicimus quod Dominus principaliter apostolis remissionem peccatorum, non dico pœnarum tantum, sed et culparum ; non pœnæ temporalis, sed et æternæ facere posse contulit ; et non solum illis sed omnibus successoribus eorum, vicem eorum in terris gerentibus. Et tamen verum est solum Deum peccata remittere, sicut et ipsius solius est justificare, cum tamen fideles justificet. Non enim alius quam ille operatur, quod ipsos per mini-

stros suos facit. Ipsi tamen ministri id vere facere dicuntur, quod Dominus eorum ministerio facit et comprobatur. Quotiescunque ergo sacerdotes tradita potestate utentes peccata remittunt, et a Deo remittuntur : et quoties retinuerint, id est ab Ecclesia fidelium separaverint, et morti adjudicaverint, et illa retenta sunt. Ideo autem dico tradita utentes potestate : quidam sunt, qui indiscrete solvunt, vel ligant. De quibus dicitur in propheta : *Maledicam benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris* (*Malac. II*). Nam, ut alibi dicitur, mortificabant animas quæ vivebant, et vivificabant quæ moriebantur (*Ezech. XIII*). Cum ergo prælatus aliquis coactus aliqua necessitate ligat aliquem, qui tamen reus non est, vel solvit, qui tamen intus solutus non est, recte facit, et quod ab ipso faciendum est. Unde et hoc Deus solvit, et ligat, id est ratum habet, quod a prælato sic factum est. Nec tamen Deus huc solvit in anima, nec illum in anima ligat, sicut nec Ecclesia, cujus iudicium semper verum est. Nec enim hunc reum iudicat, sed ligandum, ut rigor Ecclesiæ, et regula justitiæ servetur. Est ergo verum, quod dicitur : Quorum remisistis peccata, id est quorum peccata per vos remissa sunt, et apud Deum remittuntur. Et est hoc generaliter dictum, non solum apostolis (ut quidam dicunt, hoc fuisse prærogativam apostolorum) sed omnibus ipsorum successoribus, et dictum et datum.

Si quis autem dicat in vera cordis contritione peccata ante esse remissa apud Deum, quam ad sacerdotem veniat qui pœnitet, et sic non oportere a sacerdote remitti ; dicimus quod non est ita ; sed et Deus prius, ex quo vere ingemiscit, remittit : et similiter in confessione per ministerium sacerdotis, et etiam in executione satisfactionis remittit. Tandiu enim debitum remitti dicitur, quandiu de debito aliquid restat faciendum, et cum debitum pro peccato dimittitur, merito et ipsum peccatum dimitti dicitur. Sicut et in eo qui ad baptismum in vera cordis contritione accedit, apparet : ante enim quam baptismum suscipiat per fidem et veram pœnitentiam, peccata ei remissa sunt, per baptismum remittuntur ; nec est alia hæc remissio quam illa ; nec iterata, sed eadem et continuata.

Infer digitum tuum huc, etc. Quæritur utrum Dominus post resurrectionem vulnera, an cicatrices ostenderit. Et est patens quod cicatrices tantum ostendit, quæ etiam in die iudicii gloriosæ apparebunt, et gloriosiores forsitan quam cæteræ partes corporis, eo quod Dominus in illis majorem exhibitionem obedientiæ ostendit. Licet tamen quædam auctoritates velle videantur, quod latus apertum ostenderit.

Multa quidem, et alia signa fecit Jesus, etc. Hic terminatur liber ex proposito auctoris. Sed tamen post hæc quædam adjungit ad majorem instructionem lectoris. Magna namque fidei sacramenta in his continentur, quæ ipse adjungit.

Vado piscari (*Joan. XXI*), etc. Quæritur quomodo

A Petrus, postquam cognoverat Dominum resurrexisse, ad piscationem reversus fuerit, cum a Domino sæpe audisset, et legisset forsitan : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retrorsum, aptus est regno Dei ?* (*Luc. XI*). Sed dicimus quod non retro respexit, quia ad cupiditatem sæculi non rediit. Unde licet navem et retia liquisset, ut non amplius eis uteretur ad lucra quærenda, tamen licuit ei iterum his uti ad supplendam necessitatem. Quibus non lieuit uti ad sæculi cupiditatem.

Venite prandete, etc. Comedit Dominus vere cum discipulis post resurrectionem, sicut et illi angeli, qui ab Abraham recepti sunt : non tamen cibus ei incorporatus est, sed masticando consumptus est, sicut per ignem carnes holocaustorum.

B Sed hoc magis movet quomodo Dominus per comestionem veram resurrectionem corporum illis probaverit, quoniam in resurrectione nec cibo nec potu indigebunt, sicut Dominus ipse ante dixerat : *Neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut angeli Dei* (*Matth. XXII*). Spiritualia enim corpora ibi erunt, non animalia. Animale enim dicitur, quod alimentis indiget. Sed dicendum quod, licet hoc audivissent, non tamen intellexerant, vel in memoria habebant. Spiritus enim sanctus de cælo missus multa quæ non intellexerant, et quæ oblivioni tradiderant, eis suggessit, sicut et Dominus dicit : *Ille suggeret vobis omnia.* (*Joan. XIV*), etc. Ut ergo magis crederent, cum eis comedit ad majorem resurrectionis suæ fidem, de qua dubitarent, nisi tot argumentis eam comprobasset.

Simon Joannis diligis me plus his, etc. Dicit Hieronymus quod Paulus apostolus et virgo fuit et, ut ipse dicit, *plus omnibus laboravit* : et ideo majoris meriti eum, quam aliquem aliorum esse dicit. Quod si est : etiam plus omnibus aliis dilexit. Quomodo ergo dicit Dominus, quod Petrus plus cæteris diligit ? Levis est autem solutio quia cæteris apostolis, qui ibi erant plus dilexit.

Alius te cinget, et ducet quo tu non vis, etc. Ostendit Dominus Petro qua fuerat morte moriturus : et etiam quomodo molestiam mortis esset suscepturus docet, dicens : *Ducet te quo tu non vis.* Super hunc autem locum dicit expositor, quod nolens ad illam molestiam est ductus, sed volens est eductus. Cum enim Petrus ad mortem duceretur, ipsam mortem natura infirmitatis humanæ exhorruit : et sic Petrus affectu carnis mortem subire respuit, et ita nolens ductus est ; sed et in ipsa passione ex ardore charitatis hunc ipsum horrorem perdidit, et insuper ei ipsa pœna placuit, et dulcis fuit. Sicut de Stephano legitur, quod lapides torrentis ei dulces fuere ; et sic volens etiam affectu carnis non solum voluntario appetitu rationis, quem semper habebat, eductus est, id est in morte consummatus. In hoc autem loco etiam quæritur de voluntate Christi, quam ipse habuit in passione sua imminente. Sic enim orat : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*

magnitudine, et multitudine. Qualitas simili modo in duobus, in qualitate operis et in qualitate facientis. Opera, quæ ex qualitate sui sunt mala, quacunque intentione fiant, nocent facienti. Qui autem bona non bona intentione facit, non peccat qui ea facit, sed quia non bene ea facit : et forsitan plus peccaret si ea non faceret.

Fit aliquando comparatio rei ad rem secundum substantiam, ut cum dicitur : Homo melior est omni alia creatura. Aliquando fit comparatio secundum extrinsecam causam, ut ubi Dominus vineæ operarios undecimæ horæ comparavit et pares fecit operariis illis, qui primo mane venerant (*Matth. xx*) : utrisque reddidit denarium ; utrisque justitiam servavit, non secundum quantitatem laboris, sed secundum æquitatem conventionis.

Æternus iudex cum omnibus fecit conventionem. Mortaliter peccantibus promisit æternum supplicium ; propter Deum bona operantibus æternum præmium. Nemo conqueratur si secundum æquitatem conventionis unicuique reddatur.

Fortitudo est considerata susceptio periculorum cum perseverantia.

His quidem, qui secundum patientiam boni operis, etc. Quidam sunt patientes in bono, quidam in malo. Quidam impatientes in bono, quidam impatientes in malo. Patientes in bono sunt, qui in bono perseverant, qui a bono flecti non possunt. Patientes in malo, sunt obstinati in malo. Impatientes in bono sunt, qui facile a bono recedunt, vel cum murmure aliquod bonum faciunt. Impatientes in malo sunt, qui cito resipiscunt, vel qui delinquentes cum quadam impatientia, et supra modum corripunt.

His autem, qui sunt ex contentione. Contentio alia venialis, ut illa discipulorum ; alia est inquisitionis, quæ fit causa inquirendæ veritatis ; alia damnabilis est, ut illa, de qua loquitur Apostolus, quæ est impugnatio veritatis per confidentium clamoris (*I Tim.*).

Alii veritati non acquiescunt præ amoris magnitudine, ut Petrus, qui Dominum moriturum credere non potuit (*Marc. viii*) ; alii ex invidia, et mentis excæcatione, ut ii de quibus loquitur hic Apostolus.

Non enim auditores legis justi sunt, etc. Auditores legis dicuntur, qui legem habent, nec eam etiam secundum litteram observant. Auditores etiam legis dicuntur, qui eam secundum litteram observant, nec aliud in ea attendunt. Item dicitur opus legis, quod ipsa secundum litteræ superficiem docet facere. Opus etiam legis dicitur illud, propter quod instituta est, hoc est opus fidei : quod opus legis quicumque faciunt justificantur. *Hic est finis legis in Christum credere, et ei per dilectionem adhærere.*

Gentes naturaliter, ea quæ legis sunt, faciunt, id est non adjuti per legem, sed sola naturali ratione reformata per gratiam. Istud ergo natura-

liter, legem et non gratiam excludit, Hoc est gentes sine lege, sed non sine gratia, legis opus faciunt.

Testimonium reddente illis conscientia. Conscientia nunc de bono, nunc de malo dicitur. Et dicitur mala conscientia, quia amara, quia remordet : sicut pœna est mala, quia gravis ; nec ubi non est conscientia, nec conscientia.

Et nosti voluntatem ejus. Nota quod voluntas Dei quandoque est ad rem et non ad actum rei, ut in bonis quæ sunt : quandoque ad rem et non ad actum rei, ut cum dicitur, Deus vult salutem omnium hominum. Dicunt quidam, quod Deus vult, id est permittit mala fieri. Sed nonne mala fieri prohibet Deus ? Quomodo ergo permittit quod prohibet ? Solutio. Cum dicitur, Deus permittit mala fieri, sensus est, id est non impedit quin fiant. Si autem dicitur, permittit mala fieri, id est concedit, non est verum. Videtur quibusdam, quod non sit concedendum quod Deus velit hominem peccare, vel inobedientem esse sibi, vel esse contrarium suæ voluntati : quæ omnia nonnulli concedunt.

Habentem formam scientiæ, id est plenitudinem, vel formam, non rem ; imaginem, non veritatem. Sacrilegium facis. Sacrilegium est violatio rei sacræ, ut templi sive materialis, sive spiritualis, et omnino eorum quæ ad cultum Dei pertinent.

Circumcisio quidem prodest, etc. Triplex est circumcisio : prima carnis, secunda cordis, tertia carnis et cordis. Prima habuit statum suum tempore legis ; secunda in tempore gratiæ ; tertia in futuro. Prima fuit signum secundæ, et secunda tertiæ. Cum ergo de circumcisione carnis fiat sermo cum dicitur, circumcisio prodest, etc. Quæritur quid hoc ad præsentem statum pertineat, quem hi habebant, quibus scribebat, Apostolus ? Solutio. Multum ; quia adhuc de priori statu Judæi ad fidem conversi gloriabantur. Sicut autem : *Si diligitis me, mandata mea servate (Joan. xiv)*, non quod dilectio potest haberi sine mandatorum observatione, sed quia ipsa est signum dilectionis, hoc dicitur : sic quidam de circumcisione cordis intelligunt : hæc autem circumcisio prodest, etc.

(Rom. III.) Est autem Deus verax, etc. Verax in effectu, veritas in essentia. Item veritas, nunc nomen est essentiæ, ut ubi : veritas est Pater, veritas Filius, veritas Spiritus sanctus. Sæpe vero Filius dicitur Veritas Patris, quia per ipsum verax innuit. Vel ideo veritas Patris Filius dicitur, quia veram Patris habet naturam : et hæc contra Arianos.

Super omnes qui credunt in eum, etc., quia de super gratis datur. Non ab inferioribus meretur, fides, justitia, et quælibet virtus gratis datur ; nec eas, sed per eas homo meretur.

Non tenetur homo lege naturæ, ut pro proximo moriatur, alioquin nemo infra perfectionem posset habere charitatem.

Exclusa est, etc. Excludere duobus modis accipi-

tur, scilicet prorepellere, vel pro extra clausum ponere, id est manifestare.

Auctoritas est dictum, vel factum imitatione dignum.

Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. Non dicit dubitative, sed asserit cum discretione. Non est arbitrium sine discretione: quod tunc est liberum, quando est ad bonum; tunc oppressum, quando ad malum.

An Judæorum Deus tantum? Quæritur cur lex magis sit data Judæis quam gentibus, cum Deus sit Pater et Auctor utrorumque. Solutio. Data est lex Judæis pro gentibus, quia transitura erat de Judæis ad gentes.

Legem statuimus, id est finem imponimus, ut cesset; vel statuimus, id est statum quem habere debet, damus, scilicet spiritualem.

(Rom. IV.) Merces non imputatur secundum gratiam. Non sic omne bonum, quod agimus, attribuendum est gratiæ, ut meritum liberi arbitrii tollatur: qui error est Manichæorum. Nec sic merito hominis, ut gratia secludatur; in quo Pelagius errabat. Concedimus quidem totum esse ex gratia, sed ex sola gratia, cum aliquid sit ex merito: sic tamen ut illud idem sit ex gratia. Omne enim bonum meritum, quod est ex libero arbitrio, est ex gratia; sed non quidquid est ex gratia, est etiam ex hominis merito. Homo naturaliter vult bonum, sed sine gratiæ effectu caret: ut oculus potentiam videndi, quam habet naturaliter, non potest exercere sine luce superveniente. Homo ex libero arbitrio potest bonum et malum; sed liberum arbitrium est naturalis potentia; sed posse malum est naturalis impotentia: quomodo ergo posse malum pertinet ad liberum arbitrium? Quomodo idem potest esse effectus potentiæ et impotentiae? Dicunt quidam quod posse malum non pertinet ad liberum arbitrium. Secundum quos sic describitur: Liberum arbitrium est discretio boni et mali cum facultate faciendi bonum, et dimittendi malum. Nobis autem videtur quod liberum arbitrium sit facultas discernendi, et eligendi, et exsequendi. Hoc dico secundum primum statum: quæ facultas per culpam quantum ad executionem penitus deleta est; quantum vero ad discretionem et electionem multum diminuta.

Dicunt quidem quod tanta fuit efficacia circumcisionis in tempore legis, quanta est nunc baptismi. Quibus sic objicitur: In Spiritu sancto renascitur qui baptizatur, quod non credimus fieri in circumcisione. Item in baptismo fit remissio omnium peccatorum: insuper datur virtus bene operandi, et in bono proficiendi et in profectu perseverandi. In circumcisione tantum fuit remissio omnium peccatorum; non ergo tantum profuit, vel tantam habuit efficaciam, quantam habet baptismus. Illi quibus omne peccatum dimittebatur, digni erant salute non solum pro eo, quod habebant, sed potius pro eo quod habituri erant per gratiam Christi. Reatus enim originalis peccati non sic dimittebatur, ut

A omnino nullus esset, sed ut sustentaretur usque ad Christum.

Abraham dictus est prima via credendi, quia primum fides in eo enituit.

Legis impletionem impediēbat præceptorum ejus multiplicitas, magnaue austeritas et parva utilitas. Impletionem Evangelii adjuvat præceptorum ejus brevis. Quid enim brevius: *Crede, et salvus eris?* (Rom. x.) Quid suavius charitate? Quid utilius summa beatitudine? Ante Deum pater ponitur, qui magis Deo quam sibi filios generare quærit.

(Rom. V.) *Pacem habeamus ad Deum.* Est pax in Deo, est ad Deum pax. Pax in Deo erit in futuro, quando Deus erit omnia in omnibus; pax ad Deum est in præsentī. Unde propheta. *Pacem super pacem:* quasi dicat, pacem pro pace, sicut gratiam pro gratia.

Gloriamur in tribulationibus. Si caro vincit Spiritum, pro victoria cum spiritu victo punietur et ipsa. Si spiritui cedit, cum eo pariter stola immortalitatis, et corona gloriæ remunerabitur. Quæritur quomodo in tribulationibus sit gloriandum, cum Dominus dicat: *Pater, transfer a me calicem istum* (Luc. xxii). Solutio. Tribulatio tribus modis contingit: ad pœnam, ad correctionem, ad augmentum coronæ. Item in tribulatione tria consideranda sunt: amaritudo, causa et finis. Si igitur justitia sit in causa, gloriandum est in pœna, non pro pœna, sed pro ejus causa et fine.

C Exercitium tribulationis dispositionem patientiæ convertit in habitum patientiæ et sic tribulatio operatur patientiam, non dispositionem, sed habitum:

Probatio vero spem. Probatio quandoque ponitur pro purgatione, ut ibi *Tanquam aurum in fornace probavit,* id est purgavit.

Spes est de futuro bono cum scientia boni [conscientia bona].

Diligitur amicus in Deo, id est quia est in Deo. *Inimicus in Deum,* id est ad hoc ut habeat Deum.

Bonitas nostra nil aliud est nisi affectio mentis summæ bonitati adhærentis.

D Gratia Dei ad Spiritum sanctum referri solet, ideoque quod per solam et meram gratiam Dei fit, sæpe per Spiritum sanctum fieri dicitur.

Omne peccatum large potest dici impietas, eo quod a bonitate et pietate discordat.

In quo omnes peccaverunt. Quæritur quomodo omnes in Adam peccaverunt, cum secundum animam, ad quam pertinet peccare, in eo non fuerunt? Solutio. Quia secundum carnem in eo fuerunt, a qua anima trahit causam peccati: ideo omnes in eo peccasse dicuntur. Omnium caro tota, sed non tanta in Adam fuit, quæ in se multiplicata est sine mutatione cibi vel potus in tantam multitudinem.

Usque ad legem peccatum erat in mundo. Quæritur quomodo per legem regnum mortis destrui cepit. Lege enim data, regnum mortis videtur auctum,

quia *lex subintravit, ut abundaret delictum*. Solutio. Dicunt quidam quod cognitione peccati, et timore pœnæ cœpit destrui regnum mortis per legem, vel in idololatria per legem destructum est.

Si Christus non est unus, vel aliquis homo, ut quidam dicunt, quomodo dicit Apostolus in gratia unius hominis?

Originale peccatum secundum alios dicitur reatus peccati; secundum alios ignorantia, et concupiscentia; secundum alios originalis injustitia; secundum alios fomes peccati.

Si primi parentes non peccassent, parvulorum haberent justitiam originalem per quam digni essent vita, cujus justitiæ privatio dicitur originale peccatum secundum magistrum Acardum.

Si non esset peccatum, anima in prima ætate haberet usum et exercitium rationis, quia nullum esset ei impedimentum, alioquin brutis animalibus inferiores nascerentur parvuli ut modo. Major enim vivacitas sensuum viget in brutis animalibus ætatis illius quam in parvulis. Quod probat utrumque natura inspecta.

In baptisate confertur originalis justitia, non illa quam haberent parvuli, si non esset corruptio peccati; sed illa quæ intelligitur in participatione meritorum Christi. Privatio igitur illius primordialis justitiæ sic in baptisate tollitur; non sic ut ejus habitus conferatur, sed sic ut non imputetur. Hæc autem originalis justitia, quæ datur in sacramento regenerationis, tantum valet ad meritum, quantum illa prima, et forsitan plus, quia nostri parvuli, qui decedunt statim intrant ad gaudium.

Anima corruptionem habet ex corpore, quæ sicut corpus ex Adam est. Unde merito et peccatum dicitur anima habere ex Adam, quia ipsa corruptio causa est quare anima sit subjecta peccato: et tali modo licet anima non sit ex traduce, tamen trahit peccatum ex traduce. Dicunt quidam quod originale peccatum in baptismo secundum solum æternæ damnationis debitum dimittitur, et manet etiam post baptisma secundum culpam. Juxta illud Apostoli: *Jam non ego operor illud; sed quod habitat, in me peccatum* (Rom. xvii). Ecce Apostolus vocat hoc peccatum. Nobis autem videtur, imo fere omnibus, quod non sit culpa, vel peccatum post baptisma.

Christus meruit, id est aliquid prius non sibi debitum acquisivit, non est verum. Christus meruit, id est opus virtutis dignum remuneratione fecit, verum est. Sancti per tormenta quæ patiuntur, merentur, licet totum sit ex gratia: sicut per id quod diligunt et bona opera faciunt merentur, licet et hoc totum sit ex gratia. Si igitur legatur quod solus Christus meruit, sic intelligatur ut Deus solus est bonus, et solus Deus facit mirabilia.

Christus libero arbitrio fecit quidquid fecit, licet non potuerit peccare: non necessitate, hoc enim esset quasi ex coactione.

Est meritum, quo meremur, quod nondum habe-

mus: est et meritum, quo mereamur retinere quod jam habemus.

Potest concedi quod Christus meruit immortalitatem, id est talem obedientiam exhibuit, quæ tali remuneratione digna fuit. Quæritur utrum Christus in omnibus operibus suis nobis æqualiter meruerit? Quod videtur, quia omne opus quod fecit pari charitate fuit informatum, et sic videtur, quod in nativitate tantum nobis meruit, quantum in passione: ergo in nativitate redempti sumus, et sic ante mortem: quod non est verum. Solutio. Licet charitas Christi in se non receperit incrementum, recepit tamen in effectu. Unde dicitur Deus unum magis diligere quam alium, propter majorem vel minorem effectum. Juxta hunc modum potest dici, et verum est, quod plus nobis meruit in morte sua quam in nativitate: et in morte ejus redempti sumus, et non in nativitate.

Non est, justus quisquam, etc., ad majorem partem referendum est, et non generaliter ad omnes.

Causativæ dictiones quandoque notant causam, nunc consecutionem; nunc alicujus occasionem.

Ubi abundavit delictum, etc. Istud, ubi, non ad personas, sed ad tempus refertur. *Noctem in suo cursu iter peragere* (Sap. viii), est peccatum in mortali corpore regnare. Licet Judæus et gentilis idem facerent peccatum, plus tamen peccat Judæus quam gentilis lege data, et monachus quam laicus in eodem facto.

(Rom. vi.) *Qui enim mortui sumus peccato*, etc. Illi mortui sunt peccato, in quibus peccatum est mortuum ut saltem non dominetur. Illi vivunt peccato, in quibus regnat peccatum et dominatur.

In morte ipsius baptizati sumus. In morte, id est in fide mortis, vel in efficacia mortis vel ad similitudinem mortis Christi baptizati estis. Duobus modis quis baptizatur in Christo, scilicet vel sic, ut sit in Christo ut bonus; vel sic, ut possit esse in Christo ut fictus.

Per gloriam Patris, id est potentiam resurrectionis, in qua Pater Filium suum glorificans, ab eodem est glorificatus.

Corpus peccati universitatem vitiorum vocat quorum auctor diabolus est. Vel in corpore peccati duo intelliguntur, natura et culpa: quod ergo in corpore est ex peccato; jubet Apostolus destrui, non id quod ex natura.

Quando officio membrorum nostrorum fit aliquod malum, tunc membra nostra sunt arma militantia iniquitati; quando officio eorum fit aliquod bonum propter Deum, tunc membra nostra sunt arma justitiæ militantia Deo.

Tunc fomes peccati dominatur nobis, vel diabolus, quando trahit nos ad peccatum mortale.

Præceptum est de his, sine quibus non est salus. Prohibitio de his, cum quibus salus esse non potest. Permissio, vitæ laxioris concessio. Consilium, melioris vitæ admonitio.

Juris ratio exigit ut juxta meriti quantitatem A reddatur et præmium. Mors autem Christi meritum est, pro quo debitores sumus. Huic autem merito nil secundum quantitatem etiam moriendo reddere possumus. Nemo ergo dicat, quod non plus debet quam possit. Quod ergo Deus minus debito accipit gratia est sine qua nemo salvatur. Si quis enim tantum Deo redderet, quantum debet, is gratia non indigeret. Non est enim misericordia, ubi tantum redditur.

(Rom. VII). *Et vos mortificati estis legi, etc.*, potest dici, quod David in hoc legi vivebat, quod eam secundum litteram servare tenebatur; et in hoc mortuus erat legi, quod non quærebat ex ea justificari. Item cum Christo erat per fidem et gratiam. Nondum tamen gratiæ instituta et novæ legis sacramenta servabat.

Ut fructificarent morti. Lex Moysi dicitur lex mortis propter transgressionem, quæ causa est mortis, vel quia peccantes interficiebat.

Ut serviamus in novitate spiritus, ut non in vetustate litteræ. In novitate spiritus servit, qui in iis servit, quæ innovant hominem, et Christo conformem reddunt. In vetustate litteræ servit, qui in iis servit, quæ hominem veterem faciunt, et Adæ conformem, qui legem secundum superficiem custodit.

Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum. Lex eo quod ligat, potest dici mandatum prohibens, et mandatum in iis quæ præcipiuntur.

Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, etc. Talis et tanta est animæ et corporis unio, C ut quod unius est alteri attribuat, ut sensualitas animæ et personalitas corpori. Velle adjacet mihi dote naturæ; sed perficere, non invenio dono gratiæ.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Ratio naturalis in vita præsentis omnino exstingui non potest. Ipsa est enim aquila, quæ superevolat; puer, qui cæteris periclitantibus pueris, non periclitatur. Hemo legis legi Dei condelectatur magis secundum rationis approbationem, quam secundum amoris delectationem.

Lex peccati dicitur esse in membris, per quorum officium adimpletur, ut in oculis, per quos videtur quod concupiscimus, in lingua men- tiendo.

Si quis mente servit legi Dei, et mente servus est Dei; et si idem carne servit legi peccati, carne est servus peccati. Cum ipse idem sit, qui sic et sic servit: videtur quod idem sit servus Dei, et peccati. Solutio. Si quis carne servit legi peccati, non ideo simpliciter servus est peccati. Ejus enim servus quis dicitur, cujus libenter facit voluntatem. In his ergo, qui partim diligunt Deum, partim mundum, videndum est quis amor in eis præponderet, et secundum hoc judicandum est, cujus sint servi. *Video aliam legem, etc.* Tres sunt leges malæ, lex membrorum, lex peccati, lex mortis. Lex enim spiritus vitæ. Tres sunt leges bonæ: Lex rationis, lex Moysi, lex spiritus vitæ.

Qui secundum carnem sunt, iis ea, quæ carnis sunt sapiunt, et ea, quæ ad spiritum pertinent, sunt insipida. Verbum doctrinæ et ædificationis est eis amarum: fabulas, rumores, verba dissolutionis gratanter amplectuntur.

Prudentia carnis mors est. Prudentia carnis est, quæ postpositis iis, quæ ad Deum pertinent, sæcularia negotia sollicite agit. Sapientia carnis est, quæ nihil nisi quod secundum solitum naturæ contingere solet, possibile credit.

Carni debemus providere necessaria, ne deficiat; et superflua resecare, ne sæviat: qui autem carni secundum voluptatem indulget, de jumento facit Deum suum.

(Rom. VIII.) *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hypocritæ carnem carne mortificant, sancti spiritu carnem mortificant. Horror amaritudinis mortis in Christo fuit major, quam in aliquo alio, quia ipse perfecte præscivit quanta sit in morte amaritudo.

Non accepistis spiritum servitutis. Timor servilis cohibet manum a malo opere timore pænæ temporalis. Timor initialis cohibet a malo opere, et a mala voluntate timore gehennæ. Timor filialis cohibet ab omni malo amore justitiæ. De timore initiali quæritur utrum faciat servum, an filium? Cum enim timore pænæ cohibeat a malo, videtur esse servilis. Item, cum bonus sit omnis, qui cohibet se a malo opere, et a mala voluntate, videtur quod sit filialis. Omnis enim bonus est filius.

Item omnis homo aut est servus, aut filius. Solutio. Timor initialis potest esse cum servili et cum filiali. Homo prius timet pœnam temporalem, et post etiam gehennam: tandem incipit amare bonum. Ille dicitur habere timorem servilem, qui, timore pænæ temporalis tantum, aliquid criminale non committit. Item est aliquis, qui timet gehennam, et diligit bonum, sed nondum perfecte.

Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Nos hæreditas Christi sumus, et cohæredes ejus. Hæreditas, quia nos in æternum possidebit. Cohæredes, quia regnum Patris cum ipso possidebimus.

Si tamen compatimur. Christo compati est ad similitudinem ejus pati in carne, vel animo compungi ex memoria mortis ejus: vel inopias membrorum ejus secundum facultatem relevare.

Non sunt condignæ, etc. Quæritur an æterna beatitudo possit mereri? Id quod est temporale, quomodo potest esse dignum eo quod est æternum? Solutio. Temporale meritum potest esse dignum, sed non condignum æterno præmio, quia plus dabitur in præmio quam fuerit in merito.

Fit quandoque comparatio rei ad rem secundum quod in ipsis est; quandoque secundum æquitatem; quandoque secundum conventionem. Secundum quod in ipsis est, ut cum equus equo, argentum argento. Secundum æquitatem, ut cum quis

pro ove suspenditur, secundum æquitatem justitiæ sæcularis : et cum Deus aliquem punit æternaliter pro peccato unius momenti. Quæ æquitas consistit, vel intelligitur non in comparatione quantitatis culpæ ad pœnam, sed potius in consideratione contemptus Dei et transgressionis divini mandati. Idem contingit in remuneratione honorum.

Comparatio est secundum conditionem, sive conventionem : ut cum pro minimi laboris opere tibi marcam argenti promittam, et hæc comparatio in pœna malorum, et remuneratione bonorum non inconvenienter adaptatur. Conventionem enim omnibus Deus hanc proposuit. Si feceritis hoc, hoc recipietis.

Omnis creatura ingemiscit, etc. Creatura ad Creatorem refertur. Unde non inconvenienter creature nomine hoc loco omnes illi intelliguntur, qui ad Creatorem suum per fidem, et dilectionem referuntur.

Christus moram facit, sed non tardat. Ille enim dicitur tardare, qui ultra tempus debitam moram facit. Unde *si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit* (Habac. 11). Vanitati enim Creatura subjecta est non volens. Creatura dolet se vanitati subjectam, quæ vellet immutabiliter adherere veritati. Magna est vanitas corporis ; sed multo major vanitas spiritus, qui per tot tentationes, et vagas cogitationes fere semper evanescit.

Si creatura nolens, et dolens vanitati subjecta est : ergo in sustinendo non meretur, quod falsum est, cum in spe retributionis sit subjecta, ut dicit Apostolus. Solutio. Vult, et non vult, id, sed non secundum idem.

Et paturit usque odhuc. Mulieris parturientis dolore majorem esse non credo, nec majus desiderium.

Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, id est, non solum minores in Ecclesia, sed etiam nos apostoli ingemiscimus.

Adoptionem filiorum Dei, etc. Nonne jam adoptati sumus in filios Dei ? Nonne jam filii Dei sumus ? Quomodo ergo dicitur de sanctis, quod *exspectant* adoptionem filiorum Dei ? Solutio. Adoptio jam incepta est in nobis per spem, perficitur autem per speciem. Spes est certitudo futuri commodi adipiscendi.

Quid oremus sicut oportet, nescimus. Omnis, qui petit quod petendum est et quomodo petendum est, semper exauditur ad utilitatem. Quid autem vel quomodo petere debemus nescimus, nisi per Spiritum sanctum.

Ignorantia venit ex corruptione et infirmitate carnis.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. De illo quæritur, qui cum in alto gradu charitatis esset, torpendo ad minorem descendit, et sic de-

cedit, cum charitate, tamen quomodo descensus ille cooperatur ei in bonum ? Coronam enim minuit, et præmium attenuat. Solutio. Nisi descendisset sic, ex nimio profectu superbisset : et sic talis descensus cooperatur ei in bonum.

Non est dicendum quod omnia bona, quæ mali faciunt, cooperentur eis in malum, cum Augustinus dicat quod bonum fuisse per unum diem utile est. *Quos præscivit, etc.* Omnia a Deo antequam fiant præsciuntur. Illa tamen quadam prærogativa præsciri a Deo dicuntur, quæ futura ab eo approbantur, sicut scire dicitur, quæ approbat : quos itaque sic præscivit, omnes prædestinavit.

Conformes fieri imaginis Filii sui. Christus est B imago Patris, id est expressa similitudo usquequaque similis et æqualis. Sancti conformes, id est pro modo suo vestigia sequentes Christi in puritate vitæ, in obedientia et humilitate, ut sit ipse primogenitus. Christus secundum quod est natus de Patre dicitur Unigenitus ; secundum quod habet fratres, Primogenitus. *Quos prædestinavit, hos et vocavit, etc.* Deus potest præscire, quæ non præscivit ; velle, quæ non vult ; posse facere, quæ non facit. Præteritum tempus propter sui certitudinem dividitur quod nullum aliud potest.

Qui etiam interpellat pro nobis. Christus interpellat pro nobis representatione humana, id est merito obedientiæ, quam in humanitate sua exhibuit : quæ obedientia adeo Patri est grata, ut ejus merito nobis venia peccatorum donetur. C

Neque mors, id est comminatio mortis ; neque vita, id est promissa conservatio vitæ, id est nec timor mortis, nec amor vitæ poterit nos separare a charitate Christi.

Nil adeo dominatur homini, quantum ipse sibi. Ipse enim suam potest cogere voluntatem et mutare, quod nil aliud ab eo potest unde Apostolus, quem nil poterat separare a Christo, separare a Christo seipsum poterat : quod ne fieret, corpus castigabat.

(Rom. IX.) *Veritatem dico in Christo Jesu.* Est qui veritatem dicit, et tamen mendacii reatum incurrit : qui, etsi verum dicat, id tamen in conscientia non habet.

Optabam anathema esse. Optabam pro eo quod est opto, ut Aimo legit.

Promissionis enim verbum est, etc. Sciendum quod promissiones Dei, vel prophetiæ tribus modis fiunt. Quandoque cum immutabili denuntiatione, ut illa : *Ecce virgo concipiet* (Isa. vii), etc. ; quandoque cum quadam comminatione, ut *adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur* (Jonas iii), ubi conditio, etsi non apponitur, tamen subintelligitur, ut, nisi a via sua convertatur, Ninive subvertetur. Quandoque cum eorum, ad quos fit libera voluntate, ut in proprio scilicet habeant arbitrio promissionem factam suscipere, vel respuere, ut hic : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen. xxii). Quæ promissio omnibus oblata est

sic ut eam pro arbitrio suo apprehendat, vel respuat.

In Isaac vocabitur tibi semen, id est in filiis gratiæ, qui per Isaac significantur, ut propositum Dei maneret, id est impleretur.

Potest quæri utrum causa primordialis, an finalis quærat cum dicitur : Cur Deus elegit Jacob potius quam Esau ? Sed voluntatis Dei quæ est omnium causa, nulla est causa. Item, si finalis causa quæritur dicitur, quia electio Jacob valet ad fidei confirmationem, et gratiæ commendationem : quod enim factum est in duobus fratribus, hoc idem fieri in duobus populis credere debemus.

Deum ab æterno aliquem reprobasse nil aliud est nisi præordinasse se illi in tempore pro culpa gratiam subtracturum. Sed dicit quis : Ergo æternæ reprobationis causa fuit culpa temporalis. Solutio. Dicitur potest quod æternæ reprobationis sit causa temporalis : causa quidem primordialis non fuit culpa temporalis, sed potius finalis causa, in qua terminatur, non inchoatur.

De duobus quæritur æqualiter in peccato jacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur, et offertur : unde fit quod alter ei consentiat, et ab altero respuat ? Solutio. Utrisque data est gratia qua potuit consentire ; alterius tamen mens mota est et consentit : quod de bono naturæ potuit, quia velle adjacebat ei : quod ante gratiam implere non potuit, per gratiam quidem excitata est, et surrexit. Aiter cum posset, non consentit ; sed gratiam oblatam sponte rejecit, ut apparet in solis radio, et in duobus in foveam lapsis. Qui oculos aperit videt, non sine solis claritate. Qui oculos claudit, non videt. Sic qui manum meam apprehendit, extrahitur a me de fovea ; qui autem negligit nec nititur cum auxilio sibi exhibito, non exit.

Major serviet minori. Impletum est non in personis illis, quia non legitur quod Esau servierit Jacob, sed in filiis eorum, videlicet tempore David et Salomonis ; vel servire ponitur pro prodesse. Jacob sine merito est electus ; Esau non sine merito est in tempore reprobatus, vel damnatus.

Principium, et consummatio omnis boni non est ex homine, sed ex Deo.

Dicit Scriptura Pharaoni, etc. Quid ad Esau exemplum de Pharaone, cum ille pro originali peccato tantum sit reprobatus : iste etiam pro actuali solet quæri, Solutio. Ad hoc inducuntur similitudines et exempla, ut per magis certum id, quod minus certum est videatur.

Quem vult indurat. Dicitur Deus indurare quem vult ; quia non coactus, sed voluntarius gratiam subtrahit quam subtrahit : qua subtracta fit ille deterior.

Qui respondeas Deo. Respondeas, id est contradicas ; quia respondentis est contradicere.

Vasa in honorem sunt vasa, quibus cibi mensis imponuntur. Vasa in contumeliam vasa culinæ, aut egestionis.

In vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Misericorditer agit Deus cum malis, spatium pœnitentiæ indulgendo, sed misericordius videretur cum illis agere, si citius discederent, quia minus peccarent.

Hæresis Manichæorum sic omne bonum gratiæ ascribebat, ut liberum arbitrium tolleret ; hæresis Pelagianorum, bonum fieri ab homine sine gratia posse asserebat. Doctores vero utrumque errorem destruunt. Ubi vero Ambrosius dicit quod Deus elegit Paulum, sciens illum se correcturum, non intelligit quod futurum meritum causa esset præscientiæ Dei, sed demonstrat liberum arbitrium gratiæ Dei cooperari : quod est contra prædictas hæreses.

Verbum abbreviatum faciet Deus super terram (Isa. 1). Verbum abbreviatum potest dicitur Verbum incarnatum, quod in humilitate est abbreviatum et est legem consummans, id est adimplens.

(Rom. X.) *Voluntas quidem cordis mei sit pro illis in salutem.* Voluntas quandoque accipitur pro affectu sensualitatis : ad cujus differentiam dicitur voluntas cordis, vel rationis. Ille in Siritum sanctum peccat, qui Spiritui sancto invidet, eo quod per hunc sive per illum bona operetur. Unde injustum est, quod Deus alicui tali dimittat peccatum hujusmodi. Quod autem injustum est, Deus facere non potest. Emulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Zelus bonus vel Dei est fervor mentis quo quis propter Deum putat aliquid faciendum esse, vel dimittendum, qui aliquando est cum scientia, aliquando sine scientia ; scientia hic vocatur cognitio fidei. Facilius veniam consequuntur, qui ignorantes peccant, quam scientes. Unde Apostolus : *Misericordiam Dei consecutus sum quia ignoranter feci (I Tim. 1)* ; et istud, quia, sancti causative legunt. Ubi tamen non causa efficiens, sed accesum præbens notatur. Finis enim legis Christus. Est finis consumptionis, ut panis finitus, id est consumptus ; et est finis consummationis, ut tela finita, id est consummata. Christus est finis legis consummans. *Lex et prophetæ usque ad Joannem (Luc. xvi)*, id est usque ad gratiam ; qua superveniente lex ultra non est tenenda.

Omni credenti ad justitiam. Est qui credit non ad justitiam ; qui scilicet habet fidem per dilectionem non operantem, et ideo per fidem non justificatur.

Vivet in ea, id est victum habebit in ea, juxta illud : *Si hoc feceritis, bona terræ comedetis (Isa. 1).*

Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, etc. Verbum prædicationis adeo est rationi consentaneum, ut cum ei prædicatur, statim ei acquiescit et consentit, quia nihil adeo appetit, sicut cui nihil aliud sufficit in mundo ; unde cum illud quod summe appetit, audit, aut omnino cæca est et expers rationis, aut illi consentit.

Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Non omnis qui vocat, invocat. Vocatio enim exterior sonus est verborum, de qua dicitur: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine* (Matth. vii), etc. Invocatio vero interior est clamor, id est devotio animi ad Deum pro iis, quæ petenda sunt, suspirantis; de qua Moysi dicitur; *Quid clamas ad me?* (Exod. xiv). *Quam speciosi pedes*, etc. In pedibus quandoque actiones, quandoque affectiones intelliguntur, *ut pedes eorum pedes recti* (Ezech. i). Quandoque ponuntur pro verbo prædicationis, *ut subiecit gentes sub pedibus* (Psal. xlvi).

Evangelizantium pacem, id est reconciliationem inter Deum et homines.

Sed non omnes obediunt Evangelio. Quidam omnino fidem respuunt, ut Judæi et infideles. Quidam ore tantum obediunt. Quidam et ore, et opere, et non corde, ut hypocritæ; et hi omnes non obediunt Evangelio; sed soli illi qui quod corde credunt, ore confitentur et opere implent.

Quis credit auditui nostro? Deus duobus modis interius loquitur animæ fideli: vel cognitionem veritatis revelando; vel amorem virtutis inspirando.

Quis nunc impossibilitatem, nunc difficultatem, nunc raritatem notat? Auditus exterior multis est causa fidei, non tamen efficiens, sed accessum præbens. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. iii). Quod ab apostolis prædicatur verbum est Christi, quia ab ore ejus prolatum, vel verbum Christi est quod intus in corde ipse revelat.

In omnem terram, etc. Hæc autorias incœpit a Judæis impleri tempore apostolorum. Volunt quidam, quod principes Judæorum cognoverunt Christum esse Dei Filium, non tamen huic cognitioni propter invidiam acquiescere poterant: sed scienter, et contra conscientiam impugnabant. Aliis videtur, quod cognoverunt eum esse virum justum, et in lege promissum; sed non Dei Filium. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I Cor. ii).

Isaias audet, et dixit. Audax dicitur, qui audet audenda et non audenda, et sic in malo ponitur. Quandoque audacia ponitur pro fiducia animi, quæ virtus est qua pœna injuste comminata non timetur.

Palam apparui iis, qui me non interrogabant. Apparet qui subito et insperato venit.

Tota die expandi manus meas, etc. Cum totum pro omni parte ponitur, hoc nomen totum cum nomine totius non debet poni, ut si dicatur, tota die fecit; hic non pars diei, sed totius debet intelligi, sæpe tamen sic loquitur, tota die exspecto te. Ubi tamen non totus dies, sed magna pars diei intelligitur.

Ille manus expandit, qui beneficia largitur, quod Dominus fecit Judæis tota die, id est omni tempore gratiæ.

Rom. xi). *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*. Sicut duplex est vocatio, sic duplex est

præscientia, scilicet generalis, quæ est omnium; et specialis, quæ tantum est bonorum.

Altaria tua suffoderunt; et ego relictus sum solus (III Reg. xix), de illis altaribus intelligendum est, quæ fideles sibi ædificaverant; non audentes ire Hierosolymam propter reges idololatrias post divisionem regni.

Dedit illis spiritum compunctionis. Tunc anima terram australem, scilicet arentem, possidet, cum in ea sol justitiæ præsentia sui humorem peccatorum exsiccat. *Additur irriguum inferius, et irriguum superius* (Josue xv); cum gemina compunctio datur et ex recordatione peccatorum, et pro desiderio patriæ. Mala compunctio est invidia, quæ est tormentum. Quo majus Siculi non invenere tyranni, quæ est noverca alienæ felicitatis.

Fiat mensa eorum, etc. Sicut in mensa corporaliter; sic in Scriptura spiritualiter reficimur, ubi diversa fercula apponuntur.

In scandalum. Scandalum nunc offensam, nunc ruinam, nunc rixam significat.

Quod si delibatio sancta est, et massa. Delibatio est parva alicujus rei degustatio ad experimentum totius massæ. Massa est ipsum genus; *radix*, patres: *rami*, filii; *oliva*, Judæi; *oleaster*, gentilitas; *pinguedo*, apostoli. Est itaque massa sacrata, et si non secundum se tota, tamen secundum electionem, et rami sancti licet non omnes.

Contra naturam insertus es. Naturam definire difficile est, periculosæ enim sunt definitiones, ut ait quidam: Quidquid est præter peccatum, aut est opus Dei operantis sine natura, aut opus naturæ cooperantis Deo, aut artificis imitantis naturam. Item alia Deus operatur secundum naturam, alia supra naturam, nihil contra naturam. Potentia enim Dei tanta est ut de natura qualibet sine ea facere possit, quidquid sibi placet.

Ut non sitis vobis ipsis sapientes. Sapiens sibi dicitur qui sapientiam, quam habet, a se esse credit, vel pro merito suo sibi datam, vel qui data sibi sapientia abutitur qui se extollit, et alios despiciat ex consideratione sapientiæ suæ.

Donec plenitudo gentium intraret. Donec causa est, et terminus, id est causative ponitur, ut hic: non feci hoc donec tu fecisti illud, quasi factum tuum causa fuit facti mei; et finaliter ut hic: Exspectabo te donec venias.

Plenitudo, multitudinem, non universitatem hic significat.

Secundum Evangelium quidem inimici propter vos; et charissimi secundum electionem, propter patres. Non est intelligendum quod iidem sint inimici et charissimi. Relatio enim non ad easdem personas, nec ad eundem populum refertur; ut: Mulier, quæ damnavit, salvavit. Et illud: Quid super te pedibus ambulavit, qui te in deserto de petra produxit. Hic non aquæ substantiam, sed naturam demonstrat. Sic omnes electi a Domino diliguntur sic et ego

omnes qui me diligunt, licet non omnes noverim; A vita præsentî, quis sapit plus quam oportet? Solutio. Ille plus sapit quam oportet, qui ea quæ sunt supra humanam rationem sua ratione nititur comprehendere; quæ scilicet credi debent et possunt, sciri non possunt. Plus etiam sapit quam oportet, qui se extollit, et alios contemnit. Ille sapit secundum mensuram fidei, qui nil sapit vel facit, nisi quod credit esse sapiendum vel faciendum.

Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. Pœnitentia ponitur pro mutatione; quia quod prius fecimus et fecisse pœnitet, pœnitentia mutamus, ut hic: *Pœnitet me fecisse hominem* (Gen. vi); id est mutabo opus quod fecit, propter malitiam hominum. Augustinus dicit, quod Deus mutat sententiam, et non consilium. Sententiam vocat pœnam, et vindictam pro culpa nobis debitam: consilium appellat æternam dispositionem.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Ubi figere non valemus oculum rationis, figamus oculum admirationis, et oculum fidei.

Aliud est aliquid solvere ad dubitationem tollendam, et aliud ad profunditatis comprehensionem. B Altitudo sublimitatem notat et profunditatem. Profunditas ab æterno, sublimitas extenditur in æternum.

Judicia vocat æternam dispositionem. Vias operationes.

In sæcula sæculorum. Sæculum dicitur a sequendo; quia unum sequitur post aliud. Sæculum sæculorum dicitur æternitas; quia ipsa sequitur omnia sæcula, et ipsam nullum. Amen adverbium est optandi vel confirmandi.

(Rom. XII.) *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam.* Carnis debemus providere, ut serviat, non ut sæviat, ut sit ancilla, non domina; hostia fiat vitiorum mortificatione, sed vivat virtute. Quæritur cur Apostolus præcipit corpora, et non animas offerre in sacrificium. Solutio. Sacrificium a spiritu inchoatur, et in corpore determinatur. C

Et nolite conformari huic sæculo. Ex Adam facti sumus veteres, deformati, et Deo dissimiles; per gratiam Christi innovamur et reformamur, et Deo conformamur. In qua conformatione quotidie proficimus per studium lectionis et bonæ meditationis, orationis et bonæ operationis.

Quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Voluntas bona est in fide, beneplacens in spe, perfecta in charitate. Vel bona voluntas in subjectione majorum, beneplacens in subjectione æqualium, perfecta in subjectione minorum. Vel bona in conjugatis, beneplacens in viduis, perfecta in virginibus. D

Omnibus qui sunt inter vos. Solus Deus, vere est, quia immutabilis per naturam. Unde illi soli, qui Deo adhærere desiderant, non immerito esse dicuntur.

Per gratiam, quæ data est mihi. Rationabiliter Petrus insignis et virtutibus potens, datus est Judæis signa quærentibus. Paulus vero, cui præ cæteris data est cœlestis sapientia, datus est gentibus in apostolum et doctorem, quia ut ipse ait: *Judæi signa petunt; Græci sapientiam [quærun]t* (I Cor. x).

Non plus sapere quam oportet sapere. Cum nemo tantum sapiat, quin plus possit, et debeat sapere in

Unicuique sicut Deus divisit. Christo homini Deus non dedit dona ad mensuram; sed omnium donorum plenitudinem. Unicuique datur gratia etiam propter aliorum utilitatem, ut quod unus non potest per se, possit per alium. *Sive prophetiam, etc.* Prophetia est divina inspiratio, futuros eventus rerum immutabili veritate denuntians. Vel secundum Gregorium: Prophetia est occultorum manifestatio per Spiritum sanctum facta. Ille secundum rationem fidei prophetiam habet, qui in sua prædicatione secundum quod credit auditoribus necessarium, verba sua moderatur.

Qui tribuit in simplicitate. Tribuit in duplicitate, qui ei largitur a quo majora sperat. Tribuunt in duplicitate hypocritæ, scilicet causa gloriæ. Tribuunt in duplicitate, qui tribuunt in spe præsentis retributionis et futuræ. Simplicem et puram in tribuendo habet intentionem, qui ob hoc solum tribuit, quia id Deo placere credit.

Qui præest in sollicitudine. Amor expellit negligentiam, timor præsumptionem. Prælatus non timeat de dignitate, sed timeat de reddenda ratione.

Qui miseretur in hilaritate. Qui dat elemosynam indigenti, non se existimet bona sua minuere; seminat enim centuplum recepturus, si tamen hoc facit ex charitate. Similiter qui ignoscit læto animo id faciat. Injurias illatas veniam petenti non apponat. Hoc est enim pœnitentem confundere magis quam pacare.

Sollicitudine non pigri. Quidam solliciti sunt corde, et in opere pigri; ideo dicit sollicitudine non pigri; hoc est solliciti sitis, corde, nec tamen in opere pigri.

Spiritu ferventes. Caritas impatiens est; parum enim sibi omne quod facit, videtur. Unde: *Utinam esses aut calidus aut frigidus; sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo* (Apoc. iii). Callidus est fervens in charitate; frigidus, penitus infidelis, vel in gravibus peccatis jacens; tepidus, qui nec magna mala facit, nec magna bona; sic sancti exponunt. Quomodo ergo optat magis ut sit frigidus quam tepidus. Nonne majus est malum esse in mortalibus quam in venialibus, et sic melius est esse tepidum quam frigidum? Solutio. Non rem sicut est, sed quæ ex re est opportunitatem in verbis illis attendit. Frequenter enim contingit quod ii qui in profundo vitiorum sunt, ad Deum conversi ad majorem perveniant perfectionem, quam ii qui sunt tepidi.

Verbum Dei passim non est disseminandum, sed tempus opportunum est observandum. *Orationi*

bona ; post ea proximum, in quo impletio legis A continetur.

Qui autem infirmus est, olus manducet. Per olus intelligitur cibus de cuius nullus scandalizatur esu.

Potens est enim Deus statuere illum. Potens est Deus etiam diabolum statuere.

Si homo non peccasset, venenum ei nocere non posset :

Ambigua dicuntur, quæ bono et malo animo possunt fieri, ut dicit auctoritas ; sed secundum hoc videtur, quod omnia bona exteriora et mala ambigua debeant dici, cum bono et malo fieri possint animo. Solutio. Illa ambigua dicuntur, quæ nec apertam speciem boni, nec apertam speciem mali habent.

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo moritur. Sibi vivit, qui utilitatem suam nisi in vita sua non quærit. Domino vivit, qui proximi utilitatem, et Domini voluntatem facere contendit. Sibi moritur, qui in sua morte propriam gloriam quærit. Domino moritur, qui in sua morte Dominum glorificat. Vel hoc dicit quod non est in potestate hominis vivere vel mori ; sed in potestate Domini, qui morti et vitæ nostræ dominatur, per hoc quod mortuus est, et resurrexit pro nobis. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Tribunal sedes est iudicium, thronus regnum, cathedra doctorum.

Vivo ego dicit Dominus. Vivo ego, juramentum est in veteri Lege, sicut in Evangelio : *Amen, amen.*

Mihi flectetur omne genu. Flexio genuum subjectionem significat omnium.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Bonum nostrum vocat fidem, quam blasphematur Judæus videns munda et immunda comedere catholicum ; quod ne fiat monet Apostolus.

Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quidam dicunt quod infidelibus peccatum est etiam bona facere ; quod nobis esse videtur falsum, cum Hieronymus dicat : Deus non reprobatur bonam vitam plurimorum. Non omne quod fit contra conscientiam est damnabile.

(Rom. XV.) *Dico autem gentes super misericordia honorare Deum.* Gentes dicit Apostolus honorare Deum super misericordia, quia major et manifestior gratia Dei exhibita est gentibus. Nec hoc dicit, quin Judæi facere idem debeant. *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes.* Jesse, radix ; David, arbor ; Maria, ramus ; Christus, flos. Vel radix Jesse, Christus dicitur.

Ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti. Caritas quadam prerogativa dicitur virtus Spiritus sancti, quasi mater aliarum virtutum.

Sanctificans Evangelium Dei. Evangelium quantum in ipsis est contaminant, qui bona quæ prædicant, exemplo malæ vitæ contemptibilia reddunt. Unde Gregorius : Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Sanctificatur Evangelium in reddenda ratione eorum, quæ docet, et exemplo vitæ. In primis gratia miraculorum fuit necessaria cum his. Per Christum gratias referimus Patri : sine enim ipso digni non sumus etiam Deum laudare.

Signorum, et prodigiorum. Prodigium quasi porre digium dicitur.

Si vobis primum ex parte fruius fuero. Frui est cum delectatione uti.

Et assigna vero eis fructum hunc. Eleemosyna dicitur fructus, quia et in præsentem gratiam majorem fructificat et in futuro retributionem.

Adjuvetis me in orationibus vestris, etc. Quod merita unius non possunt, multorum possunt, et multorum preces impossibile est ut non impetrent, id est valde difficile. Sic quandoque accipitur impossibile. Unde Tullius : Sola amicitia, inquit, res est, quæ res impossibiles ad possibilem redigit facultatem.

Apostolus artis erat scenofactoriæ : scena tabernaculum, vel obumbratio dicitur. Faciebat ergo papiliones, vel tabernacula et vendebat, et inde vivebat ; et dicitur quod noctem in tres partes divisit : in prima parte dormiebat ; in secunda orabat ; in tertia laborabat, per diem tantum prædicationi C vacabat.

(Rom. XVI.) *Ut observetis eos, qui dissensiones,* etc. Observare in bona et in mala significatione accipitur. In bona ut hic : Observa Sabbatum ; in mala, ut ipsi observabant, id est insidiabantur.

Præter doctrinam. Præter pro contra ponitur. Per dulces sermones seducunt. Adulator blandus est inimicus, veritas malis et imperitis amara est. Unde Apostolus : *Inimicus factus sum vobis, verum dicens vobis (Galat. IV).* Et Comicus :

Obsequium amicos, veritas odium parit.

(TERENT. Andr. I, I, 41.)

et ita inimicos.

Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. Sapiens est in bono, qui bene utitur sapientia sibi data : hæretici falsitatem specie veritatis obumbrant. Simplices sunt in malo, qui nec malum pro malo reddunt : sic se habent quasi nihil sciant. Duplices in malo, qui malum pro malo reddunt, qui de uno malo duo faciunt.

LIBER SEPTIMUS.

IN EPISTOLAM PAULI AD CORINTHIOS PRIMAM.

Duplex superbiæ est genus : primum, quando A perbimus. Et hanc superbiam Epistola ad Romanos persequitur : et ideo prima ponitur in corpore

Epistolarum. Est et alia, quando ex iis, quæ in aliis sunt, vel esse credimus, ut de nobilitate generis, superbimus : quam superbiam Epistola ad Corinthios persequitur : et ideo ponitur secunda. Duplex est genus humilitatis : primum, ut nihil a nobis esse, unde gloriandum sit, credamus. Secundum ut nihil esse ab aliis unde gloriandum sit, credamus. Vel ideo hæc secunda ponitur, quia vicinior illi ad Romanos, et similior in sacramentorum profunditate invenitur.

(I COR. I.) *Paulus vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, etc. In salutatione aliquando nomina dignitatis ponit, ut audito nomine magistri, et apostoli ejus correctioni acquiescant. Quandoque nomina humilitatis, ut ad eam invitet. Apud eos, quibus vilis et abjectus videbatur, nominat se Paulum, id est admirabilem. *Cum omnibus, qui invocant nomen Domini*. Sunt vocantes, et non invocantes. De quibus propheta dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (Isai. xxix)*. Sunt invocantes quidam, qui invocant ut extra habeant, ut illi qui toto cordis affectu a Deo divitias quæerunt. Sunt invocantes intus, qui Deum gratis colunt, non aliud quam ipsum ab ipso quæerentes.

In omnibus divites facti estis. Dives est in aliqua re, non qui in illa sufficientiam habet, sed qui abundantiam : qui scilicet aliis impertiri potest.

In omni verbo, id est in Veteri Testamento ; et in omni scientia, id est Novo Testamento.

Significatum est mihi, quod contentiones sunt inter vos. Quicumque nostrum incumbit, ut si peccata fratrum, quæ nobis manifesta sunt, per nos corrigere non possumus, prælato nostro indicemus. Nec id facientes nomen accusatoris incurrimus, sed culpam consentientis evitamus.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis ? Solus pastor summus dedit animam suam pro ovibus ad redemptionem. Alii boni pastores dant animas suas pro ovibus suis non ad redemptionem, sed ad confirmationem.

Quando generaliter persecutionem patitur Ecclesia, tunc prælati non debent minores deserere, sed in primis gladium persecutoris suscipere. Vita enim prælatorum exemplum, et regula debet esse vitæ subditorum. Si autem solus pastor quæeratur, cedat exemplo Pauli.

Aut in nomine Pauli baptizati estis ? Cum baptismus detur in nomine Trinitatis, quæritur quomodo Apostolus aliquos baptizatos in nomine Christi dicat ? Solutio. Singulæ personæ in singulis intelliguntur, et nomina singularum in nominibus singularum ; sed in primitiva Ecclesia dubitabatur de Christo, an Deus esset. Ideo maxime ad majorem auctoritatis ejus commendationem prædicabant apostoli nomen ejus, ut Deus ab omnibus sicut vere est, crederetur. Nunc vero fide communitè suscepta, forma baptizandi, quam Christus

PATROL. CLXXV.

A tradidit, tenenda est, scilicet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Si quæeratur quod sit illud nomen. Solutio. Per nomen, notitia intelligitur, id est fides : tamen melius dicit in nomine, quia *corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem (Rom. x)*.

Non in sapientia verbi, etc. Sapientiam verbi vocat sapientiam mundi, quæ lepore verborum adornatur, non veritatis fundamento innititur : quæ in hoc reprehenditur, quod potentiam Dei naturæ alligatum putat. Unde dicit : Impossibile Deum mori ; virginem parere, et sic quantum in se est evacuat crucem Christi.

Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum. Mundus non cognovit Deum per sapientiam, id est propter sapientiam suam. In Dei sapientia, id est per sapientiam Dei. Id est, sapientes mundi in Filio incarnato propter sapientiam suam, imo propter superbiam sapientiæ suæ, Deum non potuerunt cognoscere, et ideo placuit stultos et idiotas ad hanc cognitionem eligere.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum et virtutem et Dei sapientiam. Christus fit nobis sapientia et justitia, quando per ipsum illuminamur et justificamur. Non est intelligendum, quod Apostolus Christum tantum hominem prædicaverit illis, inter quos non judicavit se scire nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (I Cor. II) ; sed etiam Deum, et omnia, quæ necessaria erant ad salutem. Aliter enim prædicatio esset insufficientis.

(I COR. II.) Quid est ergo quod dicit : *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum ?* Solutio. Hoc dicit ideo, quia de mysterio Unitatis et Trinitatis inter minus capaces omnino tacuit, Christum esse Salvatorem, et cætera, quæ simpliciores capiunt, tantum prædicans.

Quam prædestinavit Deus ante sæcula. Cum prædestinatio solius naturæ rationalis sit, quandoque tamen prædestinare ponitur pro præparare.

Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, etc. Objicitur illud ex Evangelio, *Hic est hæres, venite occidamus eum (Matth. xxi)* : quod nimirum Judæi de Christo dixisse intelliguntur. Et illud quod ad eos dixit Pilatus : *Ecce rex vester (ibid.)*. Potest dici quod licet dæmones scirent Christum esse Deum ; non tamen cognoverunt quod quam in humano genere habebant potestatem, per ipsum amitterent.

Quidam sic exponunt, ecce hæres, id est qui se facit hæredem ; et, ecce rex vester, qui se facit regem vestrum. Et secundum hos Judæi non vere Christum cognoverunt. Nobis autem, quod aliqui ex his vere eum cognoverunt, scilicet, esse promissum in lege, et vere justum videtur. Malo enim nemo invidet sed bono tantum. Sed Judæi illi in-

instantes. Orationis instantia fit in assiduitate et devotione.

Hospitalitatem sectantes. Hospitalitatem sectatur, qui rogantes suscipit, et non rogantes cogit; et ne foris remaneant diligenter inquirat, vel quærit.

Benedicite persequentibus vos; benedicite et nolite maledicere. Legitur in Actibus apostolorum Paulum cuidam maledixisse sic.

Destruat [percutiat] te Dominus, paries dealbate (Act. xxiii). Nunquid ergo fecit, quod prohibuit dicens: Nolite maledicere? Solutio. Sancti celo justitiæ compulsi talia faciunt, ideo maledictionis actionem, non voluntatem habent; ideoque [ut nobis videtur] maledictionis reatum non incurrunt.

Flete cum flentibus. Flendum pro defectu et casu, ac culpa aliorum est; non cadentibus insultandum, et pro dilatione gloriæ; aliæ lacrymæ non habent meritum bonum.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Prudens est apud seipsum, qui, cum apud alios sit stultus, sibi videtur esse prudens, et qui totus iudicio suo nititur. Unde cum ejus sententia contemnitur, statim irascitur.

Prudentia sine simplicitate, astutia est; sicut simplicitas sine prudentia, fatuitas.

Prudentia serpentis est servare caput in quo est venenum, unde vivit; simplicitas columbæ est quod læsa non relædit.

Date locum iræ. Ille dat locum iræ, qui injurias illatas patienter audit; qui provocatus non respondet, sed tacet.

Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Qui vindicat se, quantum in se est, iudicem sua privat potestate.

Quæritur, an justitia Dei et justitia humana vel sæcularis sint contrariæ? Quod videtur, cum justitia Dei confitentem peccatum per sacerdotem absolvat; justitia humana confessum peccata sua suspendat. Solutio. Nonnulla est charitas cum vindicta, quæ secundum justitiam humanam de fure sumitur, pro communi utilitate exercetur, et ideo ad justitiam Dei spectat.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, etc. Sufficit inimicos non odisse, ut dicit Augustinus, quod de effectu, non de affectu intelligendum est. Tenemur enim eorum salutem velle, et angustiam famis patientibus [si possumus] subvenire. *Vince in bono malo.* Legitime pugnat, qui in pugna perseverat; qui motibus gulæ vel iræ; et illicitis omnibus repugnat.

(Rom. XIII.) *Non est potestas nisi a Deo.* Voluntatem peccandi habemus a nobis; potestatem autem a Deo, quod sic intelligendum est, id est in quo voluntatem ad effectum ducimus, scilicet membra et vim membrorum a Deo habemus. Dicunt quidam, quod potestas peccandi non est pars liberi arbitrii, cum in angelis non sit vel in Deo. Hi dicunt, quod in dæmonibus non est liberum arbitrium. Aliis aliter videtur. Sunt autem liberi arbitrii partes, posse dimittere malum, et posse facere bonum. Unde diabolus, quia non potest di-

mittere malum, nec facere bonum, non habet secundum eos liberum arbitrium.

Est autem potestas ordinatio a Deo disposita in genere humano, qua alii aliis præesse habent. Exiguntur autem quatuor ad esse potestatis: institutio, materia, ordo et terminus. Institutionem debet a Deo habere, vel ab humano jure, aliter prælatio non est potestas, sed violentia. Materiam habere debet in subjectis, bonos defendendo, malos puniendo. Ordinem, id est justitiæ æqualitatem, ut ab ea non recedat, sed ejus amore potestatem exercent. Terminum habere debet, ne ultra extendatur quam debet, quod alieni juris est non invadat. Cum ergo aliquis prælatus a justitia recedit, non est ei obediendum sed resistendum, non ei malum inferendo, sed ne malum perficiat, impediendo. In iis enim quæ ad potestatem pertinent obedientiam ei debemus; non in iis, quæ ad tyrannidem.

Cui tributum, tributum, etc. Tributum a tribunis dicitur, id est quod a subjectis tribunis solvebatur. *Vectigal,* quod de vectis, id est mercibus deportandis solvebatur.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Debitum dilectionis ab omni solvit debito, a quo tamen nemo absolvi potest. Sic semper reddatur ut semper debeatur, et sic debeatur ut reddatur.

Charitas secundum Augustinum est motus rationalis voluntatis in Deum propter Deum, et in proximum propter Deum. Deus non est motus mentis; ergo charitas est, quæ non est Deus? Videtur Augustinus velle, quod omnes æquali affectu diligendi sunt, sed non pari effectu. Cui contrarium videtur, quod dicit Hieronymus. Post omnium Patrem Deum, carnis quoque diligatur pater. Item hinc sic objicitur: nonne magis diligendus est, qui magis Deo placet? sed ecce alius est melior patre meo, et sic teneor eum magis diligere quam patrem meum. Solutio. Quod Augustinus dicit, sic intellige, omnes pari affectu sunt diligendi, id est communi, sed non æquali. Quod autem alibi dicit: *Tantum fratres diligamus quantum nos,* id est tantum bonum eis optemus, et si non tanto affectu, vel quantum est similitudinis, non quantitatis. Item secundæ objectioni sic potest responderi: Contingit aliquando quod aliquem tenemur diligere plus effectu, alio meliore illo, quem diligere possumus ordinate majore affectu. Illos enim diligere plus effectu tenemur, quorum cura nobis commissa est. Simili modo patrem meum effectu plus teneor diligere quam alium, licet melior sit.

Qui diligit proximum legem implevit. Perfectus est, qui in lingua seu verbo non offendit (*Jacob. iii.*) non tamen ideo perfectus, quia in lingua non offendit, sed in cumulo perfectionis superponitur in lingua non offendere: sicut dicimus, quod senex est, qui centesimum agit annum; hanc tamen senectutem non contulit centesimus annus, sed ex præcedentibus accevit; et sicut de illo, qui plura habet

castra, dicimus, quod dives esset, si haberet adhuc illud; non tamen propter illud, nisi haberet et alia, dives esset.

Dicunt quidam, quod majus bonum est non offendere in lingua quam non committere homicidium. Quibus sic opponitur: Duorum si alterum altero magis est appetendum, contrarium ejus contrario alterius magis est fugiendum, unde si homicidium committere magis est fugiendum; quam lingua offendere, homicidium non committere magis est appetendum quam in lingua non offendere. Ut sanum esse magis est appetendum, quam velocem esse; ergo ægrum esse magis est fugiendum quam tardum. Item majoris meriti est diligere Deum, quam inimicum: non tamen majoris offensæ non diligere inimicum, quam non diligere Deum juxta B quorundam argumentationem.

Quæritur, an dilectio Dei possit haberi sine dilectione proximi, quod sic volunt ita probare. Si nemo esset præter unum, posset Deum diligere ita quod non diligeret proximum, sicut Adam antequam Eva esset Deum dilexit; nondum tamen proximum, cum nemo adhuc esset præter ipsum. Solutio. Positiva et falsa est locutio ista, dilectio Dei potest haberi sine dilectione proximi. Ponit enim esse proximum, et sine dilectione ejus dilectionem Dei haberi posse. Dilectio Dei quasi forma est dilectionis proximi, et causa: dilectio proximi quasi materia est dilectionis Dei. Dilectio Dei occulta; dilectio proximi exterius apparet, et in ipsa Dei dilectio declaratur, ideo dicit Apostolus, quod dilectio proximi plenitudo est legis. C

Diliges proximum sicut teipsum, id est ad hoc, ad quod diligis teipsum cum te bene diligis, id est in Deo et propter Deum.

Secundum Augustinum, Deum diligere toto corde, id est cum diligere toto intellectu; tota anima, id est tota voluntate; tota mente, id est tota memoria. Ut omnes cogitationes, totam vitam et totam memoriam in illum conferas, a quo habes ea quæ confers. Unde constat hoc præceptum in hac vita omni modo non posse impleri. Unde ipse dicit: Cum adhuc aliquid est carnalis concupiscentiæ, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Unde consequenter quærit sic: cur ergo præcipitur ista perfectio homini, cum in hac vita eam nemo habeat? Quam quæstionem sic solvit, quia non recte curritur si quo correndum est, nesciatur. Ex parte enim diligimus sicut ex parte cognoscimus. Nec tamen de jugo hujus præcepti, quasi de onere importabili possumus conqueri, cum ejus impletio non exigatur ab hominibus gratiæ.

Dicunt quidam, quod præceptum Decalogi quodlibet est de illis sine quibus non est salus; sed istud est unum de illis; sine ergo ejus impletione non est salus? Solutio. Certum est, quod salus est ex sola gratia Christi, et vel illud non est de illis, vel sine aliquo illorum est salus. Item objiciunt sic nobis. Impletio cujuslibet præcepti habet meritum; igitur

A hoc præceptum in futuro habebit meritum cum ibi et non hic impleatur. Solutio. In quantum diligimus, hoc præceptum servamus, et servando mere-mur: implere illud pertinet ad præmium, et potius est felicitatis quam virtutis. Item dicunt, quod condignum præmium impletione præcepti hujus nemo potest in præsentem mereri. Nos autem hoc falsum dicimus. Scriptum est de Abraham: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ad justitiam* (Gen. xv.) Sic sancti per charitatem, qua Deum prædiligunt, merentur Deum, et sic præmium condignum impletione præcepti prædicti. Ipsi dicunt, quod hoc præceptum in præsentem potest impleri. Augustinus dicit, quod non potest. Unde quærit, quare ergo præcipitur; et solvit non ut illi, sed aliter. Quod autem objiciunt: *Clamavi in toto corde meo; et exquisivi te in corde meo* (Psal. cxviii). Nunquid si ad tempus ideo omni tempore, qua dignus salute? vel si Propheta ideo omnis homo, qui dignus vita, sic clamavit vel clamat? Magister Acardus sic exposuit: *Clamavi in toto corde meo*. Id est in quantum est meum; in quantum enim concupiscentia illud possidet, non est meum. Sic exponunt, Deum ex toto corde diligit, qui totum intellectum suum in illum convertit. Tota anima, qui voluntatem suam Dei voluntati per omnia supponit; tota mente, qui totum, quod se fecisse meminit, ad honorem Dei convertit. Nonne justus sæpe vana cogitat, quomodo tunc ergo Deum ex toto corde diligit? vel quomodo tunc dignus salute, cum secundum horum opinionem nemo dignus vita æterna, qui non implet hoc præceptum.

Nox præcessit. Nox quandoque aeris obscuritas dicitur ex absentia solis, aliquando adversitas, aliquando peccatum, aliquando omne tempus ab Adam usque ad Christum, aliquandoque omne tempus dicitur nox respectu claritatis futuræ.

Induamur arma lucis. Arma lucis sunt virtutes.

Non in comessationibus. Comessatio dicitur a comis id est vicis, quod in illis coepulari soledant; et edendo, vel quasi mensæ collata quam multa mala comitantur.

Et ebrietatibus. Ebrietas, qua inebriatus est Joseph cum fratribus suis (Gen. xliii), non fuit superfluitatis, sed abundantiæ, ut dicit Augustinus: sicut terra dicitur inebriata, id est sufficienter irrigata. D

Non in cubilibus. Cubilia a fœdis cupiditatibus dicuntur proprie ferarum, inde propter fetorem libidinis lecti luxuriosorum appellantur tali nomine.

Et impudicitis. Impudicitia, id est inverecundia, et ponitur pro incontinentia.

Non in contentione, et æmulatione. Æmulatio ponitur pro invidia.

Sed induimini Dominum Jesum. Illi induunt Christum, qui nec amore nec timore, ubi periculum imminet justitiæ, abscondunt veritatem.

(Rom. XIV.) *Infirmum autem in fide assumite*. Hic ordo est vite et doctrinæ, ut prius nosmetipsos diligamus, - abjiciendo opera mala, et operando

lutio. Talis concubitus, etsi sit peccatum, non imputatur, nec indiget aliqua satisfactione qui hac sola causa cognoscit conjugem. Indulgentia vel permissio non solum fit, ubi aliquid majus potest præcipi vel exigi, sed etiam ubi ad aliquid majus potest quis moveri.

Melius est nubere, quam uri. Ustio materiam, in qua fit, corrumpit et deformat; sic et ardor libidinis qui in fornicatione est naturam corrumpit, et macula inficit infamiæ. Uritur ergo qui in fornicatione vincitur, hoc est, et interius corrumpitur, et exterius infamiæ macula afficitur.

Si quis frater uxorem habet infidelem, etc. Si inter infideles, vel inter fidelem et infidelem non est conjugium, ut volunt quidam, quomodo permittit Apostolus fidelem non discedere ab infideli cohabitare volenti? Inter tales commistio carnis aut erit legitima, aut fornicaria: si fornicaria, est mortale peccatum: ergo non permittendum. Ad hoc prædicti respondent multa secundum statum primitivæ Ecclesiæ dici oportuit, quæ ad præsentem referri non possunt. Unde si quis de Judaismo ad fidem Christi modo converteretur, non concederetur ei cohabitare cum priore conjuge, sed liceret ei cum alia legis novæ conjungi. Concubitus autem, qui est inter infideles conjuges, vel inter fidelem et infidelem, non est legitimus, nec fornicarius, secundum quosdam; sicut nec ille, qui fuit inter Abraham et Agar, et inter Jacob et ancillas uxorum suarum. Nobis autem, quod in his omnibus fuerit legitimus, videtur.

Alioquin filii vestri immundi essent. Filios immundos vocat filios infideles; filios sanctos dicit fideles.

Quæritur de illa, quæ donum habet continendi, et credit se habere, an peccet si nubat. Quod videtur, cum dono sibi dato non utatur ad id, ad quod ei datum est. Item potest quæri de quolibet, qui habet gratiam excellentiorem, et manet in minori in qua tamen meretur vitam æternam. Soluti absque præjudicio melioris sententiæ. Dico quod non peccat, si nondum fecit votum majoris status. Omnis enim homo plus debet Deo quam possit reddere: unde, cum omnibus misericorditer agit Deus, minus ab unoquoque accipiens quam debeat, et supra quantitatem meriti præmium reddens. Jovinianus nitebatur conjugium præferre virginitati, quia major labor in conjugio quam in virginitate, et Deus reddet unicuique secundum suum laborem (*Matth. xvi*) et *unusquisque secundum suum laborem mercedem accipiet* (*I Cor. iii*). Solutio. Non est verum, quod ubi major labor, et majus meritum. Labor enim Marthæ major, sed quies Mariæ fructuosior. Item continere est de consilio. Nubere de permissione. Ergo hoc majoris meriti, quam illud. Item cælibatus Joannis non præfertur conjugio Abraham. Hæc auctoritas videtur velle, quod virginitas præferri conjugio non debeat. Solutio. Privilegia singulorum non faciunt legem communem. Non est consequens, si

A cælibatus Joannis non præfertur conjugio Abraham, quod ideo cælibatus hujus non possit præferri conjugio alterius. Si dignitatem statuum attendas, cælibatus Joannis excellentior fuit conjugio Abraham, quamvis persona Joannis, persona Abraham in meritum non fuit major. *Tempus breve est.* Quia quidquid finem habet, æternitati comparatum, nihil est.

Qui habent uxorem tanquam non habentes sint. Uxorem habet tanquam non habens, qui potius reddit debitum quam exigat, et qui principaliter occupatur in his, quæ Dei sunt.

Et qui flent, tanquam non flentes. Pudor est illum flere pro temporali molestia, quem expectat æterna lætitia.

B *Et qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utantur.* Hic mundo tanquam non utens utitur, qui delectationem et spem in bonis mundi non ponit, sed sic ut ad ea perveniat, quibus fruendum est.

Volo autem vos sine sollicitudine esse, videlicet mala. Mala sollicitudo est vehemens et anxiosa cura, quæ mentem in iis, quæ Dei sunt, manere non sinit. Bona sollicitudo est qua quis non solum ut præcepta Dei impleat, sed ut aliquid superaddat sollicitus est. Sed dices quomodo potest aliquis superaddere super hoc, quod debet, cum Augustinus dicat, quod non possumus reddere quantum debemus? Solutio. Aliud est debitum necessitatis, aliud est debitum recompensationis, quo Deo tenemur obnoxii pro omnibus, quæ nobis fecit vel creando, vel redimendo.

C *Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est.* Dividit a Deo cura et sollicitudo necessariorum, et providentia uxori et filiis debita.

Cui autem vult nubat, tantum in Domino. Et si non omnia propter Deum fiant, saltem nil contra Deum fiat

De secundis nuptiis quæritur, et ultra de pluribus, quomodo sit ibi matrimonium, quia non videtur ibi Christi et Ecclesiæ sacramentum? Una est enim Ecclesia, nec moritur Christus, nec alteri copulatur. Solutio. Ita successio non tollit sacramentum, quia non est nisi una unius, non simul plures unius. Opponitur de pluribus uxoribus D Jacob, quia secundum hoc non videtur ibi sacramentum fuisse, cum plures et simul exstiterunt uxores unius. Solutio. Una est Ecclesia, sed de diversis gentibus: in cujus rei figuram et signum Patres antiqui plures habuerunt uxores. Non autem una plures potuit habere viros simul.

Puto autem quod ego Spiritum Dei habeam. Hoc verbum, puto, non semper dubitative, sed quandoque assertive ponitur, quo verbo illorum incredulitas, ad quos sermo dirigitur, sæpe arguitur.

(*I Cor. VIII*). *De his, quæ idolis sacrificantur,* etc. Sic bonis utendum est, ut boni sint exemplum, non perditionis occasio.

Nihil est idolum in mundo. Idolum nihil est, id

est nullius efficaciam, quæ possit escas sibi immo-
latas sanctificare, vel contaminare.

Conscientia eorum cum sit infirma polluitur, etc. Mens infirmatur dum hæsitare incipit, læditur dum erronea efficitur; polluitur dum cultui dæmonum subjicitur.

Quapropter si esca scandalizat fratrem, etc. Non quoties aliquis ex verbis nostris, vel factis scandalizatur, fratrem nostrum scandalizamus. Nam ex verbis Christi multi scandalizati sunt; ipse tamen neminem scandalizavit. Ille ergo fratrem scandalizat, qui eo præsentem aliquid dicit vel facit, unde ille offenditur, a quo potest salva conscientia abstinere; prælatus enim si corripiendo fratrem offendit, non peccat.

Si in odium et detestationem idoli non comedent carnes idolis immolatas, illi qui sciebant idolum nihil esse, quamvis infirmiores propter tales abstinentes putarent carnes illas pollutas inde esse, non peccarent, imo beneficerent.

(I COR. IX.) *Nam cum liber essem ex omnibus, etc.* Nonne Apostolus ex debito charitatis, et inuncti officii omnibus prodesse debebat? Quomodo ergo ex omnibus liber erat? Solutio. Ex omnibus, liber erat; id est nullorum sectæ subjectus, qui tamen sectis omnium se subiecit voluntate, non necessitate.

Factus sum Judæis tanquam Judæus. Atqui propterea reprehendit Petrum? Non est inconveniens dicere, sanctos doctores contraria sensisse, ubi periculum fidei non est. Nonne errabat Petrus quando restitit ei in faciem Paulus? Talis error venialis est, eo quod contra conscientiam non sit, et charitas sit in causa.

Cum ipse non essem sub lege. Objicitur id quod alibi dicit: *Misit Deus Filium suum factum sub lege* (Gal. IV). Si igitur Christus sub lege quomodo non et Paulus? Christus factus est sub lege, non sub dominio legis, sed ritus et observantias legis implens ut nullus post eum in se credens eas observare teneatur.

Infirmis infirmus sum per compassionem: Omnia omnibus per morum conformationem.

Qui in stadio currunt. Stadium centum viginti quinque passuum est; scilicet octava pars milliarii, et dicitur a stando, eo quod Hercules uno anhelitu tantum currit, et substitit.

(I COR. X.) *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt.* Antiqui patres eandem escam spiritalem manducaverunt, quam nos; eandem dico, non in materia vel in efficacia, sed in significatione.

Legitur de manna, quod sapiebat unicuique in ore quod volebat, sic et corpus Christi sapit unicuique quod vult, id est dat virtutem, et gratiam, quam magis appetit. Quidam per sanguinem sub specie vini intelligunt charitatem, vel fidem. Notanda est glosa hæc; et idem credentibus effecit. Major enim est efficacia sacramentorum Novi Testamenti quam Veteris; hanc ergo efficaciam non virtuti sacramentorum sed fidei attribuit.

Si idem objicias de nostris, quia fidem non ha-

bentibus non prosunt. Verum est. Majoris tamen sunt efficaciam, et magis prosunt fidem habentibus quam illa. Sicut hæc arma non nisi in manu valent, nec illa; hæc tamen magis quam illa. Legitur quod idem credidit Abraham, quod nos; sed ille credidit Christum venturum; nos credimus venisse. Sed nonne aliud est venturum esse et aliud venisse? Quare aliud nos, aliud ipse. Item quod Abraham credidit, modo credendum non est, quia falsum est, scilicet Christum venturum esse. Solutio dicta quidem harum propositionum. Abraham credidit Christum venturum; nos credimus venisse, diversa sunt; articulus tamen fidei idem, quem nos, et ille credimus scilicet nativitas Christi. Quid est ergo, Abraham credidit Christum venturum, nisi credidit Christi nativitatem, quæ tunc futura fuit?

Non perfecte credit, qui ad baptismi sive corporis Christi sacramentum accedere negligit. *Hæc omnia in figura contingebant illis, etc., in quos fines sæculorum devenerunt.* Finis figuræ, veritatis est exhibitio. Fines sæculorum sunt omnium, quæ in præcedentibus sæculi figuraliter præcesserunt, in diebus nostris exhibitæ veritates. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Tentationum, alia probationis, alia deceptionis, alia præsumptionis, alia infirmitatis. Dicit glossa, quod pati propter Christum, humana tentatio est, quia in passionibus pro Christo illatis tentatur homo ex carnis infirmitate. Diabolus quando Deum tentavit verba foris protulit (*Matth. IV*); materiam tentationis ostendit, sed ut cogitatio illicita mentem ejus tangeret, efficere non potuit. Tota tentatio illa foris fuit.

Fidelis Deus est, qui non patietur, etc. Deus dicitur fidelis promissorum adimpletione homo vero dicitur fidelis fidei participatione et operum exhibitione.

Supra id quod potestis. Aliquando tentatio minor est viribus nostris, et tunc dedecus est si vincimur. Aliquando par est, et tunc si vincimur, culpa. Aliquando major est tentatio viribus nostris. Si autem gratiam jam acceptam pro posse extenderemus, ipsa statim gratia augmentum accipiet. Tribus modis contra tentationes providet Deus: aliquando tentationem ex toto tollendo, aliquando eam minuendo; aliquando vires majores tribuendo.

Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. Sacramentaliter potest aliquis communicare sacramento altaris Domini, et mensæ dæmoniorum, sed non spiritualiter. In virtute sacramenti fides etiam potest dici altare; et infidelitas mensa dæmonum.

Omne quod in macello venit. Macellum locus, ubi carnes mactantur, et inde sic dictum: *Cæna ἀπὸ τοῦ κοινού a cæno quod est commune* dicitur, eo quod veteres hora nona communiter vescebantur.

Omnia in gloriam Domini facite. Si præceptum est; ergo peccat mortaliter qui aliquid facit etiam digitum movendo, et non ad gloriam Domini. Nobis

videtur quod admonitio est, ut nihil faciamus contra Deum et cum scandalo fratrum.

Sicut et ego per omnia omnibus placeo. Quomodo Apostolus dicit se per omnia omnibus placere, cum per multa multis displiceret? Solutio. Ideo hoc dicit, quia ea faciebat, quæ omnibus placere debent; scilicet proximi scandalum vitando et salutem omnium quærendo.

(I Cor. XI.) *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Probat viros non debere in oratione, vel doctrina velare caput ratione creationis; ratione ordinationis et ratione mysticæ significationis.

Omnis viri caput Christus est. Tota Trinitas quantum ad creationem viri caput et principium dici potest. Christus tamen specialiter dicitur caput viri, quia ejusdem naturæ esse debent caput et membra. *Caput Christi Deus,* secundum humanitatem tota Trinitas potest dici caput Christi, sed secundum hoc caput, et membrum non sunt ejusdem naturæ. Pater ergo secundum deitatem Christi caput est, non quod Christus secundum quod est æqualis ei, debeat subjectionem; sed quia hoc quod habet, ab illo habet. Ideo debet mulier velamen habere. De cujusmodi velamine loquatur Apostolus, ambiguum est.

Omnis autem mulier orans, aut prophetans. Utrum mulieribus licuerit Scripturas exponere, et alias docere in Ecclesia olim, non constat, quod autem modo non liceat, liquet. Abbatissis licet sororibus suis Scripturas aperire, et prædicare: quod, ut credo, Apostolus non prohibet. Probat Apostolus, quod vir non debet velare caput, quia imago et gloria est Dei. Eadem ratione nec mulier, cum sit imago Dei debet caput velare. Solutio. Vir dicitur imago Dei, id est forma. Sicut enim ex Deo sunt omnia, sic ex homine omnes homines; et sicut omnibus præest per potentiam Deus, sic homo omnibus per intelligentiam. Quia autem caput habet mulier medium inter se et Deum, ideo caput suum velare debet. Sed objicitur, quod eadem ratione vir debet velare caput; quia inter se et Deum habet caput, hominem Christum. Solutio. Hoc caput non operit, sed aperit; non obumbrat, sed illuminat, in cujus signum non debet vir velare caput.

Audite scissuras esse inter vos, id est hæreses. Hæresis proprie est, ubi aliquid contrarium fidei docetur. Hæreses tamen vocat Apostolus schismata, ubi unitas pacis scinditur. Sunt enim omnes schismatici hæretici. Nec minus peccatum est charitatis unitatem scindere, quam fidei.

Oportet hæreses esse, ut dicit Apostolus: quare et utile est, et bonum est hæreses esse. Item si bonum est hæres esse, et debemus velle hæreses esse, et bonum est mala esse et mala fieri, et homines peccare. Solutio. In hujusmodi locutionibus duplex iudicium solet et debet esse. Aliquando enim de locutione iudicamus secundum qualitatem rei; aliquando secundum consequens, id est secundum opportunitatem [quam præstat ad id quod

sequitur. Cum igitur dicit Apostolus, oportet hæreses esse; bonum, quod inde sequitur, attendit, non qualitatem rei. Eadem ratione dicit Augustinus: Bonum est mala esse; et Deus est, cui mala nostra bona sunt. Nunquam adeo claruisset doctrina beati Augustini, et aliorum doctorum, nisi per impugnationem hæresum manifestaretur.

Dominicam cænam manducare, etc. Legitur, quod caro Christi pro salute corporis, et sanguis pro salute animæ offertur, sed nonne utrumque utriusque salutem operatur? Solutio. Verum est, quod caro et sanguis tam corporis quam animæ salutem operatur: caro tamen ad corpus, et sanguis ad animam refertur.

Corpus Christi quod sumitur in altari, significat corpus Ecclesiæ. Sanguis vero ibidem sumptus significat charitatem, in qua tanquam in sanguine vita est hujus corporis, id est Ecclesiæ.

Constat omni fidei quia substantia panis transit in corpus; et vinum in sanguinem, unde quæritur, an hæc locutio sit vera. Substantia panis erit corpus Christi, an aliqua substantia, quæ non est nata de virgine, erit corpus Christi; consimilis locutio, sed non omnimoda est; aliqua substantia, quæ non fuit ab æterno, est Deus, quia substantia humana. Solutio. Substantia panis manens substantia panis nunquam erit corpus Christi, sed mutata in illud procul dubio erit. Similiter substantia, quæ non fuit ab æterno, non per naturam sed per unionem est Deus. De accidentibus illis, quæ fuerunt in pane ante consecrationem, hoc tenendum est, quod post consecrationem, sine subjecto sint, licet hoc sit contra naturam eorum. Non enim quærendus est ordo naturæ, ubi supra naturam est totum quod agitur. Similiter corpus Christi cum jam sit in se indivisibile, in sacramento dividitur; nec dico, sic in sacramento, quin in veritate ipsum dividatur, manibus teneatur, oculis etiam carnis videatur, dentibus atteratur; ergo et indivisum manet, et dividitur; sed secundum aliud et aliud. Sicut Deus manens immortalis mortuus est, licet secundum aliud et aliud. Una partium, quæ extra calicem ramanet, caput nostrum jam glorificatum significat; altera, illa membra, quæ in gloriam capiti junguntur. Tertia, quæ jam sanguini admiscetur, illos significat, qui adhuc passionibus hujus vitæ obnoxii detinentur.

De calice bibat. Calix in sacra Scriptura aliquando significat sanguinem Christi, ut, *hic calix est Novum Testamentum.* Alibi pœnam et mortem non solum Christi, et sanctorum, sed etiam malorum significat.

Judicium sibi manducat. Non timorem. Injuriam facit Christo, qui eum in vase locat immundo, quam qui cum crucis afflixit patibulo. Si quis in mortali peccato est, si accipit corpus Christi, iudicium sibi manducat et bibit, sed si in mortali se non invenit, quia non est sine quotidianis, de ipsis pœniteat, et dicat? *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum (Matth. viii).*

Sed dicit aliquis: Nonne dignus est talis? alioquin iudicium sibi manducat, et bibit. Etsi dignus est, et dicit se indignum, mentitur, et ita fit indignus. Solutio. Apostolus non est mentitus ubi ait: *Non sum dignus vocari Apostolus (I Cor. xv)*; et tamen dignus erat. Ex hoc ipso enim, quod dicit se indignum, quod verum est quantum ad propria merita, si excellentia tanti sacramenti consideretur, Deus per gratiam suam et misericordiam suam reputat eum dignum.

(COR. XII.) *Membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.* Christum vocat caput cum membris propter ineffabilem unionem capitis et membrorum. Tunc Christus erit perfectus vir cum omnia membra ei conjungentur, *Omnes in uno spiritu potati sumus.* Spiritus sanctus potus dicitur, quia lætificat mentem, et inebriat; et quod facit vinum materiale Deo, facit spiritus mundo.

(I COR. XIII.) *Charitas omnia sperat.* Augustinus: Non impar charitas, sed impar facultas multum vel parum danti hinc volunt quidam, quod in quibuscunque est par charitas, etsi imparia sunt opera charitatis, pares sunt in meritis. Sed secundum hoc nihil videntur conferre bona opera, cum tamen verum sit, quod Deus reddet secundum opus. Item in passione sua Christus meruit, quod non prius; ergo meritum crescit, ubi non est charitatis argumentum.

Non habent parem charitatem, qui non pariter operantur, si parem habent operandi facultatem, ut volunt quidam, quod tamen videtur esse falsum, cum vir contemplativus majorem habeat charitatem quam activus, et tamen minus cooperetur. *Charitas nunquam excidit, sive scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus, etc.* Scientia illa, quam nunc de Deo, et illa, quam habemus de creaturis, imaginaria est, et umbra est illius, quam circa Deum, et de Deo habebimus. Illa siquidem erit in veritate; ista est in imagine. Ista in umbra; illa in lumine. Illa ergo alia erit, quam ista. Ista peribit et desinet illa apparente, sicut umbra perit luce accedente. Ista dicitur ex parte, quia non nisi creaturis mediantibus nunc Deum cognoscimus: hoc dico secundum quosdam. Charitas autem secundum eosdem, ideo non dicitur esse ex parte, quia immediate Deum etiam in præsentem diligimus. *Nunc autem manent, fides, spes, etc.* Est spes præcedens charitatem, quæ de consequenda est venia. Et spes sequens charitatem, quæ est de habenda corona.

(I COR. XIV. *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetiis?* Tribus de causis prophetæ, Christus et apostoli, parabolice et velatis significationibus locuti sunt, ut qui indigni sunt, non intelligant; teguntur etiam ne vilescant. In aliis linguis loquar populo huic, et nec sic exaudient me. Deberent novitate miraculi credere, et magis attente; sed nec sic credunt.

Itaque linguæ sunt in signum non fidelibus, sed

A infidelibus. Linguæ sunt in signum infidelitatis, ne detur sanctum canibus. Infideles vocat non omnes sine fide, sed obstinatos in fide. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Durum videtur, quod ideo indiserti reprobentur a Deo, quia ignorant quia mulieres non debent loqui in Ecclesia, et quod prophetiæ præponi debent linguis. Solutio ad hæc, et similia. Non omnibus est periculosum, sed prophetis et spiritualibus.

(I COR. XV.) *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, etc.* Magna quæstio quomodo verum dicat Apostolus nominando se minimum apostolorum cum esset de majoribus. Solutio. Dicunt quidam, quod quoties sancti nominibus humilitatis utuntur, tali modo significant se illius esse officii, quo aliis subservire tenentur. Hujus quæstionis solutionem melius pertractatam in questionibus nostris super Epistolas Pauli invenies. *Alia claritas solis, alia claritas lune, et alia claritas stellarum.* Duplex erit in futuro gaudii participatio; et secundum experientiam et secundum affectum. Dispar erit claritas secundum experientiam; par, id est commune erit secundum affectum. Vel ideo par, quia de quocunque gaudebit unus, gaudebit et alius.

Ignorantia alia ex contemptu, alia ex infirmitate, alia ex defectu rationis. Per solem, centum, per lunam, sexaginta; per stellas, triginta numerum habentes significantur. *Surget in gloria, etc.* Gloria corporum de beatitudine procedet animarum major, minorve pro diversitate meritorum. Neo mirum: *cor enim gaudens exhilarat faciem,* ut ait Salomon (*Prov. v*), et solis claritas illuminat corpus vitreum. Quod autem in bono summo unus plus gaudebit et alius minus, non erit ex illo bono, quod totum per partes erit in omnibus, sed erit ex hoc, quod unus erit capacior summi boni, et alius minus capax. *Est corpus animale, est et spirituale.* Prius quod animale, deinde quod spirituale. Corpus animale est, quod sic habet vegetationem ab anima, ut etiam extrinsecis alimentis egeat ad sustentationem, quod prius fuit etiam in Christo ante resurrectionem. Deinde spirituale. Errant ergo illi, qui dicunt corpus Christi ex quo fuit assumptum, fuisse immortale et impassibile.

D Corpus spirituale est, quod ad sustentationem cibis corporalibus non eget. Boni in futuro erunt et immortales, et impassibiles. Mali vero immortales, sed passibiles. *Absorpta est mors in victoria.* Mors corporis absorpta est modo tantum in Christo, scilicet per resurrectionem. Mors animæ in præsentem absorbetur in nobis per Christi resurrectionem. In futuro absorbebitur mors in nobis carnis. *Stimulus mortis peccatum est, etc.* Stimulus est aculeus, qui impulsu aperit cutem; et ideo peccatum stimulus mortis dicitur, quia per peccatum mors intravit, et aditum invenit; vel quia motus animam illiciunt, ad peccandum incitant; ideo peccatum originale stimulus dicitur.

LIBER OCTAVUS.

IN EPISTOLAM PAULI AD CORINTHIOS SECUNDAM.

(II COR. I.) *Paulus apostolus Christi Jesu per A voluntatem Dei.* Eliguntur per voluntatem Dei mali, et ex electione boni fiunt, ut Paulus. Eliguntur et mali per voluntatem Dei; etsi non ab bonum suum, tamen ad bonum aliorum, ut Judas. Eliguntur et boni per voluntatem Dei, qui merito vitæ et scientiæ ad regimen Ecclesiæ ordinantur. His diebus voluntas principis super eligendis expectatur, non Dei. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri.* Sicut homo assumptus per gratiam est assumptus; et per gratiam Filius Dei naturalis non adoptivus effectus est; sic videtur, quod Deus Pater per gratiam sit Pater hominis assumpti: non tamen Pater adoptivus sed Pater naturalis.

Deus, Pater est Christi generatione; noster miseratione. *In quem speramus quoniam et adhuc B eripiet.* Sperare in aliquo, est aliquod auxilium ab eo expectare, quod etiam ab homine licet. Sperare in aliquem est totam spem salutis et auxilii in eum ponere, quod in solum Deum fas est. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis.* Sunt tria, quæ petitionem impedire solent; scilicet quia persona indigna est, quæ petit, vel pro qua petit, vel res quam petit. Item nunc persona indigna petit, et exauditur, ut Satan; nunc digna nec exauditur, ut Paulus; nunc digna petit pro indignis, et exauditur, ut Moyses pro filiis Israel. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Potest quæri quomodo gloriatur Apostolus in testimonio bonæ conscientiæ, cum juxta eundem in solo Deo sit gloriandum? Solutio. Non sunt diversa gloriari C in testimonio bonæ conscientiæ, et in Deo; imo conjuncta sunt. Bona enim conscientia Deum imitatur, et ei adhæret; aliter non esset in ea gloriandum.

Quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, etc. Simplicitas est zelo justitiæ, et propter Deum tantum aliquid facere, cui ne error admisceatur, necesse est ut sit sincera et discreta. Cum ergo hoc noluissem, nunquid levitate usus sum. Scripturæ aliæ de locutionibus judicant secundum vocis significationem; sacra vero Scriptura secundum proferentis intentionem; unde illæ quemlibet mentiri dicunt, quem constat falsum enuntiare: sacra Scriptura illum tantum mentiri judicat, qui loquitur contra conscientiam suam. Quid enim est D mentiri, nisi contra mentem ire?

Dicit aliquis: Apostolus non implevit quod promisit; ergo vel decepit vel deceptus est. Solutio. Jacobus apostolus docet quod in locutionibus, quæ sunt de futuro contingenti, conditio est apponenda, vel subintelligenda; hæc scilicet, si Deus voluerit,

quam Apostolus, etsi non voce expressit, eam tamen in mente habuit. De Judæis quæritur an, mentiantur negantes Christum esse Deum, cum contra conscientiam non loquantur. Solutio. Excæcati sunt, et ideo hæc negantes rei sunt mendacii. *Et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Pignus certum facit vendentem de pretio habendo; sic et charitas de æterna gloria certum facit, et ideo pignus vocatur.

(II COR. II.) *Ut magis donetis, et consolemini.* Tunc pœnitenti facienda est condonatio, quando infirmitate gravatus pœnitentiam injunctam facere non potest, vel ne desperet propter nimiam asperitatem. *Ut non circumveniamur a Satana.* Diabolus prælatum, quem per consensum peccati non potest seducere, per nimiam asperitatem sub specie correctionis facit in subjectos sævire. Subditus vero circumvenitur, quando per desperationem in deterius cadit, vel frontem inobedienciæ opponit. *Aliis quidem odor mortis, etc.* Mali odorem vitæ odorem mortis sibi faciunt. *Adulterantes verbum Dei.* Adulteri verbi Dei dicuntur, qui non filios in fide generare; sed temporalem delectationem explere satagunt.

(II COR. III.) *Littera occidit, quia sine misericordia punit; spiritus vivificat, parcendo, culpam remittendo. Revelata facie gloriam Domini speculantes.* Gloriam Domini duobus modis speculamur vel in creaturis, ejus potentiam, sapientiam, bonitatem attendendo; vel fide et ratione, ipsum in ipso contemplando. *In eandem imaginem transformamur.* Imago Dei in nobis per peccatum est deformata; sed in eandem, id est in ejus integritatem reformamur per gratiam, vel transformamur in eam imaginem, ad quam facti sumus, ut ei consimiles efficiamur. *Aquæ inferiores, id est affectus carnis congregandæ sunt in unum locum; et ad imperium rationis. Aquæ superiores, id est desideria spiritus non sunt congregandæ in unum locum: quia charitas non debet coerceri, sed ad omnes extendi.*

(II COR. IV.) *In facie Christi Jesu, id est coram Christo, qui est facies Patris; quia per eum habetur cognitio. Aliud est necessitas coactionis, aliud exigentiæ debitæ obedientiæ.*

(II COR. V.) *Ingemiscimus habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: quod nolumus spoliari, sed supervestiri.* Aliud est affectus rationis, aliud affectus carnis. Affectus carnis, cupiebat Apostolus sine morte transire ad immortalitatem; affectus rationis cupiebat dissolvi, et esse cum Christo. Affectus carnis non est meritorius, id est nec bonus nec malus, quia naturalis. Tali affectu

amara quæque et carni contraria refugimus, et in diebus abstinentiæ ante horam cibum appetimus.

Si tamen vestiti, et non nudi inveniamur. Vestiti scilicet fide (ut dicit glossa). Ergo deposito corpore erit fides. Non, sed fidem vocat, rem fidei. *Ut referat unusquisque propria corporis,* etc. De pueris etiam hoc verum est, qui per alios crediderunt, vel non crediderunt. Baptizati ergo referent prout gesserunt in corpore, id est prout ab aliis gestum est in eorum corpore. Sed non baptizati quid referent? cum non ipsi aliquid in corpore egerint, nec ab aliis in eorum corpore gestum, pro qua sint damnandi? Solutio. Dicunt quidam, quod etiam illi habuerunt motus inordinatos, pro quibus sunt damnandi.

Timorem Domini hominibus suademus. Quare potius timorem quam amorem? Solutio. Hoc dicit de timore filiali, qui tamen potius videtur pertinere ad præceptionem quam ad monitionem; sed sic est de hoc timore sicut de fide, quod non potest cogi, sed admoneri. *Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis.* Quidquid agimus vel est honor Dei, vel utilitas proximi. In quibusdam tamen specialiter apparet honor Dei, ut quando sapientia inter perfectos prædicatur; in quibusdam utilitas proximi, ut quando lac præbetur parvulis. Excessus mentis exstasis appellatur, scilicet quando mens supra se rapitur, quod nunc fit tumore superbiæ; nunc magnitudine doloris vel timoris, sive etiam gaudii, quandoque contemplatione rationis, scilicet quando mens desiderio rapitur ad superna nullam habens inferiorem memoriã: huic operam dant viri sancti. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians. Deus erat in Christo, divinitas in homine assumpto.

(II COR. VI.) *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Dicit Augustinus: Prodest vel per diem bonum fuisse, cui contrarium videtur. Melius est viam justitiæ non agnovisse, quam post agnitam retro abiisse, quia de ingratitude et contemptu damnatur. Solutio. De diversis sunt illæ auctoritates: prima de peccatoribus non infidelibus; secunda de his, qui post fidem redeunt ad infidelitatem.

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii. Quorumdam os claudit imperitia; quorumdam timor vel amor; quorumdam vita perversa; quorumdam acceptio munerum.

Exite de medio eorum, et separamini, etc. Majus malum committimus in separatione bonorum, quam quod contrahimus in conjunctione malorum. Hoc non est generaliter dictum de omnibus, sed de prælatis et perfectis qui graviter delinquunt, subditos et imperfectos relinquendo inter malos quos præsentia sua confirmare deberent. Minores et subditi, quoniam timent, ne bonos mores corrumpant colloquia mala (I Cor. xv); non videntur peccare, si etiam loco a malis separarentur quamvis inter eos sint aliqui boni. Qui vivunt in sæculo, ut dicit auctoritas, non habent merita ad vitam æternam sufficientia; sed per merita eorum, quos elemosy-

nis sustentant, consequuntur, quod per se non possunt. Sed quomodo? si charitatem non habent, per merita aliorum non videntur posse salvari. Sine charitate enim nemo dignus salute. Solutio. Hoc dictum est de iis, qui adhuc consuetudinem peccandi evadere non possunt, per merita aliorum salutem consequuntur, prius quidem gratiam, per quam liberentur; post, charitatem, qua digni sint gloria.

(II COR. VIII.) *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est; non secundum id quod non habet.* De duobus qui impares sunt facultate potest quæri an æqualiter mereantur, si pariter dent et pari affectu? Quod videtur, quia Deus non pensat censum, sed affectum; non quantum des, sed ex quanto; hi autem pares sunt in affectu: ergo secundum communem omnium opinionem pares et in merito. Item sic contra opponitur. Unusquisque tenetur facere secundum suam facultatem; ergo qui plus habet, plus tenetur dare: ergo peccat, si non plus tribuit. Solutio. Potest dici, quod qui plus habet, tenetur debito perfectionis, non salutis, id est hoc exigitur ab eo ad hoc ut sit perfectus, non ad hoc ut sit salvus, ut faciat secundum facultatem. Potest etiam contingere quod ille qui plus habet, licet non plus det, tamen pariter mereatur; quia sicut ex charitate dat, sic ex charitate retinet, ut aliis magis indigentibus tribuat. Nullum etiam erit inconveniens, quod licet pari affectu dent: non tamen pariter mereantur. Ut in contrario contingit aliquos pari delectatione aliquod peccatum committere, et tamen alter plus altero reus tenetur: ut si laicus et monachus pari delectatione fornicentur.

Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Prudentis est talia operari, ut in oculis Dei placeant, et in quibus homines nihil reprehensibile inveniant. Cavere autem non possumus, quin homines bonis operibus nostris detrahant; sed hoc non est ex qualitate operum, sed ex perversitate hominum.

Dicit Augustinus: Qui conscientie fidens, famam negligit, crudelis est. Quid autem vocat famam, nisi laudem humanam? hanc non solum negligere, sed etiam fugere debemus. Solutio. Ille famam negligit, qui agit cum scandalo fratrum, quod licite posset dimittere: hoc autem quod dicitur laudem humanam debemus fugere intelligendum est quantum ad nos.

(II COR. IX.) *Qui parce seminat, parce et metet.* Quomodo parce metet, qui vitam æternam, et ipsum Deum accipiet in metendo? Solutio. Hoc dicit, quia sicut meritorum est diversitas, sic et præmiorum erit differentia, ut minus accipiat, qui minus promeruit.

(II COR. X.) *Qui arbitrantur secundum carnem nos ambulare.* Ambulat secundum carnem, qui carnis desideria sequitur et secundum sapientiam mundi

agit, et agitur, qui legem adhuc secundum carnem A pro tempore, sciat correptionem temperare, ne observandam putat. absorbeatur; potestate ut iudex ex officio sit ad hoc constitutus? Notandum est quod persona quandoque excedit potestatem. Ut quando aliquis exercet tyrannidem, sumens occasionem ex ipsa potestate; quandoque potestas excedit personam, ut cum indignus ad ordines sacros initiatur.

Et in promptu habentes ulciscendi omnem inobedientiam. Promptitudo ulciscendi omnem inobedientiam in tribus consistit, scilicet in vita, in scientia, in potestate. Vita inobediens et criminosis, quomodo potest alterius inobedientiam, et crimen judicare, scientia, ut pro persona, pro loco,

EXEGETICORUM GENUINORUM

PARS SECUNDA.

COMMENTARIORUM

IN

HIERARCHIAM CŒLESTEM S. DIONYSII AREOPAGITÆ

SECUNDUM INTERPRETATIONEM JOANNIS SCOTI

AD LUDOVICUM

REGEM FRANCORUM, FILIUM LUDOVICI GROSSI,

Qui ædem D. Victoris Parisiensis ædificandum curavit.

LIBRI X.

LIBER PRIMUS

CAP. I. *De differentia mundanæ theologiæ atque divinæ, et de demonstrationibus earumdem.*

CAP. II. *Quæ sit materia hierarchiarum, et dispositio earum.*

CAP. III. *De tribus hierarchiis.*

CAP. IV. *Quare theologiam assumpsit tractandam Dionysius Arcopagites, postquam susceperat fidem catholicam.*

CAP. V. *Quid sit hierarchia, et dispositio illius et exordium.*

CAPITULUM PRIMUM

De differentia mundanæ theologiæ atque divinæ et de demonstrationibus earumdem.

Judæi signa quæerunt, et Græcis sapientiam (I Cor. B manifesta erant Dei, ad illuminationem processerunt; et nota facta sunt ut probarentur corde non puro. Nam illa, quæ videbantur, nota erant, et erant alia quæ nota non erant, et per ea quæ manifesta sunt, putaverunt ire in illa, quæ abscondita fuerunt, et corruerunt mente ultra possibilem veritatem in mendacia figmentorum suorum, ubi non est inventum amplius, quod apprehenderent. Ideo stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, quia in illa non potuit inveniri sapientia Dei; et monstravit sapien-